VENETO

VIDI VIDII
PHILOSOPHI, AC
MEDICI FLORENTINI
DE FEBRIBVS LIBRI
SEPTEM.

Eiusdem auctoris Institutionum Medicinalium libri tres vna cum indice omnium librorum ac singulorum cuiusq; libri capitum, quibus vniuersa ars Medicinalis à Vidio ex quisitisima ratione conscripta continetur.

Quibus libris omnibus Vidus Vidius iunior extremam manum inposuit, & eosdem antiquorum auctoritatibus ad paginarum marginem appositis summo cum labore illustrauit.

AD SERENISSIMVM FRANCISCVM MEDICEM MAGNVM ÆTRVRIAE DVCEM SECVNDVM.

CVM PRIVILEGIO.



ATENEO VENETO VENEZIA

FLORENTIAE
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXV.

SERENISSIMO
FRANCISCO MEDICI
MAGNO DVCI AETRVRIAE
SECVNDO.

Vidus Vidius Iunior fælic.



EDICINAM inter præstantissimas artes, & humano generi summopere necessarias esse numerandam, & eamdem nostra hac ætate beneficio Illustrissimæ familiæ MEDICEÆ, *ac prouauorum tuorum (*SERENISSIME DVX*) vnà cum cæteris bonis artibus ad summum quendam absolutionis gradum peruenisse, neminem vel mediocriter eruditum latere arbitror: paucos tamen admodum eos esse video, qui animaduerterint, illud adeò præstanti facultati adhuc contigisse, quod Palladis, seu Mercurij marmoreæ statuæ eueniret, cuius caput duntaxat Lysippus, Phidias brachia, Praxiteles pectus, Policletus crura, Miron pedes (altero quid alter fecisset ignorante) varijs in locis, varijsq; temporibus finxisset: quæ partes ad summum singularum artificium*

ficium eximiam auctorum peritiam mirifice præ
ſeferrent: quibus ſi ſpiritum, ac vitam concedere
quis poſſet confeſtim incredibilem earum cupidi-
tatem inter ſe iungendi ad vnicam Palladis, ſeu
Mercurij ſtatuam abſoluendam apertiſſime in-
tueretur. Cæterum quam turpis, ac deformis ima
go inde euaderet, cui nec pes, nec caput vni redde
retur formæ, quantuſq; labor, quantum tempo-
ris; quanta deniq; fingendi peritia exigeretur in
ſingulis partibus ita adequandis, poliendis, ac
componendis, vt vnicum, & omnibus numeris
abſolutum Palladis, ſeu Mercurij ſimulacrum re
ferrent, ille profectò intelliget, qui vel in fingen-
di facultate aliquem locum tenet, vel; quamuis ni
hil ſit in ea verſatus, non ignoret tamen quid ar
tifex artifici præſtet, nec quid diſtent æra lupi-
nis. Hoc profecto idem, Princeps ſapientiſſime,
accidit arti Medicæ; de cuius varijs, ac diuerſis
partibus quam plurimi grauiſſimi auctores tam
ex antiquioribus, quam ex iis, qui patrum ætate
vixerunt, vel adhuc viuunt, ſummæ cum dili-
gentia, & laude diuerſis & locis, et temporibus con
ſcripſere: nullus tamen adhuc extiterat, qui hanc
præſtantiſſimam artem, vt vnica per ſe eſt, ita
etiam vnico volumine omnes eius partes ordina-
te diſpoſitas continente, ac látini ſermonis purita
te ornato (quod diu à latinis profeſſoribus fruſtra
deſide-

deſideratum eſt) complexus fuiſſet : cunctos .n. maximus, qui in hoc opere præstando requirebatur labor, ſemper deterruit. Huius autem facultatis ſtudioſiſsimus Vidus Vidius Patruus meus aliquando querelam quodammodo, ac lamentationem exaudiens, eſt ſeiunctarum illius partium incredibilem coniunctionis cupiditatem animaduertens, cohortante etiam SERENISSIMO COSMO *patre tuo, vnicam eam reddere, prolixiores partes ſcriptas ab alijs contrahere, breuiores producere, angustiores dilatare, ſingulas exæquare, cunctas inter ſe componere, & vniuerſam tandem puris latinis literis mandare decreuit. Saxum fateor maximum, at robore & vecte munitus, voluendum ſuſcepit. Materiam concedo inſignem, at non imparem ſuis viribus ſumpſit: vniuerſam igitur artem medicam via cum ratione exactiſsima ſatis eleganter conſcribere, atque omnibus numeris abſoluere eſt aggreſſus. Quod opus magna ex parte effecit, perficerè tamen, atque extremam ei manum imponere immatura mors vetuit. Quod cum ego iuxta illius inſtitutionem maximo meo cum labore ferè præſtiterim, & ad communem omnium vtilitatem, ac Patrui gloriam eius de medicinali arte volumina edere decreuerim, eadem ſub fœliciſsimis tuis auſpicijs* DVX SERENISSIME *prodire con-*

ſitui: ex quo fiet, vt & quæ tua ſunt (inuictiſſimo .n. patri tuo adhuc ſuperſtiti haſce ſuas vigilias Vidius dicauerat) tibi regni, fortunarumq; ſuarum hæredi iure debito reſtituantur, & ipſe ob innumera, quæ in me, & omnes meos beneficia ſemper humaniſſime contuliſti, dum auguſtiſſimo nomini tuo quantuloſcumque meos labores in patrui voluminibus abſoluendis dedico: pro illis ſi non quas debeo, ſaltem quas poſſum gratias agam, & referam; atque etiam ſimul te fouente à venenatis inuidorum, ac detractorum dentibus patrui ac noſtri labores, vigiliæq; defendantur. Libenter igitur Sereniſſime Princeps Vidij tum vniuerſam medicinalem artem excipito, tum præcipue tres inſtitutionum libros; in quibus totius artis quaſi formula conſpicitur, ac ſeptem alios de febribus tam cognoſcendis, quam curandis, quos nunc primo loco non leuibus de cauſis edendos iudicaui. Quòd ſi hilari fronte te præſtitiſſe cognouero, & ad cæteras partes imprimendas, & ad illuſtriora facinora me accingam. Interim Deum optimum maximum ſupplex deprecabor; vt te tantum Principem nobis, & vniuerſæ Hætruſcæ reipublicæ diu incolumem ſeruet, & Heroica ſemper tua incepta, votaq; ſecundet. Vale.

VIDVS

VIDVS VIDIVS IVNIOR
CANDIDO LECTORI, ET MEDICINÆ STVDIOSO S. P. D.

SI qui forte mirabuntur, candidiſſime lector, quòd poſt tot annos ab obitu Vidi Vidij nunc primum prodire incipiant volumina, quibus vniuerſam medicinalem artem puris latinis literis exactiſſima methodo,ac ſummo artificio explicauit, mirari profectò deſinent, vbi intelligent, me eius fratris filium,cuius fidei moriens ſuos ipſos libros commiſit, tunc adhuc inter ephebos extitiſſe, cui per ætatem non licebat ea exequi circa tot volumina, quæ ex poſtremæ ſuæ voluntatis pagina patruus ſtatuerat. Quamobrem, vt nec potui, nec debui, ita etiam nec volui tam arduam prouinciam ſuſcipere,tamque graue onus meis humeris imponere, priuſquam per multos annos in Florentiſſima Piſana Achademia peritiſſimos viros Philoſophiam ac Medicinam priuatim & publice docentes maxima cum diligentia,atque attentione audiſſem, ac tandem in eorum ordinem ipſe quoque relatus beneficio Sereniſſimi FRANCISCI Medices, cohortante ac fauente Reuerendiſſimo Ioanne Tonſio Equite perilluſtri,viroq; doctiſſimo,& integerrimo eiuſdem achademiæ prefecto,per nouem annos medicinam in eadem publice docuiſſem,atque feciſſem. Ex quo tempore ad patrui volumina peruoluenda acceſsi, ſingulaq; ſumma cum diligentia intus & incute recognoui, ſcribarum menda notaui nonnulla; quæ nimiam preſeferebant longitudinem reſeca ui; multa,quæ poſtremam manum deſiderabant, abſolui: innumera præſidiorum exempla ad morbos depellendos adieci: margines ſingulorum librorum incredibili (mihi credas) cum labore illuſtraui auctoritatibus antiquorum: ex quibus credidi Vidum firmiora præcepta deſumpſiſſe,ac tandem eam totius artis partem adeò neceſſariam quæ de curatione membratim inſcribitur, quam immatura morte

præuentus patruus ne aggredi quidem potuit, iam magnà ex parte absolui: quæ si diligenter animaduertes lector humanissime satis aperte deprehendes, hæc non nisi longo spacio temporis confici potuisse. Modo vero quia omnia, quæ de arte medicinali Vidus conscripsit, satis perlustraui; ne te ea perlegendi adeo cupidum amplius detineam, ad ea iin primenda (sprætis magnis & sumptibus & laboribus) sum aggressus. Edidi autem primo loco septem libros de febribus cognoscendis, & curandis, tum vt Typographo, ac multis amicis id expostulantibus satisfacerem; tum maxime vt Neotherici cuiusdam coercerem impudentiam: qui cum olim ex ore Vidij patrui nostri tractationem de febribus Pisis publice prælegentis multa collegisset, in propriam gloriam non in præceptoris sui honorem ea nunc tentat typis mandare. Hos tamen & patrui, & nostros labores si probaueris, iam ad cęteras totius artis partes imprimendas accingemur: quarum tamen vt interim aliquam peritiam habeas impressimus vna cum febribus tres eiusdem auctoris à nobis recognitos libellos; quos inscripsit medicinales institutiones, ex quibus quasi ex formula totius ędificij constructionem conijcere poteris. Adiecimus & omnium librorũ, ac singulorum cuiusque libri capitum indicem satis copiosum: ex quo quid & in vnoquoque volumine & in singulis capitibus pertractetur, ac quo ordine totius artis partes distribuantur apertissime cognoscere poteris. Vale igitur humanissime lector, & omni deposita æmulatione atque, inuidia eos, qui te maxime obseruant, & tuę vtilitati assidue consulunt, defendere, ac tueri libenter studeas.

THOMAE

THOMÆ CORNACCHINII MEDICI AD Franciſcum Carrettum Elegia in Vidi Vidij obitum.

IMPIA cum Vidum rapuerunt fata diſertum,
Dimidium vitę ſurripuere meæ.
Hinc ego flebilibus numeris mœſtiſſimus vti
Conſtitui: & ſemper nil niſi triſte loqui.
Hinc audire nihil; nihil hinc addiſcere poſſum;
Et requies animo non datur vlla meo.
Sed dolor eſt noſtri ſolum medicina doloris,
Et lachrimæ ſolum vulnera noſtra leuant.
Floro meos caſus: triſteis effundo querelas
Et foris, atq; domi nocte, dieq; miſer.
Sic mea perpetuo tabeſcunt lumina fletu:
Sic noſtræ haud ceſſant imbre madere genę.
Hinc artis medicæ tota de mente fugaui
Nunc ſtudia; atque omneis delitias animi.
Cauſa hęc vna fuit ſolum Franciſce tabellas
De morbis capitis cur tibi non dederim:
Verum tanta fuit, noſtri vt pars maxima, caro
Cum Vido fuerit viſa perire ſimul.
Heu miſero Thomæ iucundum lumen ademtum?
Heu miſero Vidi Doctor ademte mihi?
Comior heu nullus: nec erat iucundior alter:
Te mi Doctor erat nullus amabilior.
Res omneis miro tractabas ordine: nulli
Quam tibi compta magis lingua latina fuit.
Tum Sophia inſignis, Medicaq; ſecundus in arte
Nemini erat: monſtrant hoc monumenti tua;
Quę ne perficeres, mors importuna profanans
Omne ſacrum nobis te rapuit miſeris.
Sic tibi non ſęuum (vt metuebas) Aſthma, nec ipſa
Formidata fuit ſyncopa cauſa necis.
Sed fera te febris rapuit depaſta caloris
Natiui ſenſim pabula cuncta tui.
Hinc aliis ſolitus perſępę afferre ſalutem,
Senſim anima es viſus deficiente mori.
Omnia ſic moriens fregiſti commoda noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Omnia ſic tecum perierunt gaudia noſtra.
Franciſci, & docti gaudia Flamminij.
Aſthma tibi ſemper ſceleratum ſit male queſo

Indignis

Indignis crucians, discruciansq; modis:
Sed peius febris tibi sit funesta: fuisti
Tu quoniam lethi proxima causa sui.
Ast ego, mors tali soluat de carcere vitam,
Opto: nam verè est viuere pœna mihi.

EIVSDEM IN VIDI VIDII OBITVM Hendecasillabum.

Mors artis medicæ, eloquentiæque,
Et sacræ sophiæ decus, leporum
Cunctorum, & salium patrem, nocentem
Nullis, quin potius viros iuuantem
Cunctos, quid rapuisti iniqua Vidum?
An mortalibus inuidens, timensq;
Posthac ne ad libitum amplius liceret
Grassari in miseros tibi, docente
Illo rem medicam eloquenter, atque
Sic illam faciente, vt hinc ad orcum
Iam transmissam animam auocarit, vtq;
Labentem retinere sæpe vitam
Hinc visus fuerit, virum necasti?
Famam non tamen illius necasti,
Nec laudes. Monumenta, quæ reliquit,
Queis omnis medicina continetur,
Dum current fluuij in fretum; polusque
Dum conuexa alet astra, permanebunt.

FRANCISCI SANLEOLINI AD FRANCISCVM Magnum Ætruriæ DVCEM II.

Castoris, Alcidæ, Bacchi, Magniq; Quirini,
Plura quòd in populos commoda quisq; suos
Edidit, æternum est nomen, cœloq; locati
Templa quoq; in patrijs promeruêre suis.
Clarior at terras Franciscе ferêris in omneis,
Post cinerem sacra dignior Æde coli;
Si, quod de tota Vidius ratione medendi
Scripserat, in toto iusseris orbe legi.

Eiusdem in laudem Auctoris.

Acceptam a Græcis Medicinam cuncta tulerunt
Secula: eam genti Græcia prima dedit.
Nunc tandem a Vidio reuocatam in luminis oras
Acceptam a Tuscis sæcula cana ferent.

INDEX

INDEX EORVM QVAE IN SEPTEM LIBRIS VIDI VIDII DE FEBRIBVS CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS.

Qui est de febribus in vniuersum.



VÆ superſint tractanda in opere de curatione generatim cap. I. à carte 1.
De nomine, & definitione febris. cap. II. 2.
De cauſis febris in vniuerſum. cap. III 8.
De ſymptomatibus ſequentibus febrem in vniuerſum. cap. IIII. 11.
De differentijs febrium in vniuerſum. cap. V. 13.
De ſignis ad febrem in vniuerſum attinentibus. cap. VI. 16.
De operibus neceſſarijs ad curandā febrem in vniuerſum. cap. VII. 19.
De inſtrumentis ad curandam febrem in vniuerſum attinentibus. cap. VIII. 22.
Diuiſio febris in vniuerſum in ſua genera. cap. VIIII. 27.

LIBER SECVNDVS.

Qui eſt de febribus diuerſis.

QVID ſit febris diaria, & quot ſpecies amplectatur. cap. I. 32.
De cauſis febris diariæ. cap. II. 35.
De ſymptomatibus febris diariæ. cap. III. 39.
De differentijs diariæ febris. cap. IIII. 40.
De ſignis diarię febris. cap. V. 41.
De ſignis cauſarum diariæ. cap. VI. 45.
De prognoſtico diariæ febris. cap. VII. 48.
De curatione diariæ febris in vniuerſum. cap. VIII. 50.
De curatione diariæ ſynochæ. cap. VIIII. 53.
De curatione cauſarum diariam efficientium. cap. X. 54.
De curatione diariæ febris coniunctę cum affectibus, quos præteritę cauſæ reliquerunt. cap. XI. 57.

LIBER TERTIVS.

Qui eſt de his quę in vniuerſum pertinent ad cognoſcendas febres in humoribus putribus reſidentes.

DEFINITIO febris in humorum putredine conſiſtentis. cap. I. 60.
De putredine, & cāuſis febris conſiſtentis in humoribus putribus. cap. II. 62.
De ſymptomatibus ſequentibus in vniuerſum febrem ab humorum putredine ortam. cap. III. 67.
De differentijs febrium humorum putredinem ſequentium. cap. IIII. 72.
De cauſis differentiarum febrium illarum, quæ ab humorum putredine oriuntur. cap. V. 78.
De recognoſcenda febre ex humorum putredine orta in vniuerſum. cap. VI. 82.
De recognoſcendis cauſis, & ſymptomatibus febrium in humoribus putribus conſiſtentium. cap. VII. 84.
De recognoſcendis differentiis febriū in humorū putredine conſiſtentiū. c. VIII. 86.
De futuris præſagiendis in febre ab humorum putredine orta, & primum de euentu. cap. VIIII. 90.

De

De præcognoſcendis differentijs euentus temporis ſcilicet, modi, & ſtabilitatis in febre à putridis ſuccis profecta. cap. X. 100.

LIBER QVARTVS.

Qui eſt de ratione curandi febres ab humorum putredine ortas.

DE operibus, & inſtrumentis in vniuerſum requiſitis ad curandam febrem in humorum putredine conſiſtentem. cap. I. 110.
De cõſeruatione viriũ, & ratione victus ĩ febre ab humorũ putredine orta. c. II. 113.
De refrigerantibus, & madefacientibus ad febrem adhibendis. cap. III. 123.
De ſuccis ſemiputribus per coctionem curandis. cap. IIII. 125.
De putredine ex corpore educenda. cap. V. 128.
De curatione obſtructionis, & adſtrictionis prohibentis perſpiratum. cap. VI. 135.
De curatione ſymptomatũ ſequentiũ febrem ortã ab humorũ putredine. c. VII. 136.
Quid in curatione poſtulẽt differẽtię febris humorũ putredinẽ ſequẽtis. c. VIII. 143

LIBER QVINTVS.

In quo tractantur ſpecies febrium in humoribus putribus conſiſtentium.

QVOT ſint ſpecies illarũ febrium quæ ſequũtur humorum putredinem. c. I. 146.
De febre orta à ſanguine putreſcente. cap. II. 148.
De febribus ortis à flaua bile putreſcente. cap. III. 153.
De febre tertiana intermittente. cap. IIII. 156.
De febre ardente, & tertiana continua. cap. V. 160.
De febre orta ex pituita putreſcente, & primo de quotidiana. cap. VI. 166.
De febre Epiala cap. VII. 173.
De febre ardente, quam excitat pituita ſalſa. cap. VIII. 175.
De febre quartana. cap. VIIII. 177.

LIBER SEXTVS.

Qui eſt de febribus ſpurijs, compoſitis, & peſtilentibus.

QVÆ differentiæ febrium tractentur in hoc libro. cap. I. 184.
De febribus ſpurijs. cap. II. 184.
De febribus compoſitis. cap. III. 188.
De hæmitriteo. cap. IIII. 189
De febribus peſtilentibus, & de contagione. cap. V. 193.
De febribus non verè peſtilentibus. cap. VI. 209.
De febribus quibus ſuperueniunt maculæ quædam cutis veluti lentes. cap. VII. 211
De febribus quibus morbilli & variolæ ſuperueniunt. cap. VIII. 214.

LIBER SEPTIMVS.

Qui eſt de febre Hectica, & Tabe.

PROPOSITVM huius libri, & quid ſit hæctica febris. cap. I. 221.
Species ac differentiæ febris hæcticæ. cap. II. 224.
Cauſæ febris hæcticæ. cap. III. 226.
De ſymptomatibus febris hæcticæ. cap. IIII. 229.
Signa & prognoſticum hæcticæ febris. cap. V. 231.
De curatione febris hæcticæ. cap. VI. 235.
Quid ſit maraſmus .i. Tabes, & quas ſpecies ac differentias habeat. cap. VII. 240.
Cauſæ Tabis. cap. VIII. 242.
Symptomata Tabis. cap. VIIII. 245.
Signa Tabis. cap. X. 245.
De curatione Tabis. cap. XI. 251.

Finis indicis eorum quæ continentur in ſeptem libris Vidi Vidij de Febribus.

VIDI VIDII DE FEBRIBVS.

LIBER PRIMVS.

QVI EST DE FEBRIBVS IN VNIVERSVM.

Quæ supersint tractanda in opere de curatione generatim. Caput I.



VAECVMQVE ad id quod institutum est referuntur, pertractari omnia coniuncte debent: si qua tamen pars adeò magna ac multiplex est, vt in ea explicanda multo longior ponenda sit oratio, quam in reliquis omnibus, tantum attingi debet in perpetua tractatione cum cæteris, nè si contexta cum illis vberrime explicetur, verborum ac sententiarum copia legentis mens adeò obruatur, vt nequeat in memoriam redire & reliquarum partium, & eius quod præcipue propositum erat, sed repetenda eadem est deinde in proprio opere, diutiusq; in ea commorandum, vt quod alibi inchoatum erat absoluatur: hoc tam ab historicis quam à philosophis, & medicis obseruatur. Qui historiam conscribunt, quædam bella & ciuiles quasdam coniurationes, in quibus volunt mentem totam versari, & diutius insistere, à perpetua tractatione seiungunt. Aristoteles cum in opere de anima, sensum vnà cum alijs animæ facultatibus proposuisset, seorsum deinde in vno libro quem de sensu composuit, omnia quæ ad ipsum pertinent colligauit. Cumq; ad rempublicam aliquomodo spectaret etiam res familiaris, hanc seorsum persequi voluit in libro quem oeconomicum inscripsit. Galenus cum in libro de symptomatum differentijs horrorem & tremorem vnà cum alijs symptomatibus proposuisset, vtrumq; deinde dilatauit in vno libro quem de ipsis composuit. hoc idem & nobis faciedum est, nam cum chirurgiam conscribemus cuius pars [a] est anathome, si hanc coniuncte cum alijs ex-

[a] Vidus l. 14 de cur. gen. parte prima cap. 4.

plicare quantum res poſtulat volemus, longior erit hæc ſola pars chirurgiæ quam reliquę omnes, quamobrem vnà cum alijs, eatenus declaranda eſt, vt intelligatur quid ſit & quo pacto ad chirurgiam referatur, deinde ſeparatim in vno volumine vberrime explicanda. Nunc etiam cum in ſuperioribus [a] libris generatim morborum omnium ſpecies, differentias, cauſas, ſymptomata, ſigna, & curationem ſeorſum explicauerimus, quoniam nonnulli ſunt qui longiorem tractationem deſiderant, alios libros conſcribere opere præcium iudicauimus, in quibus illi latiſsime tradantur, & vnum ſub aſpectum ponantur quæ ad vnum quemque pertinent, atq; hoc pacto exerceatur ea methodus ſpeciatim quę generatim tradita eſt: ſunt autem morbi ad quos reuerti oportet, febris, tabes ſeu ſiccitas vniuerſi corporis, repugnantia totius ſubſtantiæ: tumor præternaturam: exitus articulorum à ſua ſede: ſolutio vnitatis: ordiemur à febre, quę vt ſiquis alius morbus vulgaris eſt, & ſepe grauiſsima, adeo vt qui moriuntur niſi trucidentur, ferè omnes febricitent: hinc vetus prouerbium in eos qui moleſti ſunt & iniurij, vis ſine febre mori? Quod ſi hæc à nobis vberrime tractata fuiſſet ſuo loco, videlicet vbi egimus de morbis ſimplicium partium, & proprie de immoderata temperatione calida, quæ (ſi eſt in toto [b] corpore) dicitur febris, mentem legentis adeò longitudine tractationis obruiſſemus, vt vix potuiſſet ad reliquas immoderatas temperationes deinde reuerti, earum omnino oblitus: in febribus autem tractandis, ante quæ communia ſunt declarabimus, deinde ad [c] ſingulas ſpecies pergemus; primò autem pro vt conſonum eſſe alibi diximus perſequemur cognitionem curandorum, deinde rationem curandi.

[a] Vidus in prima parte de curatione generat.

[b] Galen. l. de cauſ. morb. cap. 2.

[c] Vidus l. 3. inſtitut. c. 2

De nomine & de finitione febris. Cap. II.

IN omnibus quæ ratione docentur ac via, primo cõſtituendum eſt [d] quid illud ſit quod proponitur, quò ſpectat definitio, quà vt cuiuſq; alterius rei, ſic etiam febris nunc nobis propoſitę notio explicatur: recte autem colligitur eius definitio ex nomine, dicitur enim latine febris à feruore, quaſi feruidus calor, græce [e] πυρετὸσ ἀπὸ τοῦ πυρός, hoc eſt ab igne quaſi igneus: illa verò febris quę vehemens eſt, vocatur ab Hippocrate [f] πύρ hoc eſt ignis, itaut ex vi nominis intelligere liceat febrem eſſe calorem feruentem ſeu igneum. Idem colligitur ex notione communi omnium, neq; .n. medici duntaxat, ſed ignari homines etiam, cum ingenti calore detinentur, dicunt ſe febricitare. Eſt igitur febris calor feruidus ſiue igneus. Conſtat autem calorem in animantibus non

[d] Plato in hippia

[e] Gal. 3 l. de fracturis. com. 8.

[f] Hipp. 3. 3. epidem Tex. 11.

ſemper

semper æqualem deprehendi, sed sepe moderatum & suauem, interdum immoderatum & in suauem, ille innatus [a] est, hic aduentitius: innatus præterea [b] duplex est, insitus & influens; insitus calor impertitur partibus nostris à semine & sanguine menstruo, ex quibus principijs [c] procreamur: influens ijsdem distribuitur per arterias & venas à corde & iecinore, inest .n. in sanguine & spiritu qui funditur in vniuerso corpore: ex insito & influēte vniuscuiusque partis tertius quidam fit, qui similiter [d] dicitur innatus, pertinet ad hunc calorem, primo vis gignendi [e] & procreandi, tum alendi, augendi, ac sustinendi corpora nostra: quamdiu .n. remanet in nobis, tam diu remanet sensus [f] & vita: refrigerato & extincto refrigeramur ipsi & extinguimur. Aduentitius calor quem diximus immoderatum esse & in suauem, non innascitur nobis, sed superuenit, prēternaturam quidem ex illis causis quæ ignis modo calefaciunt corpora, naturaliter autem ex alimento quod procedente ætate diutius sumimus, atque hoc plurimo redundant iuuenes, [g] sicuti pueri innato. Qui præter naturam est, tantum abest vt vitalis sit, vt quocumq; inuasit omnia [h] conturbet ac dissipet, sitq; confector omnium & consumptor, id circoq; aduentij caloris nomine hunc tantum deinceps significabimus. Ille autem quem naturaliter, aduenire diximus, licet quatenus ab eo qui ex semine & sanguine emanauit diuersus concipitur, aduētitius appellari queat, tamen quoniam innato valde affinis est, & cum eo in vnam quandam substantiam conflatus miscetur, probeq; fungitur vitæ muneribus, sub innati nomine absolute continetur. Calor igitur innatus & aduentitius ille prēternaturam plurimū videntur inter sè distare: at non propterea sunt diuersæ speciei, sed sub eadem ambo comprehenduntur, sunt .n. primarum qualitatum quatuor imę species, calor, frigus, humor, siccitas, calori subijcitur tam innatus quam aduentitius, neq; .n. differt vnus ab altero quatenus calor est, sed quatenus vel moderatus, & ideo naturæ nostræ similis & amicus, vel igneus, & idcircò eidem dissimilis atq; inimicus. Cum igneum dico non est quod intelligas simpliciter igneum, siquidem cum tali, vita ne momentum quidem temporis seruatur, sed mixtum ac fractum, adeò tamen immoderatum, vt accedere ad naturam ignis videatur: huiusmodi est ille quo febris [i] cōtinetur, immoderatus videlicet & ad ignis naturam vergens, non tamen omnino igneus, cum febricitantes sub eo sepe diutius viuant, & compluribus vitę muneribus fungantur, interquæ illa interdum maxime euidentia sunt quod concoquunt, aut expellūt putres & noxios succos qui febrem accendūt: Nequeunt opera hæc proficisci à calore penitus igneo, sed sequun

a Gale. 4. 6. epid. com. 25.
b Vidus l. 6. de tu. val. mēbr. c. p.
c Galen. p. de tuen. valet. cap. 2.
d Vidus l. 6. de tuen. val. membrat. cap. p.
e Ga. p. aphoris. com. 15
f Aristo. l. de respira. c. 4.
g Galen. p. aphorism. com. 14. & l. 2. de temperam. c. 2.
h Gale. l. 11. meth. ca. 8.
i Galen. 4. 6. epid. 25.

tur remiſſum & medium quodammodo inter innatum & aduentitium, qualis eſt calor febrium pręſertim ſalubrium, nam illæ quæ pernicioſæ ſunt, videntur igneo magis quam medio calore contineri, nec eſt quod propterea dicas vt quibuſdam placet, in febricitate duos eſſe calores, vnum innatum, alterũ aduentitium: ſiquidem calor cũ ad vnam duntaxat ſpeciem referatur (vt [a] iam oſtendimus) non poteſt duplex eſſe in eadem materia: poteſt eadem accipere plures diuerſorum accidentium formas, vt figuræ, coloris, & primæ alicuius qualitatis, non tamen plures eiuſdem ſpeciei, nam hæ multiplicantur tantum multiplicata materia, à quà diuerſa diſtinguuntur, & diuerſa numero fiunt: quamobrem in febricitante vnus tantum calor adeſt, hic autem eſt medius inter innatum & igneum, ſiue (vt tam Græci [b] quam Arabes [c] philoſophi ac medici clariſsimi voluerunt) innatus conuerſus in igneum: ſolidæ .n. partes quibus proprię [d] tribuitur morbus, & propterea febris immoderate caleſiunt, quod nimis accendatur innatus earum calor, & vergat ad igneum, quo minus autem recedit ab innato ac moderato, eò magis perficit munera vitæ. Quò magis igneus fit, eò minus: adeo vt vbi talis redditur, omnia perturbet [e] & conficiat. Calor igitur in quò febris continetur, eſt innatus [f] conuerſus in igneum, ſicut & opera [g] quæ ab ipſo efficiuntur media ſunt, non ſecus atq; in abſceſsibus ſuppuratio, quæ medium quoddam eſt inter alimentum & putredinem, & à medio calore proficiſcitur. Cum Galenus [h] febrem definiuit conuerſionem innati calidi in igneum, abuſus eſt nomine conuerſionis, ſignificare volens quod mutatum eſt & non mutationem, ſicuti cum [i] alibi tradidit febrem fieri ex conuerſione caloris innati in igneum, tunc .n. proprie vſus eſt conuerſionis vocabulo ad mutationem notandã ex quà oritur febris: quę cum ſit morbus, non eſt mutatio, ſed res mutata, eſt .n. qualitas, & ex numero permanentium, non ex his quæ fluunt ſicut motus, ſed gignitur per motum, quemadmodum per conuerſionem innati caloris in igneum. Ne queo ſatis mirari illos qui exiſtimant ideo febrem vere mutationem & conuerſionem eſſe ad igneam qualitatem, non formam & qualitatem iam acquiſitam, quod calor febricitantium non dum peruenerit ex toto ad formam ignis, quaſi non poſsit eſſe qualitas ignea iam inchoata & non dum abſoluta: hac igitur continetur febris & non conuerſione ad ipſam, eſtq; omnino febris innatus calor vergens ad igneum. At non quouis modo vergat ad igneum innatus calor febris eſt, ſed cum adeo igneus redditur, vt vitæ muneribus officiat: ille qui nondum eò peruenit vt actiones lędat, neq; febris cenſetur neq; morbus, [k] neq; .n. dicuntur febrici

tare

[a] Paulo ante

[b] Galen. p. aphoriſmorum com. 16.

[c] Auerr. l. 3. Collig. c. 3.

[d] Auicenn. l. p. f. p. cap. de ſubiectis

[e] Gal. 11. methodi. ca. 8.

[f] Galen. p. aphoriſmorum. com. 16.

[g] Galen. 2. aphoriſmorum. 47. com. & 5. ſimplic. ca. 6. & p. prognoſt. com. vltimo.

[h] Galen. p. aphoriſmorum com. 16.

[i] Gal. p. acut. com. 18. & p. aphoriſ. com. 14.

[k] Galen. de diff. morborum cap. 7. & 1. artis medic. ca. 8

citare qui ex labore, ex ira, ex æstu concalescunt ante consuetorũ munerũ vacationem: quare febricitantium calor eatenus necesse est ad igneum vergat vt vitæ munera impediat. Potest quidem igneus calor febricitantium non solum lædere, sed etiam labefactare actiones nostras omnes, cum & in corde ac in vniuerso corpore versetur (vt paulo post docebimus) & efficacissimus sit, præsertim vbi valde ad igneum accedit: non tamen necesse est omnes lędat, sepe.n. restituit ablatas, perficit imminutas, corrigit deprauatas: sanat.n. superueniens neruos [a] resolutos & distentos: [b] sanat torpentes & attonitos: succurrit dolori [c] quemadmodum Hippocrates testatur, id quod febris efficit vbi actionum noxa vel ab immoderato frigore proficiscatur cui opponitur igneus calor, vel à crudis & concretis succis & à flatu, qui ab eodem concoquuntur ac dissipantur. Scribit Plato [d] in Timeo affectus ac distentiones à flatu, superueniente febre sanari: nec mirũ etiam videri debet si ob eandem causam hæbetem sensum excitat, aut motum imbecillum confirmat. Gaudent etiam actiones aliquæ calore magis quam frigore, sicuti contra, aliquæ magis frigore quam calore labefactat: tamen maximus [e] cuiuslibet elementi excessus quamuis actionem, id quod potissimum facit calor igneus cum efficacissimus sit, qualis est interdum ipsius febris, sed semper lædit aliquam actionem licet non ita vehemens sit vbi autem actiones lædantur, necesse est aliqua ex parte mutari affectus & qualitates corporis, & aliquid detrudi aut retineri præternaturam perpetuo itaq; febrem sequuntur symptomata, non tamen necessario plurima aut maxima. Non esset autem febris vt ante dictum est nisi innatus calor adeo in igneum verteretur, vt eiusmodi offensas afferret. Illud autem indubium incertum que reuocatur quod febris non videtur sub proposito tantum genere compræhendi, sub calore videlicet igneo, sed etiam [f] sub siccitate, nam cum duplici morbo contineatur, calore & siccitate, duplici quoque genere definienda est: quod autem non tantum sit calor sed etiam siccitas, pluribus argumentis conficitur, & primo quia ignis, non tantum [g] calore, sed etiam siccitate præditus est, quare vbi est calor igneus quemadmodum in febre, debet etiam esse siccitas: deinde quod immoderatus calor humorem absummit, & euidenter exsiccat corpus inquo versatur, & eo magis quò maior fuerit: si siccat ergo etiam siccauit, neq;.n. fit mométo temporis & vt præclare ostensum est ab Aristotele, [h] cum verè dicitur moueri aliquid, vere etiam dicitur motum esse: si ergò igneus calor siccat, siccauit etiam corpus febricitantis, itaut siccitas in ipso copuletur cum calore. Accedit ratio curandi per

a Hippoc. 2. aphorismorum. 26.
b Hippoc. 5. aphorismorum. 5.
c Hippoc. 7. aphorism. Tex. 52.
d Plato in Timeo.
e Galen. 2. aphorism. com. 22.
f Galen. p. acutorum. com. 18.
g Aristo. l. 2. de ortu. & interitu. Tex. 16. & 23.
h Aristot. 6. phisic. non lõge a principio.

humida [a] præſidia, victus humidus inquit Hippocrates [b] omnibus febricitantibus conuenit, quare ſi auxilium non modo frigidum eſſe debet ſed etiam humidum, neceſſe eſt febrem cui tanquam contrarium opponitur, non tantum calorem eſſe ſed etiam ſiccitatem. At res aliter ſe habet, cum conſtet quaſdam febres valde humidas eſſe, quales illæ ſunt quæ [c] τυφώδεις & ἑλώδεις græce nominantur, ſub quibus à primo ſtatim die ægrotantes largius ſudant, nihilq; propterea aut certè quam minimum leuantur: contra, quaſdam valde ſiccas, itaut ingentem ſitim afferant, linguam ſcabram, [d] cutim corij inſtar duram, & corpus vniuerſum aridum efficiant: quamobrem tenendum eſt febrem perpetuò calorem eſſe, non tamen perpetuo ſiccitatẽ, diluendaque argumenta ſunt quæ monſtrabant ſiccitatem cum calore neceſſario copulari. Quod igitur primo dicebatur igneum calorem eſſe ſiccum, concedendum eſt vbi valde igneus ſit & verſetur in corpore non valde humido, ſed minus ardens calor qualem præſefert febris lenta, & in corpore quod multis humoribus redundet, non neceſſario iungitur cum ſiccitate. Quod etiam adducebatur, igneus calor ſiccat, ergò ſiccauit, concedendũ eſt, verum vbi corpus humidum ſit, ea ſiccitas non dum tanta eſt vt mediocritatem ſuperet, aut actiones lędat: quin per calorem eiuſmodi corpora potius ad mediocritatem inter humorem & ſiccitatem perueniunt, quam ad nimium ſiccitatis exceſſum. Poſtremum erat argumentum ſumptum ab auxilijs non tantum frigidis, ſed etiam humidis, quæ cum febricitantibus aptentur videntur indicare febrem non tantum calore, ſed etiã ſiccitate contineri: diluitur autem quod non valeat, aptantur ſemper humida febri, ergo febris ſemper eſt ſicca, opponuntur .n. non tantũ ſiccitati prędenti, ſed etiam futurę: recte .n. traditum eſt ab ab Hippocrate [e] quę ſuquentia morbos ſanant, antegreſſa prohibent. Præterea vt quę ſiccant calorem acriorem reddunt, & ſiccitatem non inepte [f] veteres dixerunt cotem caloris, ita quæ madefaciunt vim eiuſdem frangunt ac remittunt, atq; hoc pacto aptantur humida febricitantibus vt retundentia calorem, & idcirco refrigerantia. Perducta igitur iam eſt ad exitum tota quęſtio de ſiccitate, paterq; febrem definiendã eſſe calorẽ duntaxat adeo igneum vt lædat actiones: hoc autem totum eſt proximum genus quod cũ vno nomine vacet pluribus explicatur: ſumitur autem à formacum definiuntur accidentia, ſicuti à materia cum definitur ſubſtantia: contra differentiam in definitione ſubſtantię [g] ſuppeditat forma, in definitione accidentis materia. Febris cum qualitas ſit & accidens quoddam definienda eſt differentia ſumpta à materia, quæ adijciatur generi quod eſſe diximus formam, & igneum

calorem

a Gal. p. acu. com. 18.
b Hippoc. p. aphoriſm. Tex. 16.
c Gal. contra lycum c. 2.
d Hippoc. 4. acutorum. Tex. 4. & 13.
e Hipp. 3. 6. epid. Tex. 40.
f Auice. qua de complexionibus.
g Ariſt. 7. diuinorum.

calorem lædentem actiones. Materia inqua versatur eiusmodi calor, est corpus [a] nostrum vniuersum: refertur. n. febris inter morbos cõmunes totius corporis & non inter proprios alicuius partis: residet autem per se in omnibus partibus simplicibus, & per has in multiformibus, earum .n. partium per se est temperatio [b] immoderata, quarum est moderata: hæ autem sunt simplices quæ ex quatuor elementis componuntur, nam multiformes constant ex simplicibus, ob quas vt moderata temperatione fruuntur, ita etiam immoderata detinentur. Versatur igitur febris per se in partibus simplicibus omnibus totius corporis, & per has etiam in omnibus multiformibus. Huic sententiæ illud aduersatur quod non nullę partes febricitantium quorundam frigidę sentiuntur, veluti extremæ initio [c] accessionum, quæ tunc inalgescunt quam uis homo febricitet, veluti etiam externę in febribus malis in quibus interne vri [d] videntur. Pręterea vbi sit magna copia crudæ pituitæ, tam internæ quam externæ eodem tempore & calidæ & frigidæ sentiuntur: in nulla ergo propositarum febrium calor occupat vniuersum corpus, cum quędam partes euidenter frigidę sint. Ad hæc dicendum est calorem febricitantium semper accendi in thorace quemadmodum Hippocrates [e] scripsit, hoc est in corde, & inde per arterias in vniuersum corpus distribui quomodo & innatus ille distribuitur, qui per easdem arterias à corde influit in vniuersum corpus, quamobrem vbi homo febricitat, cum calor in corde igneus fiat, par est similem reddi in vniuerso corpore, nisi sit quod prohibeat: prohibet autem initio accessionis concursus spiritus & sanguinis, & idcirco caloris ad medias partes: quò fit vt extremę à quibus recedit, non solum non calefiant, sed etiã [f] aperte refrigerentur; prohibet in malis febribus igneus calor viscerum qui adeo vehemens est, vt cucurbitulæ modo alliciat spiritum & sanguinem, & idcirco calorem à partibus externis, quo fit vt remaneant frigidæ: prohibet idem & copia crudorum succorum qui distributi per vniuersum corpus, non possunt ęqualiter omnes in calescere, sed pars ipsorum quę tenuior est prius calorem concipit, quę crassior tardius: quare eedem partes simul [g] calidæ & frigidæ videntur. Materia igitur, quæ calorem igneum febris accipit, est cor, & idcirco vniuersum corpus nisi quid prohibeat, necessario .n. accenditur in corde, alioquin [h] non esset febris, non tamen necessario incipit à corde cum possit in quouis febrium genere primo accendi in [i] alia parte & inde ferri ad cor vnde postea in vniuersum corpus distribuatur. Illud autẽ obliuisci non oportet, quod cum triplex sit genus substantiæ vt in reliquis partibus ita etiam in [k] corde, non necesse est quodlibet

Nota

a Galen. de cauſ. morb. cap. 2. & l. de curatione peruenę ſectio. ca. 5. Vidus l. 4. de curatione gene. c. 2. par. p.

b Vidus l. 4. de curatione gene. c. 2. par. p.

c Gal. 2. prognoſt. cõ. 4.

d Gale. l. de. inæquali intemperie. cap. 8.

e Hippoc. 4. acutorum. 39. & Galen. p. acut. com. 18. & 10. meth. c. 8.

f Gal. 2. prognoſtic. cõ. 4. & Hipp. 4. acut. 39.

g Gal. de inequali intẽperie. ca 8.

h Gale. p. de differ. febr. cap. 3.

i Hippocr. 4. aphoriſmorum. 55. & Galen. 10. meth. ca. 8.

k Gale. p. de differ. febr. cap. p.

vbi homo febricitat inflammatum esse, sed sepe vnum inflammatũ est, reliquà duo inflammantur: quamobrem fit [a] aliquando pulsus febricitantium inæqualis, quod non omnis substantia cordis calefacta sit, sed aliqua duntaxat, dum reliqua quæ adhuc friget incalescit. Sed longius labimur in exponenda febris definitione: constituamus febrem esse calorem innatum [b] ad igneum adeò vergentem vt lędat actiones, versariq; semper in corde, plerumq; etiam in vniuerso corpore.

a Gale. 3. de prędagitione pulsuum. cap. 5.

b Galen. p. acu. com. 18. & 2. meth. cap. 7.

De causis febris in vniuersum. Cap. III.

ALTERVM præternaturam quod de febre in vniuersum explicare oportet, causa est à quà proficiscitur, effectrix videlicet, neq; .n. nunc materiam aut formam inquirimus quæ proxime ex positæ sunt in definitione. Causa igitur quæ febrem efficit est multiplex illa à quà supra [c] in libro de morborum causis generatim calidum morbũ oriri demonstrauimus, eandem nunc repetentes, ostendemus quo pacto in vniuerso corpore, & non in vna parte duntaxat accendere calorem possit & febrem excitare. Diximus augeri calorem in corpore nostro ab illis causis à quibus augetur in rebus [d] externis, à motu videlicet, putredine, retentione calidæ expirationis. ab eo quò quasi pabulo nutritur, à vicinia rerum calidarum. Eadem omnia accendere febrem possunt si valida sint in quouis homine, si minus valeant, in eo tantum qui febri est opportunus, hoc est qui naturaliter calidus est, si quidem constituimus [e] febrem fieri ex innato calore conuerso in igneum: quo autem maior fuerit, eò magis accenditur & fit igneus, propterea senibus (texte Hippocrate) febres [f] non similiter acutæ fiunt frigidum .n. corpus habent: quare aut non incidunt in febrem, aut non in acutam, aut non nisi à maxima [g] causa, obquam in summo periculo versantur. Contra qui plurimum habent innati calidi, leui etiam de causa sępe incidunt in febrem, eamq; [h] in acutam. Vbi naturaliter calor non solum plurimus sit, sed etiam acris qualis est in iuuenibus, à quibus acriores fuligines exhalant, eiusmodi homines maxime febribus etiam ardentibus exponuntur, & ob quamuis causam febricitant. Ex temperationibus, [i] illa quæ calida & sicca est, maxime obnoxia est febri, deinde illa quæ calida & humida, tum quæ calida tantum, post hanc quę media in calore ac frigore, dein illa quę tantum excedit in humore, postremo illa in quà superat frigus siue cum humore, siue cum siccitate, siue cum mediocritate inter hęc iungatur. Causæ autem à quibus diximus calorem in nobis augeri, si debent febrem

c In cap. antecedenti.

d Galen. 1 de caus. morb. cap. 2.

e In cap. antecedenti.

f Hippoc. p. aphorism. 14.

g Gale. in eo comento

h Galen. ibidem.

i Gal. 8. meth. c. 7. & 8.

brem accendere, neceſſe eſt calefaciant cor adeò vt vitæ [a] munera offendantur, nam vbi hęc ſecundum naturam ſeruentur, non dum ægrotat homo: tum vbi calor in alia parte augeatur & non in corde, poterit quidem eſſe morbus calidus, non tamen febris. Motus vt ab hoc ordiamur, non ſolum exercitationem corporis complectitur, ſed perturbationem quoque animi, vbi diutius ac vehementer moueamur calefiunt præcipue muſculi & articuli, ſed ſimul etiam arteriæ quę iuxta ſunt, per has calor impertitur cordi, in quò ſi adeo augeatur vt reſpirationem maiorem, celeriorem & magis crebram deſideret, eiuſmodi motus tunc primum [b] exercitatio appellatur: quæ ſi perſeueret degenerabit in laborem, ob quem ita in corde augetur aliquando calor, vt actiones lædat & ſit febris. In animi perturbationibus mouetur ſubſtantia calidi innati [c] vel ab externis partibus ad internas, vt in metu & ęgretitudine, vel ab internis ad externas, vt in ſpe & gaudio: quanto autem maiores fuerint animi perturbationes, tanto magis mouetur & efferueſcit, præſertim in corde ad quod illæ potiſſimum attinent, & maxime ira, quæ feruor ſanguinis eſt in corde: eiuſmodi ergo motus, vbi validior fuerit febrem concitat. Putredo vt in rebus externis, [d] quemadmodum inſtercore calorem excitat, ita etiam in nobis, id quod vel ex ſuppuratione perſpicuum eſt, euidenter .n. incaleſcit pars illa in qua vertitur aliquid in pus: quod ſi ſuppuratio vel magna fuerit, vel prope [e] arterias grandiores, tantum calorem cordi impertit vt febrem afferat. Calida expiratio quæ ex corpore naturaliter exhalare ſolet, interdũ retinetur, quod vel adſtringantur vel obſtruantur, aut parua foramina [f] cutis, aut interni canales. Prohibita autem effluere, calorem auget in loco vbi retinetur, præſertim ſi fuliginis modo acris fuerit, inde per arterias fertur ad cor, cuius calorem [g] igneum efficit, & excitat febrem, in corpore adſtricto vel obſtructo relinquitur vapor excitatus ab humoribus feruẽtibus qui febrem prius accenſam fouet, non ſolum per ſe quatenus manet, ſed etiã quatenus adurit quæ proxima ſunt. Non poſteſt autem obſtructio excitare febrem niſi quod tranſpirat copioſum ſit & calidum: ad eiuſmodi retentionem refertur ſatietas, ocium, cruditas, ſub quibus tanta fit obſtructio, vt non poſsit calida expiratio exhalare, ſed retenta febrem efficiat. Pabulum noſtri caloris ſuppeditant eſculenta & poculenta multa, non tamen adeo vt ipſum [h] ſtrangulent, nam ſic extinguitur calor inquit Hippocrates, perinde atq; à lignorum multitudine ignis exiguus, qui tamen augetur vbi illa proportione ipſius adijciantur. Eadem ratio eſt noſtri caloris quem auget cibus & potio ſi moderate ſumantur, ſuffocat

a Gal. 2. methodi ca. 7.

b Gale 2. de tuen. val, cap. 2.

c Galen. 4. de cauſis pulſum à principio.

d Galen. de cauſ. morb. cap. 2.

e Hippoc. & Gale. 4. aphoriſmorũ. Tex. com. 55.

f Gal. 8. methodi. ca. 2.

g Gal. 9. meth. cap. 3.

h Hippoc. p. aphoriſ. 14

focat si immoderate, vt ebrijs aliquando accidit: at dicet quis ab esculentis & poculentis reddi calorem nostrum plurimum quod attinet ad substantiam, sed non propterea igneũ & in febrem conuerti; cui respondebimus esculenta & poculenta calidiora interdum sumi, vt aromata & vinum vehemens vetus, à quibus non tantum augetur substantia calidi innati, sed qualitas etiam adeo redditur ignea, vt vertatur in febrem, vbi autem dentur moderate calida nequeunt tanquam pabulum cõuertere innatum calorem in igneum, sed solum vbi multa sint obstruendo & retinendo calidam expirationem. Vicinia restat rerum calidarum, vt aeris [a] à sole vel ab igne calefacti, penetrat hic ad cor, cum attrahitur partim à pulmone, partim eb externis arterijs: idem facit calor medicamentorum quæ extrinsecus imponuntur, penetrat.n.per arterias similiter ad cor & febrem accendit. His quinq; causis à quibus augeri calorem in externis rebus monstrauimus, accedit sexta, inedia [b] nimirum, sub quà propriè in animalis corpore calor accenditur, ad nullam autem propositarum videtur posse referri cum non motus, non putredo, non retentio calidę expirationis, non pabulum sit aut vicinia rerum calidarum. Constat autem ob inediam efferuescere bilem [c] & mordere os ventriculi, tum vsq; adeo incalescere corpus nostrum vt incidat in febrem, præsertim si bilioſum fuerit: huiusmodi ergò sunt causæ quę nos calefaciunt, & in febrem compellunt. Vertitur autem in dubiũ quò pacto quæ calida non sunt vim habeant calefaciendi, cum nõ modo substantia, sed etiam quod substantiæ accidit (vt à philosophis [d] demonstratum est) ab aliquo simili procreetur. Debet igitur calor fieri à calore: ex causis autem quas commemorauimus sola vicinia rerum calidarum calore, calorem auget, augeturq; calor per contactum rei calidæ: quomodo igitur reliqua possunt calorem augere? Respondendum est, per se [e] & proxime calorem augeri tantum a rebus calidis, à quibus materia similem accipit formam, ab alijs verò non proxime sed aliquò medio interiecto: quamquam alia quoq: ad rem calidam referuntur, quicquid.n. efficit non proxime, necesse est ad aliquod redigatur quod proxime efficiat: redigũtur itaq; cuncta illa quę calorem augent non proxime, ad rem calidam, tanquam ad proximã causam nam retentio calidę expirationis per materiam retentã quæ calida est, calorem auget: pabulũ propterea quod conuertitur in rem calidam: putredo & motus aliquomodo ad pabulum caloris spectat, siquidem in putredine circunfusus calor internæ rei quæ putrefit, vnà cum calore humorem euocat quò pascitur, & tanquam à re iam effecta calida augetur: motus verò atterit atq; extenuat

materiam

[a] Gal. p.1.de differeni. febrium c.4.

[b] Gal. 8. methodi. ca.2.

[c] Gal. de venæ sectione contra Erasistratum. cap.4.

[d] Aristo. l.7. diuinorum Tex. 30.

[e] Supra l. 2. de curatione gener. c. x. par.p.

materiam ex quà calor nutritur, vt idonea sit quæ facile ipsi alimentum suppeditet: inedia quamquam minus videtur, tamen ipsa quoq; redigitur ad rem calidam, & eatenus nos calefacit atque excitat febrem, id quod facile intelligetur si in memoriam revocemus quod præclare dictum fuit à veteribus [a] siccitatem esse quasi cotem caloris: ob inediam exsiccatur corpus, & calor destituitur illo humore quem suppeditabant esculenta & poculenta, & à quò retundebatur, cumq; non retundatur amplius, acrior redditur & in calefaciendo efficacior, ita vt afficiat quę proxima sunt, à quibus calefactis tanquam à re calida tandem augetur. Quicquid [b] igitur calorem & febrem excitat, aut calidum est, aut aliquo pacto ad rem calidam refertur.

a Auice. qua de complexionibus.

b Supra l. 2. de curatione gener. ca. x. par. p.

De Symptomatibus sequentibus febrem in vniuersum. Cap. IIII.

SEQVITVR symptoma, quod est tertium præternaturam in vniuersum pertinens ad febrem, quæ cum morbus sit, necesse est [c] actiones lædat, mutetq; tam affectus & qualitates corporis, quam quæ secundum naturam retineri solent aut detrudi, itaut à febre tria symptomatum genera oriantur. Primo quidem ab ea lędi actiones dicimus, quamuis non hæ, sed [d] facultates proximę lædantur, quibus offensis necesse est deinde offendantur actiones quæ ab ipsis proficiscuntur: sed cum facultates sensum lateant, pro ipsis attenduntur à medico actiones lęsæ à quibus patefiunt. Reliqua duo symptomatum genera quæ consistunt in affectibus & qualitatibus corporis mutatis & in his quæ prętternaturam detruduntur aut retinentur, aliquo pacto ad actionum læsionem referuntur, neq; .n. superueniunt nisi hæc adsit, & cum adest necesse est aliqua ex parte superueniant: exempli causa cum lęditur coctio & sanguinis procreatio non remanet color corporis qui prius erat, neq; vrina redditur qualis naturaliter reddebatur. Sed iam tempus est symptomata illa enarrare, quæ superuenire febricitantibus solent. Placuit Auerrhoi [e] à febre lædi quamlibet actionem nostri corporis, ea autem ratione ducebatur, quod cor in quo Aristoteles [f] animæ domicilium esse voluit, distribuat per arterias vitalem spiritum per quem singulæ partes suis muneribus funguntur: febricitantibus innatus cordis calor [g] vertitur in igneum, quò fit vt lædatur eius facultas, nec possit spiritus æquę bonus inpartiri singulis particulis vt ante, quamobrem desunt officio suo & muneri: huc accedit quod non tantum in corde, sed plerumq; etiam in [h] vniuerso corpore febricitantibus innatus calor conuertitur in igneũ, & propterea officit singularum partiũ actionibus, quibus (lęsis, vt diximus) necesse est de naturali statu

c Gale. de arte med. ca. 8. & 2. meth. cãp. 7.

d Galen. l. de differentiis morborum cap. 2.

e Auerr. l. 3. collig. ca. 3.

f Aristot. l. 3. de part. anim. cap. 4.

g Supra ca. 2.

h Galen. l. de caus. morb. cap. 2.

detur-

deturbari affectus & qualitates corporis, & quę naturaliter detru di aut retineri debent: videmus tamen febricitantibus non omnia hæc mala ſuperuenire, ſed quędam non mutari, nonnullas actiones ſeruari integras, nonnullas tantum abeſſe vt offendantur, vt etiam reſtituantur cum [a] ablatæ ſunt, perficiantur cum imminutæ, corrigantur cum deprauatæ: hanc quæſtionem [b] ſupra ſoluimus cum explicaremus definitionem febris quæ eſt, innatus calor adeò ad igneũ vergens vt lædantur [c] actiones: diximus autem vbi adeo immoderatus ſit vt penè igneus fiat, omnes actiones ab ipſo labefactari: ſed cum minus à naturali moderatione recedit, non neceſſario omnes ab eo lædi, idq; duplici de cauſa, vna quia licet omnes actiones à moderato calore perficiantur, quædam tamen gaudent etiam immoderato, quemadmodum ſenſus & motus: altera, quia homo qui in febrem incidit, interdum prius exceſſu frigoris & humoris laborabat, ob quem minus belle quibuſdam muneribus fungebatur, ſed ſuperueniente febre temperatur frigus & humor, & illa ad naturalem ſtatum reuertuntur. Quod autem dicitur de qualibet parte, valet etiam in corde, cuius facultates & munera ob iam dictas cauſas non ſemper omnino labefactantur, ſed ſpiritus qui diſtribuuntur in vniuerſum corpus adhuc vitalem facultatem ſingulis partibus impertiunt, ob quam poſſunt ſuum officiũ facere. Multa igitur ſymptomata non tamen omnia febrem ſequuntur, quæ verò magna ex parte ſequi ſoleant febrem, intelligemus ſi vim ignei caloris quo continetur intueamur. Cum ab vno quatenus vnum eſt, proxime [d] vnum tantum effectum idq; ſimile proficiſcatur, à calore qui vnum quoddam eſt, vnum quoq; ac ſimile expectabimus, nempe calorem, quem concipiunt partes quas proxime attingit, ſed dum calefacit paſcitur humido, & ideo neceſſe eſt quod ab ipſo calefit ſimul etiam ſiccetur: calor igitur primum calefacit deinde etiam ſiccat: ſed cum ita natura comparatum ſit, vt quæ frigore concreſcunt liquentur calore, quæ tenuia ſunt cum à calore cõcoquuntur exhalantibus partibus aquoſis reddantur craſsiora, relaxat etiam calor ac liquat quę denſa & cõcreta ſunt, & propterea videtur madefacere, cogit item quæ tenuia & adſtringit quæ laxa, & eatenus videtur craſsitudinem ac ſiccitatem afferre: recte autem traditum eſt ab Ariſtotele [e] calorem perinde ac vinũ in alijs hominibus alia præſtare: madefit & humidius redditur à calore corpus illud in quo humores concreti liqueſcunt, relaxatur cutis quæ [f] nimium à frigore adſtricta erat: quod laxum & humidum eſt corpus magis exſiccatur & cogitur. Ex his igitur effectis quæ vel proxime, vel aliquo interiecto medio in varijs hominibus à calore proficiſcuntur,

a Supra cap. 2.
b Supra. cap. 2.
c Gal. 2. meth. cap. 7.
d Ariſto. 17. diuinorum Tex. 30.
e Ariſt. 3. problem. 16. & 17.
f Gal. contra Iycum. c. 6.

scuntur, non difficile est colligere quæ symptomata cuiusque generis superuenire febricitantibus soleant. Ex actionibus, à febre quatenus est calor auctus in corde præternaturam, primum læditur pulsus & respiratio, neque.n. seruari potest secundum naturam cũ cor maiori ægeat perspiratu, quamobrem augeri tam pulsum quam respirationem oportet, & primo [a] fieri maiorem, deinde etiam celeriorem, postremo frequentiorem quoque. Quod si febris nanciscatur hominem sicciorem, cum à calore supra modum siccetur, vigilia & sitis accedit. Mutantur à febre affectus & qualitates corporis, humoribus .n. calefactis, color ex subrubro fit ruber, ex pallido flauus, ex flauo fuscus: cutis à calore ex siccata fit dura magis & densa ex molli & laxa: contra verò quæ adstricta & dura ob præcedens frigus erat, laxior fit & mollior à febre: quod attinet ad retẽta & depulsa in corpore naturaliter sicco, aucta ob febrem siccitate, parciora effluunt & plura retinentur quam secundum naturam soleant, ex contrario, si humores in corpore concreti fuerint, superueniente febre, per vrinam, deiectionem, sudorem, redduntur longe plura, & retinentur longe pauciora quam ante, quod fit etiam [b] cum liquantur à calore partes humidiores vt caro & adeps, in febribus ardentibus: in hæticis verò cũ tabe liquãtur partes solidæ ac siccæ & durę: quare parum est quod effluit vt à carnibus siccioribus cum allantur, & id parum non apparet cum vertatur in vapores. huiusmodi igitur sunt symptomata quæ à febre, quatenus febris est proficiscuntur, plura autem & grauiora propriè id genus febris sequuntur quod oritur ab humorum putredine, sed suo loco omnia exponentur, nunc.n. solummodo ea tractamus quæ pertinent ad febrem in vniuersum.

[a] Galen.p.de causis pulsuum cap.5

[b] Gal.x.methn.cap.11.

De differentijs febris in vniuersum. Cap. V.

FEBRES perinde atq; alij morbi, compluribus differentijs distinguuntur, quas tractare operę pretium iudicauimus postquam persecuti sumus causas & symptomata, à quibus ipsarum nonnullæ depronuntur, in vniuersum igitur ex differentijs rerum (vt recte traditum est à Porphirio) [c] quędam faciunt ἄλλο quædam ἄλλιον, quæ faciunt ἄλλο ideſt aliud, constituunt speciem, diciturq; tunc fieri ἄλλο. cum aliquid gignitur: quæ faciunt ἄλλιον aliquo pacto immutant rem constitutam, manentem tamen, Thelephus apud Homerum patrem suum à Minerua in moribus immutatum vocat ἄλλιον, non tamen ἄλλον. Differentiæ quas & in alijs morbis, & in febribus animaduertimus, aliæ [d] faciunt aliud aliæ aliquo pacto immutant quod factum est, quæ faciunt aliud

[c] Porphirius in prædicabilibus ca. de differ.

[d] Vidus l. 4. de curatione generat. ca.p. par.5.

consti-

constituunt diuersas ſpecies febris, ſumunturque ab ipſa natura rei hoc eſt, à forma ignei caloris, qui prout diuerſus eſt, diuerſas efficit febrium ſpecies, eſt autem diuerſus pro diuerſa materia in quà verſatur, vt infra oſtendemus, vbi expoſitis quæ ad febres in vniuerſum pertinebant, ad earum diuiſionem pergemus: nunc autem agemus de his quæ iam conſtitutas ſpecies immutant:[a] hæ ſi non continent in ſe formam, aliquo nomine tamen ad ipſam re feruntur, nam quæ omnino aduentitiæ ſunt, cum nihil penitus ad curationem ſpectent, penitus à medico omittuntur, veluti quod febris ſit in homine nobili vel ignobili, docto vel indocto, quæcumq; autem aliquo nomine ad curationem attinent à medico attenduntur, eatenus autem referuntur ad formam, quatenus vel ſumuntur à ſubiecto corpore in quo verſatur febris, vel a modo quò ipſum informatum eſt, vel ab his quæ formam in ſubiecto corpore conſequuntur, vt à magnitudine, numero, loco, motu, tempore: vel à cauſis, ob quas eiuſmodi forma accepta eſt in eodem ſubiecto corpore, vel ab effectis quæ profert: nequæ enim ibi ocioſa manet. Eiuſmodi differentias omnes ſigillatim perpendere nunc oportet, exordiemur ab his quæ ſumuntur à ſubiecto,[b] quod potiſsimum differt temperamento, ætate, ſexu: temperamentum bilioſum ſanguineũ, pituitoſum aut melancolicum eſt, huiuſmodi etiam ſunt febres, quamquam hæ differentiæ magis ad cauſam ſpectant quam ad ſubiectum: ætas vt pueritia, iuuentus, ſenectus, ſuppeditat febrium differentias ſimiles, nam alię ſunt pueriles, in quibus calor potius multus eſt quam acris, aliæ iuueniles, in quibus & multus eſt & acris, alię ſeniles in quibus acris eſt ſed non multus: à ſexu ducuntur febriũ differentiæ quod aliæ viriles ſunt & ſicciores, aliæ muliebres & humidiores. Modus quò ſubiectum corpus febre informatur, varius eſt, cum ęqualiter, vel inæqualiter, perfecte vel imperfecte, primario vel ſecundario informetur, quibus nominibus, febres etiam inter sè differunt, cum aliæ ęquales ſint, ſicut illę quæ[c] occupant ſolidas partes, aliæ inæquales velut illæ quæ verſantur in ſpiritibus aut putribus ſuccis, aliæ rurſus perfecte contractum calorem habent, aliæ imperfecte, hoc eſt aliæ habitum contraxerunt & ſtabiles[d] ſunt, aliæ inſtabiles & non dum inhærent, in quibus calor facile recedit: idem vſuuenit lignis ad ignem admotis, quædam .n. adeo ipſum conceperunt vt etiam cum remouentur incenſa maneant, quædam adeo parum calefacta ſunt, vt remota ab igne, paulo poſt frigeſcant. Interdum febris eſt primarius affectus, itaut nullum alium[e] ſequatur inſignem morbum, interdum ſecundarius eſt, & ab alio proficiſcitur, vt ab[f] inflammatione: has febres ſecundarias veteres[g] appellarunt

a Vidus ibidem.

b Vidus ibidem.

c Galen. 1. de inæquali intemperie cap. 7.

d Gal. 8. meth. c. p.

e Galen. 4. aphoriſm. com. 73.

f Galen. p. ad Glauc. cap. 3. & 4.

g Galen. 4. aphoriſ. 73.

larunt ſymptomata, vt quæ ſymptomatum modo alterius morbi ſint effecta, illas quæ primarię ſunt, neq; ab alio inſigni morbo oriuntur, dixerunt morbos. Ex differentijs ſumptis ab his quæ formam conſequuntur in ſubiecto, primum ſe sè offerunt illę quę pertinent ad quantitatem, complectitur hæc magnitudinem & multitudinem, abutimur nomine magnitudinis ad qualitatem ſignificandam, [a] dicimus .n. calorem plurimum, & hominem magis aut minus febricitare, tum febres magnas vel paruas eſſe: comparamus autem calorem igneum cũ innato qui prius aderat, magis vel minus in igneũ conuerſo: quamquam interdum magnam & paruam febrem dicimus reſpicientes ad vires hominis validas vel imbecillas, & interdum tribuimus magnitudinem prauitati, appellamuſq; [b] magnas illas febres quæ prauę ſunt, ſicuti paruas illas quæ mites: ſed prauitas refertur magis ad cauſas quam ad magnitudinem, & eſt differentia potius illarum febrium quæ ab humorum putredine proficiſcuntur, quam totius generis. Multitudo eas nobis ſuppeditat differentias, quod aliæ febres ſimplices ſunt, aliæ multiplices & compoſitę: componuntur autem cum cauſis, cum ſymptomatibus, & cum alijs morbis præſertim cum alijs febribus, ſiue alterius, ſiue eiuſdem generis ac ſpeciei. Conſequitur etiam formam in ſubiecto, locus, motus, & tempus, à quibus plures nobis ſuppetunt febrium differentiæ. Loco differunt morbi quod alij occupẽt vniuerſum corpus, & dicuntur [c] communes, alij vnam partem, & appellantur proprij, febres cum [d] verſentur in vniuerſo corpore communes ſunt duntaxat, neq; differunt loco quod aliæ ſint propriæ alicuius partis, niſi dicas non occupari ab omnibus vniuerſum corpus, ſed cor, & idcirco differre quod in quibuſdam calor non verſetur in omnibus partibus, quod extremæ inalgeſcant: omnes tamen dicendæ ſunt communes quod niſi quid prohibeat occupent vniuerſum corpus, quemadmodum docuimus [e] cum febris definitionem explicaremus. In motu attenditur qualitas & modũs, qualitas ad celeritatem & tarditatem ſpectat, differunt autem febres quod aliæ celeres ſunt aliæ tardę. Modus conſiſtit in circuitibus & aſſiduitate vel intermiſſione: quædã febres [f] habent circuitus, quędam circuitibus carent: quæ circuitus habent quotidianæ ſunt, aut tertianæ, aut quartanæ, atq; omnes poſſunt vel aſſiduæ eſſe vel intermittere. Pertinent autem eiuſmodi differentiæ motus proprie ad febrem ex humorum putredine ortam. A tempore ſuppetunt differentiæ quatenus vel multum, vel exiguum interceſsit, ex quò febris hominem præhendit, tum quatenus incipit, augetur, viget, remittitur, aliæ .n. febres recentes ſunt, aliæ vetuſtæ, præterea aliæ in principio,

alię

[a] Gal. contra lycum. c. 7.

[b] Supra l. 4. de curatione gener. c. 3. par. p. & Gal. 4. methodi ca. 6.

[c] Supra l. 4. de curatione gener. c. 3. parte pr.

[d] Galc. l. de cauſ. morb. cap. 2.

[e] Supra cap. 2. huius libri.

[f] Galen. 2. de diff. febr. cap. 11.

aliæ in incremento, aliæ in vigore, aliæ in remiſsione, quæ differentiæ ſolummodo ſunt febrium continentem cauſam habentium, cuiuſmodi ſunt illæ quas concitat humorum putredo. Sumuntur & quædam differentię à cauſis, ob externas.n. cauſas differunt febres, quod alię vulgares ſunt & communes multorũ, aliæ propriæ & diuerſæ in diuerſis hominibus, tum quod aliæ ver-
a Hippoc. & Galen 2.l. aphoriſmorum.25. næ, aliæ [a] æſtiuæ, aliæ autumnales, aliæ hyemales. Ob internas verò, quod aliæ exquiſitæ [b] aliæ ſpuriæ, aliæ mites, aliæ prauæ, aliæ coctæ, aliæ crudæ, aliæ humidæ, aliæ ſiccæ, prout & humor
b Gale.p.ad Glauc.c 8. putris à quò proficiſcuntur, nam ad has propriæ pertinent propoſitæ differentiæ & non ad omnes. Super ſunt effecta hoc eſt ſymptomata, quæ vt grauiora vel leuiora ſunt, ita etiam febres quas ſequuntur grauitate & leuitate inter sè differunt. Ex differentijs febrium in vniuerſum quas enarrauimus, colliguntur etiã differentiæ cauſarum & ſymptomatum, differunt.n. hæc inter sè non ſecus quam morbi, ſed qui horum differentias norit, facile etiam percipiet eas quibus illa diſtinguuntur. Oriuntur febris differentiæ ab ijſdem cauſis à quibus oritur febris, cauſæ.n. quæ aliquod efficiunt cum differentia id efficiunt ſimili illi quà prædi tæ ſunt, ſiue ſimilitudo implicita ſit & abſcondita, ſiue aperta & ex
c Vidus l. 4. de curatione gener.c. 3. parte p. pedita, quemadmodum in ſuperioribus [c] libris demonſtrauimus cum perſecuti ſumus cauſas differentiarum generatim, quibus morbi inter sè differunt.

De ſignis ad febrem in vniuerſum attinentibus. Cap. VI.

d Galen. p. acutorum. com. 3. & Hipp. p. prognoſt. ab initio. QVÆ abſolute cognoſcenda erant de febre in vniuerſum vberrime iam expoſuimus, ſed non ſatis eſt ad curandum abſolute cognouiſſe quæ præternaturam ſunt & remoueri debent cum oporteat quoq; in ęgrotante eadem recognoſcere, conijcere quæ pręterierunt, & præſagire quæ futura [d] ſunt: quo pacto autem hoc in febricitante aſſequi poſsimus, tempus eſt enarrare.
e Gal.p.prognoſt.com. 8. Veniant primo in medium præterita, huiuſmodi potiſsimum ſunt cauſę quæ præterierunt, ſunt autem intelligendæ vt denùncient quæ præſentia ſunt; intelligentur [e] ſi referentur ab ægrotante vel
f Vidus l. 5. de curatione generat. cap.2. parte prima & eodem lib. cap.4. à familiaribus, quod cum penitus artificio careat, præſtat vt auctoritas arti comparetur [f] & ob id ęger magis obſequatur, eas ex quibuſdam ſignis conijcere, ſumuntur hęc non à cauſis, quia ſi latent præteritę cauſę, multo magis latent cauſæ à quibus profectę ſunt: non ab his quę pro ſunt aut obſunt, cum ei quod fuit nihil queat prodeſſe aut obeſſe, ſed ab effectis duntaxat quę ab ipſis relicta ſunt in corpore ægrotantis, quemadmodum oſtendi-

mus

mus in superioribus [a] libris cum de cognoscendis præteritis agemus: sunt autem præteritæ causæ veluti labor, animi perturbatio, ębrietas, satietas, inedia, æstus, frigus aeris circumfusi, à quibus potissimum oritur febris illa quę versatur in spiritibus: hãc cum persequemur, effecta declarabimus, à quibus sigillatim eiusmodi causæ indicantur. Prędentia quæ in ægrotante cognoscere oportet, sunt morbus, causa, & symptomata vnà cum differentijs de quorum cognitione absoluta iam egimus. Morbus idest febris, cum sit calor [b] ad igneum vergens, sensu deprędenditur, calor.n. & frigus [c] sensu iudicantur, & proprie tactu, cum sint ex qualitatibus quæ tractantur vt inquit Aristoteles: [d] iudicat tactus ignem esse calidum niuem frigidam: idem percipit calorem ad igneum vergentem in vniuerso corpore: sensu etiam percipitur actionum offensa ab eiusmodi calore atque idcirco febris, adeo vt superuacanea videantur signa quę febrem in vniuersum demonstrant, ex quibus tamen poterit medicus eamdem conijcere vbi volet, ducet autem ipsa [e] à causis, à iuuantibus & lędentibus, ab effectis: cum causis numerare oportet habilitatem corporis ægrotantis, quod vbi calidum fuerit, magis par est in similem morbum & idcirco in febrem compulsum esse quam si frigidum fuisset: causę calefacientes à quibus supra [f] monstrauimus febrem accendi, vt motus, putredo, obstructio, vicinia rerum calidarum, pabulum caloris, si adfuerint, conijcere prędentem febrem conuenit: hanc coniecturam augent iuuantia & lędentia, cum scilicet ęgrotantem iuuant quæ sunt contraria febri, lædunt quæ similia. Ergo si hominem iuuent frigida, lædant calida, indicant febrem, quamquam iuuant febricitantem etiam [g] madfaciẽtia, & lædunt siccantia, cum febre .n. aut siccitas iuncta est, aut non multo post iungetur: prosunt ergo humida præsidia quod præsentem siccitatem tollant, imminentem propulsent: ergo vbi frigida & humida prosint, noceant calida & sicca, denunciant febrem adesse, id quod faciunt etiam effecta hoc est symptomata, vt actiones lesæ, qualitates corporis mutatæ, retenta & expulsa præternaturam, si fuerint qualia supra [h] febrem sequi demonstrauimus, veluti si augeatur respiratio, ita vt maior, aut celerior, aut etiam frequentior fiat, similiter & pulsus, [i] qui vel omnibus, vel aliquibus ex his modis augeri febricitantibus solet, ferè autem celerior apparet: si accedat sitis, vigilia, si color ex albo ruber, expallido flauus reddatur, si cutis durior fiat, si deiectio, vrina, sudor, largius reddantur quam soleant, vel supprimantur, aut exeant acriora & magis colorata: monstratur .n. ex his effectis omnibus febris. Alterum prędernaturam ex prędentibus recognoscendum, est causa ipsa febris,

a Supra l. 5. de curatione gener. cap. 2. parte prima.

b Supra cap. 2. huius libri.

c Gale. 2. de temperam. cap. 2.

d Aristo. l. 2. de anima. Textu 117

e Supra l. 5. de curatione gener. cap 3. parte prima.

f Supra cap. 3. huius libri.

g Hippoc. p. aphorism. 16. & Galen. p. acut. com. 18.

h Supra c. 4. huius lib.

i Galen. 3. de præsag. pulsuum ca. 3.

bris, hæc autem est putredo, quæ cum proprie spectet ad eas febres quæ residentin humoribus, differenda est, tunc .n. eius signa tractabimus, cum proprie febrem persequemur ab homorum putredine ortam. Syptoma verò quod erat tertium præternaturam in febricitante agnoscendum, sensu percipitur, siue ad actiones læsas, siue ad qualitates corporis mutatas, siue ad expulsa & retenta præternaturam referatur. Sub sensum etiam cadunt differentię ipsæ febris in vniuersum, quas[a] supra monstrauimus depromi à subiecto corpore, à modo quo informatur, ab his quæ formam in subiecto consequuntur, vt à magnitudine, multitudine loco, motu, tempore: tum à causis & ab effectis, itaut non opus sit signis per quæ dignoscantur. Futura quæ præsagire in febricitante non secus atq; in alijs ægrotantibus oportet, sunt[b] euentus futurus, tempus, & via ipsius: triplex[c] autem in morbis esse euentus potest, cum ægri aut sanentur, aut decedant, aut sine insigni mutatione diu viuant, itaut morbus videatur in eodem statu permanere: id quod non euenit febri, quæ necesse est aut remoueatur, aut hominem interimat, itaut alterutrum euentum præsagire in febricitante oporteat: colligetur autem ex causis, ex[d] robore videlicet naturæ & morbi, quæ præsentes sunt & iam effectionem aliquam præseferunt: pugnāt.n. inter se natura & morbus: si naturæ robur maius videatur superabit morbum & sequetur salus, si maius sit robur morbi superabit naturam & homo interibit. Intelligetur naturæ robur[e] ex causa, vt ex moderata quantitate & qualitate spirituum, humorum, & partium solidarum, quò spectat bonus habitus, ætas adolescentiæ aut iuuentutis, temperatio moderata: colligetur idem naturæ robur ex iuuantibus & ledentibus, nam si ea quæ parum iuuare hominem solent multum iuuent, si ea quæ multum lædere parum lædant, indicabunt naturam esse validam, id quod facient etiam effecta, vt actiones, affectus & qualitates corporis, quæ expelluntur ac retinentur vbi parum à naturali statu mutata sint, neq; .n. possunt omnino esse secundum naturam in homine ægrotante. Morbi robur ex differentijs colligitur, præterea ex causis, ex iuuantibus & lædentibus, ex effectis. Ex differentijs illæ quæ sumuntur à subiecto demonstrant morbi robur, si non simpliciter, saltim ratione habita corporis: febres in senibus magis periculosę sunt quam in iuuenibus, quod non nisi à vehementi[f] causa proficiscantur: vbi verò aut flatus,[g] aut humor frigidus & humidus ante fuerit in corpore, superueniente febre superatur, itaut salubris magis quam periculosa existimari debeat. Sed intueri oportet & differentias magnitudinis simpliciter, vt quod calor parum, vel multum conuersus sit igneum,

[a] Supra cap. 2. huius lib.

[b] Gal. 4. de præsag. ex pulsib. c. 11

[c] Supra l. 9. de curatione gener. cap. 2. & 3. parte p.

[d] Gale. l. de constitutione art. cap. 18. & 4. de præsag. ex pulsib. cap. 11. & vidus l. 9. de curatione gener. cap. 3. parte p.

[e] Supra l. x de curatione gener. c. 3. par. p.

[f] Galen. p. aphorism. com. 14.

[g] Supra cap. 2. huius libri & Plato in Timeo.

in igneum, ſiquidem vbi parum, febris robur imbecillum eſt, vbi multum cenſeri validum debet. Ex cauſa colligitur morbi robur, quę vbi valida fuerit, notat magnum, vbi imbecilla paruum: loquimur autem nunc de cauſa quæ præterijt, nam illa quæ præſens eſt non pertinet ad febrem in vniuerſum, ſed (vt iam diximus) ad illam proprie quam concitat humorum putredo: quod attinet ad ea quæ proſunt aut obſunt, ſiquidem parum proſint quæ multum prodeſſe conſueuerunt, aut multum obſint quæ parum obeſſe, indicant morbum eſſe validum: idem faciunt effecta, hoc eſt ſymptomata, quæ quò [a] grauiora & plura fuerint, eo maius morbi robur denunciant, quò pauciora & leuiora eò minus: conferre igitur oportet inter ſe ſigna à quibus diximus monſtrari vtriuſq; robur, videreque vtra plura [b] & maiora ſint, ea quæ naturæ, an ea quæ morbi vires validiores demonſtrant, & inde colligere euentũ futurum. Tempus quò expectare vtrumuis euentum oportet, & longum eſſe poteſt, & breue: vtrumuis eſſe debeat demonſtrabit [c] exuperantia roboris magna aut parua, nam vbi magna ſit celeriter vincet aut natura morbum, aut morbus naturam, & breui ſequetur ſalus vel interitus: vbi parua, tarde & non niſi poſt longum tempus interibit homo, aut ſeruabitur. Illud autem ſcire licet quod tempus quò refrigeratur quod calefactum eſt, breue eſt, celeriter. n. refrigerantia præſidia immoderatum calorem temperant, quod non euenit vbi humidis temperatur ſiccitas, neq; .n. madefacere licet quod exſiccatum eſt, niſi poſt longum temporis ſpacium. Via ſanationis pertinet ad artem duntaxat, quę refrigerantibus auxilijs igneo calori medetur, neq; .n. temperari poteſt à natura, niſi vbi concoquit, aut expellit humorem qui putreſcit, & eſt cauſa febris: ſimpliciter igitur febrijs ſeu igneus calor curatur ab arte. Via interitus in vi caloris conſiſtit, qui interdum adeo igneus redditur, vt vitalem cordis facultatem labefactet ac tandem penitus corrumpat.

[a] Gal. 4 meth. c. 6. & l. de conſtitutione artis cap. 18.

[b] Supra l. 9. de curatione gen. c. 3. parte p.

[c] Supra Vidus ibidem & Gale. de conſtitione artis. c. 18.

De operibus neceſſarijs ad curandam febrem in vniuerſum. Cap. VII.

HIS ita conſtitutis de cognoſcendis tam abſolute, quam in homine rebus prętернaturam in vniuerſum ad febrem pertinentibus, proximum eſt vt ad alterum caput pergamus, hoc eſt ad rationem curandi, duo .n. in ſuperioribus libris neceſſaria eſſe ad curandum monſtrauimus, [d] cognitionem curandorum, & rationem curandi: vnum ergò cum de febribus in vniuerſum abſoluerimus nunc alterum ſupereſt, nempe ratio curandi, quæ continetur [e] operibus

[d] Supra l. 5 de curatione gener. cap. 2. parte prima.

[e] Supra l. 12 de curatione gener. cap. 1. parte p.

ribus & iuſtrumentis, perſequemur primum opera, deinde inſtrumenta. Venatur rationalis medicina quam profitemur, opera per indicationem: eſt autem indicatio, compræhenſio [a] iuuantis ſimul cum compræhenſione nocentis, atq; vt in ratiocinationibus perceptapropoſitione & aſſumptione, percipimus id quod cõſequitur, ita, in indicatione cognitis rebus quę curandę sũt cognoſcuntur opera efficienda: debent autem curari res præternaturã, morbus [b] videlicet, cauſa, & ſymptoma: ſed vt ſimul conſeruentur quę ſecundum naturam ſunt, harum quoque [c] habenda ratio eſt, reſpicere .n. oportet tẽperationem corporis, ętatem, ſexum, habitum, conſuetudinem, vires. Sunt etiam quædam res mediæ [d] internaturales & eas quæ præternaturam ſunt, vt tempus anni, regio, prę-ſens tempeſtas, quæ ad vnum aerem referuntur, hic autem animaduertendus eſt, quia ſi prodeſt, ſecundum naturam eſt, ſi obeſt, prętернaturam, & habet vim cauſę: prodeſt quidem cum contrarius eſt morbo & ſimilis naturæ, obeſt cum huic contrarius eſt, & morbo ſimilis: quod ſecundum naturam eſt opere ſimili conſeruari debet, quod prętернaturam contrario remoueri: aer autem cum morbo contrarius eſt, iuuat naturam ad reſiſtendum, & idcir co reddit morbum leuiorem, qui deinde leuius opus contrarium deſiderat: cum ſimilis eſt morbo, eius vires auget itaut validius opus ad curationem requiratur. Attenduntur differentiæ vt in morbo, ita etiam in opere quod efficiendum eſt: debent autem eſſe ſimiles, [e] ſiue implicite & abſcondite, ſiue apertè & expeditè: hæc quæ cõmuniter obſeruanda ſunt in eligendis operibus ad curationem pertinentibus, propriè etiam animaduerti debent in curatione febris in vniuerſum, in quà ſpectabimus primum quod opus requiratur à morbo, quod à cauſa, quod à ſymptomate, & ſimul etiam differentias animaduertemus. Morbus, hoc eſt febris cum ſit calor immoderatus & in igneum vergens, poſtulat vt [f] refrigeremus, quod eſt contrarium opus: quod vnum videtur ſatis eſſe ad curationẽ, ſiquidem & febris vnũ quoddam eſt: ab vno autem quatenus vnum eſt, nõ requiritur [g] niſi vnũ: ſola igitur refrigeratio à febre deſideratur. Verũ experimento cõpertum eſt madefacien dos eſſe illos qui febricitant, docuitq; Hippocrates [h] victum humidũ omnibus febricitantibus conuenire: rationẽ ſupra reddidimus cũ febris definitionem [i] explicaremus, diximus .n. maxima ex parte in febre calorem cũ ſiccitate coniungi, ſiquidem ad igneum vergit, ignis autem non ſolum calidus eſt, ſed etiam ſiccus: ſiquando verò in febricitante magis ſit humoris quã ſiccitatis exuperantia illa proceſſu temporis à calore exſiccatur: quare aut præſens eſt ſiccitas, aut imminet: quę prę-ſens eſt, requirit cõtrarium opus, ni-

mirum

a Gale. l. de optima ſecta cap. 11

b Vidus l. 3. inſtitutionum medicinalium ca. 2 & Galen. 9. methodi c. 14

c Galen. ibidem.

d Galen. ibidem.

e Supra l. 13 de curatione gener. cap. 4. parte prima.

f Gal. x. meth. cap. x.

g Galen. de optima ſecta cap. 4.

h Hippoc. p. aphoriſm. 16. & p. acut. 18.

i Supra ca. 2 huius lib.

mirum vt corpus madefiat, idem poſtulat quę imminet, nam teſte Hippocrate[a] quæ ſubſequentia morbum ſanant, antecedẽtia prohibent. Ergo quod aſſumebatur febrem vnum eſſe, falſum eſt, cum ſiccitas ei aut acceſſerit, aut accedat, quamobrem opus quod requiritur duplex eſt, cum refrigerare febricitantem oporteat & ſimul etiam madefacere: quod autem additur à veteribus medicis relaxandum eſſe corpus febricitantis vt comparetur perſpiratus, non eſt tertium opus ſeparatum ab illis duobus, ſed ad refrigerationem ſpectat, quam per ſe efficiunt quæ frigida ſunt, per aliud quę comparant perſpiratum, & calidæ expirationis exitum. Refrigerare igitur duntaxat & madefacere febricitantem oportet; quę madefaciunt imbecilliora ſunt quam quæ refrigerant,[b] & idcirco minus ſubito ſuam vim imprimunt, adeout periculum nõ ſit ne nimis madefiat febricitans, ſicuti periculum eſt ne nimis refrigeretur: maius etiam periculum impendet in refrigerãdo quod calefactum eſt, quam in calefaciendo quod refrigeratum: non quò calor non ſit efficaciſsimus, ſed quod frigus magis alienum ſit à natura noſtra, quæ (vt recte demonſtratum[c] eſt à medicis & philoſophis) calida eſt & humida; huc accedit quod immoderatum frigus cum ſtupefaciat ſenſum, non percipitur ab ægrotante, qui cum ſentit immoderatum calorem, conqueritur, & non permittit vt adhibeantur quæ vlterius calefaciant: eatenus autem refrigerare febricitantem conuenit, quatenus innatus calor ipſius à naturali moderatione receſsit verſus igneum, cum redigendus ſit ad priſtinum ſtatum, & non ſimpliciter ad mediam temperationem. Ex hoc videtur poſſe colligi magis refrigerandos eſſe febricitantes illos qui naturaliter frigidiores ſunt, veluti ſenes, quã qui calidiores vt iuuenes, cum in his calor minus videatur à naturali receſsiſſe, quam in illis, qui frigidi naturaliter ſunt. Conſtat tamen cum iuuenes febricitant requiri & tolerari validius refrigerantia quam cum ſenes, hi ſiquidem & à leuioribus ſanantur & à validioribus offenduntur. Diluetur quæſtio hæc ſi ſtatuamus id quod ab Hippocrate[d] traditum fuit, ſenes non incidere in febres ardentes ita vt iuuenes, ſiquidem innatus calor vbi paruus eſt, non poteſt in multum igneum conuerti, quamobrem ſenes non egent vehementer refrigerantibus, cum non vehementer febricitent, neq; etiam poſsint ea citra noxam perferre, extinguitur. n. debilis calor à multo frigore. Quod ſi in æquę febres ardentes inciderent, quoniam maior eſſet receſſus à ſtatu naturali, magis etiam refrigerantia poſtularent quam iuuenes æquali febre laborantes, itaut nulla relinquatur amplius dubitatio. Abunde igitur iam explicata ſunt opera quæ requiruntur à morbo. Aer

[a] Hipp. 3. 6. epid. 40.

[b] Supra cap. antecedenti & Gale. x. methodi, cap. 7.

[c] Galen. 2. de temper. ca. p. & Ariſt. 1. de Reſpiratione c. 4

[d] Hippoc. 5. aphoriſ. 14

simul [a] attendendus est cum natura & ætate, postulat autem si mo-
deratus est, similia, si immoderatus, contraria. Causa aut iam [b]
præterijt, aut adhuc manet, quæ iam præterijt nihil amplius po-
stulat, tantumq; inquiritur à medico vt indicet quid effecerit: quę
adhuc manet, & efficienter manet, contrario [c] opere tollenda est.
Postulat succorum copia detractionem, quò opere finitur simul
& morbus & causa, hoc tamen tantum vsuuenit illis febribus quę
à putredine ortę in humoribus versantur, nam illæ quæ occupant
spiritus duntaxat, plereq; non habent amplius [d] causam, cum iam
recesserit, sicut & ab illis omnibus quæ occupant solidas partes,
quò autem opere auferri prę̣sens causa debeat, tunc docebimus,
cũ illas febres persequemur quæ oriuntur à putribus succis, nunc
.n. tractamus febrem in vniuersum. Symptomata restant ex re-
bus præternaturam, quæ varia sequi febrem monstrauimus, [e] & nõ
solum actiones læsas sed etiam qualitates mutatas, & retenta atq;
expulsa præternaturam: tolluntur autem omnia sublata febre,
siquę tamen aut quod valde molesta sint, [f] aut quod vires cõuellãt
non sinant expectari dum curetur morbus, sed propriam curatio-
nem desiderent, hæc quoq; aliquo pacto contrarium [g] opus postu-
lant, veluti si sitis, vigilia, aut aluus adstricta hominem torqueant
danda sunt quæ sitim extinguant, quæ somnum faciant, quæ al-
uum soluant; & ita contrarium opus opponendum est vnicuiq;
sed cum omnia hæc sequantur siccitatem immoderatã, madefacere
oportet, in siti per potionem, in vigilia per capitis ꝑ fusionem,
in aluo adstricta per ea quæ in intestina perclysterem immittun-
tur: sed cum in operibus necessarię sint certæ differentiæ, has simi-
les esse oportet differentijs rerum à quibus requiri opera mõstra-
uimus: similitudo [h] autem vt paulo supradiximus, aut aperta sit
aut certe implicita, est autem aperta in differentijs quæ sumuntur
à magnitudine febris, si quidem magna febris magnum opus de-
siderat, parua, paruũ: latet & implicita est in multis alijs differen-
tijs, veluti in illis quæ sumuntur à corpore subiecto, vt quod aliæ fe
bres seniles sint, aliæ iuueniles, postulant.n. seniles febres nõ aper
te senilia remedia, sed implicite, hoc est quæ ad senes accomoden
tur, sicuti iuueniles iuuenalia, hoc est quæ aptentur iuuenibus.

a Ga.8. methodi ca.9.
b Gal.4.methodi.ca.3.
c Gale.l.11. meth.c.12. & l. de optima secta. cap.25.
d Gal.x1.meth.cap.2.
e Supra cap. 4.huius libri primi.
f Gal.12.meth. cap.p.
g Gal.l.11. meth.c.12.
h Supra l.13. de curatione gener.c. 4parte p.

De instrumentis ad curandam febrem in vniuersum attinentibus. Cap. VIII.

OPERA quæ ad febrem in vniuersum curandam proposuimus
sine instrumentis perfici non possunt, per hæc .n. tam à na-
tura [i] quam ab arte cuncta proficiscuntur. Opera quæ spectant ad
sympto-

i Aristo.l.4. de generat. anim.ca.p.

ſymptomata,cum ſub illis compræhendantur quæ referuntur ad morbum, vt ſupra monſtrauimus,omittentur vnà cum inſtrumentis à quibus perficiuntur : omittentur etiam opera & inſtrumenta quæ attinẽt ad cauſam, nam hęc proprie ſpectat ad febres [a] ex humorum putredine ortas, tantum igitur agemus de inſtrumentis ad refrigerandum & madefaciendum attinentibus, quæ duo opera poſtulari [b] oſtendimus à morbo hoc eſt à febre. Inde autem ordiemur quod quæcumq; ad refrigerãdum vel madefacien dũ adhibentur, aut proxime,aut aliquo interiecto [c] medio ſuum opus efficiunt : proxime refrigerant quæ frigida ſunt, proxime madefaciunt quę humida, cęterum frigida dicuntur illa quæ aut tactu frigida ſentiuntur,aut quamuis nullum frigus præſeferant, habent vim refrigerandi : aqua exempligratia frigida tactu ſentitur, lactuca autem quamuis non ſentiatur [d] frigida cum tractatur, habet tamen vim refrigerandi. Madefacientia per ſe ac proxime humida ſunt ſimiliter aut tactu, aut facultate : tactu humida ſentiuntur quæcumq; liquida ſunt, facultate autem illa quæ habent vim madefaciendi : verum non omnia quæ tactui humida apparent, hoc eſt quæ liquida ſunt, ad madefaciendum accomodantur,cum quędam etiam ſiccent veluti [e] muria & acetum: [f] illis ergò vtimur ad madefaciendum,quæ non tantum liquida ſunt, ſed etiam habent vim humidam, vt aqua & vinum lene, quamuis aqua s cum non reſtituat humidam ſubſtantiam partibus noſtris, magis irrigat quam madefacit : vinum autem & humida eſculenta cum ſubſtantiam humidam in nobis reficiant proprie nos madefaciunt, quamuis aliquomodo etiam alia quæ non habent vim alendi. At valent etiam ad refrigerandum & madefaciendum illa quę non proxime, ſed alio interiecto medio noſtrum corpus refrigerant, aut madefaciunt : hoc pacto refrigeramur ab his quæ calidam ſubſtantiam ex noſtris [h] corporibus exhauriunt, tum à vacatione eorum quæ vim habent calefaciendi quemadmodum corporis motus,& animi perturbatio: ſic etiam madefiunt corpora noſtra, cum educuntur quæ ſiccandi vim habent, vt ſucci acres & bilioſi,& cum omittũtur ea à quibus ſolemus exſiccari,vt labores,vigilię. Quomodocumq; autẽ quę adhibentur nos refrigerent aut madefaciant,ad aliquod ex tribus [i] inſtrumentis medicinæ referuntur, ad rationem victus, ad medicamenta, ad chirurgiam : chirurgia tantum vtimur, cum ad mittendum ſanguinem venam ſecamus, quod inſtrumentum alio interiecto medio refrigerat, [k] educendo videlicet ſanguinem ac ſpiritum calidum,ſed propriè ſpectat ad illas febres quæ verſantur in putribus ſuccis,non cõmuniter ad omnes, quamobrem eo prætermiſſo in alijs duobus in-

a Gale. l. 11 meth. ca. 2.

b In capite antecenẽti.

c Gal. p. ſimplic. cap. 2.

d Gal. l. 3. de temperam. cap. 2. & p. ſimplic. c. 2

e Galen. 2. de natur. fac. cap. 9.

f Gal. l. x. methodi ca. 9.

g Galen. l. de marcore. c. 7. & 4. aphoriſmorum. com. 13.

h Gale. 3. de Tẽperam. cap. 5

i Vidus l. 3. inſtitutionum medi: cap. 8.

k Gal. x. methodi ca. x.

[a] Galen. de Tuen. val. ad Trāsybulum ca. 35.
[b] Gal. x. meth. cap. 8.

sistemus. Ratio victus sex[a] rebus non naturalibus continetur, quę omnes ita accōmodari debent, vt refrigerare ac madefacere possint vel per sè, vel alio interiecto medio. Aer eligendus est frigidus & humidus, atq; vbi non detur talis, parari debet[b] arte in imaçdium parte, aut etiam in loco subterraneo, qui irrigetur, aut perfundatur aqua frigida, & hęrbis sternatur frigidis & humidis, vt lactuca, lente palustri, semperuiuio, vmbilico veneris, nimphea papauere: maxime autem accōmodatur ad refrigerandum & madefaciendum febricitantes aer, cum & ad[c] totum corpus spectet & potissimum ad cor, quemadmodum & eorū calor: attingit aer circunfusus vniuersum corpus, & vbi frigidus sit & humidus, extrinsecus ipsum refrigerat ac madefacit: attrahitur etiam ab externis arterijs, & idcirco similiter afficit partes internas, maxime autem pulmonem & cor, cum respirātibus hauritur: alię res alijs partibus potissimum aptantur. Cibus & potio magis afficit ventrē adquē proxime peruenit, & ob eandem causam aer magis thoracem; quamquam omnes res in quibus consistit ratio victus, ad omnes partes corporis accōmodantur; cibus ad refrigerandum & madefaciendum, debet esse debilis facultate, & frigidus & humidus qualitate: debilis[d] facultas est illius cibi qui & non multus sumitur, & exiguam habet nutriendi vim: qui multus est, cum nimis augeat sanguinem, auget calorem non secus quam ignem ligna, quamobrem docet Hippocrates[e] si quis febricitanti cibum dederit, vt sano robur, sic laboranti morbum augeri. At neq; valet etiam ciborum multitudo ad madefaciendum, cum non facile[f] concoquatur, quod autem non concoquitur neq; alere corpus potest, neq; madefacere. Conuenit etiam febricitanti, cibus paruam nutriendi vim habens, ob eandem causam, ne multum scilicet gignat sanguinem & calorem augeat. Qualitas cibi sit frigida & humida, qualem habet panis ex aqua incoctus, aut madefactus: cremor[g] pisanæ, aut auenę, cucurbita, lactuca, pisces saxatiles. Potio similiter ad refrigerandum & madefaciendum debet esse qualitate frigida & humida, & quantitate copiosa: maxime idonea est[h] aqua, illis præsertim qui eam potare consueuerunt, & vbi nullus sit affectus corporis[i] à quò prohibeatur, veluti cruditas & obstructio: valet & vinum naturaliter aquosum & valde dilutum, hoc. n. similiter refrigerat; valet & posca similiter plurimum diluta. Refert Hippocrates[k] quarto libro de morbis acutis aquam hordei idoneam esse ad sitim extinguendam: vtuntur ea nunc medici huius seculi, dant enim potui aquam in qua hordeum bullierit, egregie autem refrigerat & madefacit febricitantes, quamquam non nihil etiam detergit, itaut maxime idonea

[c] Gal. x. meth. c. 7. & 8.
[d] Gal. 4. 6. epid. com. 18.
[e] Hippoc. 7. aphorismorum. 62.
[f] Gal. 7. methodi. ca. 6
[g] Hippoc. & Gal. p. acu. 18.
[h] Galen. 4. 6. epid. com. 15.
[i] Gal. 9. methodi. ca. 5.
[k] Hippoc. 4. acut. Tex. 71.

sit

sit præterquam in illis corporibus inquibus flatum mouet. Lactis potio cũ refrigeret ac madefaciat videtur febricitantibus conuenire, aliena [a] tamen est quia corrumpitur & in nidorem conuertitur vbi calor immoderatus sit, quamobrem aut vitari omnino debet, aut ijs dari quibus exiguus admodum sentitur febris calor, quemadmodum [b] tabescentibus. Somni autem & vigilię hęc ratio est, quod ad madefaciendum magis aptatur somnus, siquidem vigilia [c] siccandi vim habet: sed quod attinet ad refrigerandum, somnus refrigerat [d] partes externas, vigilia internas, quare vicissim vtendum est secundum consuetudinem & hac & illo, cum calor quẽ febricitantes conceperunt, & in internis partibus & in externis versetur, conferet tamen somnus paulo longior quã soleat ad madefaciendum: exsiccat vigilia absumendo humorem, madefacit somnus & retinendo, & concoquendo alimentum, ex quo conficitur humida substantia nostrarum partium. Alio igitur interiecto medio corpus à somno madefit, à vigilia exsiccatur: alio similiter interiecto medio calefiunt partes internæ à somno & refrigerantur externę, contra à vigilia calefiunt externę refrigerantur internę, quatenus scilicet calidum innatum influens quod in spiritu & sanguine cõsistit, in somno relinquit [e] partes externas & fertur ad internas. Motus quo nomine calefaciat supra [f] monstrauimus cum causas febris in vniuersum tractaremus: idem exsiccat corpus absumendo humorem quo nutritur calor qui ex motu augetur, quamobrem quies refrigerandi vim habet & madefaciendi non proxime, sed quatenus omittitur motus qui calefacit & exsiccat. Repræhendit Hippocrates [g] Prodicum qui motu, cursu, palestra, febricitantes præcipitabat, quibus aptatur quies: eadem ratio est tranquillitatis animi, quæ similiter refrigerat & madefacit alio interiecto medio, quatenus scilicet ommittuntur perturbationes quę còrpus calefaciunt & exsiccant, mouetur .n. per illas calidum innatum, & eatenus accenditur, quo magis accenso, magis etiam absumitur humida substantia & siccatur corpus. Ira autem ex animi perturbationibus maxime inimica [h] est febricitantibus, cum magis calefaciat cor & exsiccet. Docet Hippocrates [i] hanc alienam esse calidis naturis, ex quò colligere potes quanto magis aliena sit febricitantibus, quibus potissimum conuenit tranquillitas. Quę detruduntur ac retinentur, ipsaquoq; non proxime, sed aliquo interiecto medio pertinent ad refrigerandos ac madefaciendos febricitantes, primo .n. si retineantur quæ frigida sunt & humida, veluti succi pituitosi, detrudantur quę calida & sicca, veluti bilioſi, refrigeratur ac madefit corpus, deinde ea quæ naturaliter expelli solent, vt vrina deiectio sudor, si

expel-

a Hippoc. & Galen. 5. aphorism. Tex. com. 64.
b Gal. x. meth. cap. 11.
c Galen. de arte medic. cap. 96. & 7 meth. ca. 6. & 4. 6. epid com. 20.
d Supra l. 2. de curat. Gener. ca. 11. par. p. & Hippoc. ac Gal. 4. 6. epid. 14.
e Galc. 3. de cauſ. pulſ. c. 9. & 4. 6. epid. 14.
f Supra capſ. 3. huius lib
g Hipp. 3. 6. epid. 31.
h Galen. 5. 6. epid. com. 9
i Hippo. 4. 6. epid. 15.

expellantur,non includitur in corpore calida expiratio, ſed magis exitum habet, quo fit vt corpus relinquatur frigidius: quare danda opera eſt vt febricitantibus hæc quæ naturaliter ſuperant educantur. Præter victum plurimum valent ad refrigerandos & madefaciendos febricitantes medicamenta frigida & humida, ſiue intus dentur, ſiue extrinſecus imponantur: proxime autem & nullo interiecto medio opus ſuum efficiunt, ſiue tactu ſentiantur frigida & humida, ſiue facultate duntaxat talia ſint: ex internis medicamentis quę tactu frigida & humida ſunt, efficaciſsima eſt aqua[a] frigida, quæ vbi large & pręter conſuetudinem bibatur vim habet medicamenti, conuenitq; febricitantibus omnibus niſi cũ febre iungatur alius affectus ipſam reijciens, vt ventriculi[b] imbecillitas, humorum cruditas, obſtructio, ac tumor aliquis viſcerum: non conuenit autem omnibus febricitantibus eodem modo, nam vbi parum ſanguinis eſt, ſpauca danda eſt, & modice frigida. Dantur etiam intus medicamenta vim frigidam & humidam habentia, vt potiones illæ quæ ſyrupi vocantur, quemadmodum roſatus, violatus, acetoſus, de endiuia, ex cicorio; aqua item in qua decoctæ fuerint frigidiores herbæ, vt lactuca, intibum, viola, endiuia. Idem pręſtant & confectiones ex viola, ex roſa, ex ſemine papaueris & ſaccaro. Extrinſecus adhibentur ad refrigerandũ olea frigidioribus herbis condita, aut ſucci earundem herbarũ, aut catapla ſmata quæ ex ipſis fiunt. Valet inunctio ex cęrato[c] refrigerante ipſius Galeni, ex vnguento roſato, ex ſandalino ipſius Meſues. Valet & balneum[d] aquæ frigidæ niſi obſtet aut imbecillitas innati calidi, aut alius affectus, vt viſcerum tumor, & ſuccorum cruditas. quamobrem non temere tentandum eſt, ſed tantum vbi ab ardente calore requiratur, neq; repudietur ab altero affectu. Balneum aquæ dulcis moderate calidum plurimum valet ad madefaciendum, id quod ſentiunt qui oblongum[e] iter ſole ſub ardente defatigati atq, exhauſti eo vtuntur, celeriter.n. vindicantur à ſiti: at refrigerantur etiam, habet.n. aqua calida primo vim calefaciendi, ſed proceſſu temporis exhalantibus calidis vaporibus deponit calorem omnem, & ad naturam ſuam reuerſa corpus refrigerat, quamobrem eiuſmodi balneum conuenit febricitantibus omnibus, niſi ſit affectus aliquis[f] prohibens, vt multitudo humorum, quę cum à calore balnei funditur, magis interdum fluit ad partes præſtantiores, & magnam ac periculoſam ſepe obſtructionem affert.

a Gale. l. 11. meth. ca. 9.

b Gal. 9 meth. cap. 5.

c Gal. 10, meth. cap. 9.

d Gal. 7. meth. c. 7. & x.

e Galen. de marcore. cap. 7.

f Gal. 11. methodi. ca. 9.

Diuiſio febris in vniuerſum in ſua genera. Cap. VIIII.

QVÆ de febre cognoſcenda & curanda in vniuerſum expoſuimus, ſpeciatim quoque perpendēda ſunt, quod fieri non poteſt niſi prius ſubiectas illi ſpecies omnes inueſtigemus; commode autem ipſas venabimur, ſi febrem ſummum genus in quædam inferiora genera, atque hæc rurſus in ſpecies recte partiamur, id quod aſſequemur ſi teneamus partiendi præcepta illa tria quæ tradita ſunt à Platone,[a] primum eſt vt adijciamus generi differentias ſumptas à natura rei quæ diuiditur, alterum vt nihil prætermittatur aut redundet, tertium vt cum à ſummo genere ad imam ſpeciem peruenerimus [b] diuidendi finem faciamus, neq; deſcendamus ad ſingula, quæ cum infinita ſint & intereant, ſubartem minime cadunt; hæc ſi firma & ſtabilia ſint nullum in diuiſione vitium erit, contra [c] ſi vtamur in diuidendo differentijs communibus non ductis à natura rei, ſed à rebus aduentitijs, id erit magis frangere quam diuidere: erit etiam vitioſa diuiſio, ſi aliquid aut prętermittamus propriū, aut adſciſcamus alienum, tum ſi pręteruehamur imam ſpeciem non poterimus ſic certa genera ac ſpecies ſtatuere ipſius febris; à propoſitis igitur pręceptis minime diſcedentes aggrediemur ad diuidendam febrem in prima genera, quæ cum ſeorſum deinde tractabūtur, in ſuas ſpecies partiemur. Differentię quas febri tanquam ſummo generi adijciemus, non petentur à rebus aduentitijs [d] quæ nihil prorſus ad artem pertinent: at neque ſolum ſpectabunt ad naturam rei, ſed magis ipſa continebuntur; ex differentijs .n. ad rei naturam ſpectantibus, aliæ in ipſa conſiſtunt, & hę vt inquit [e] Porphirius faciunt aliud, hoc eſt conſtituunt ſpeciem, alię ad ipſam aliquò nomine referuntur, atque hæ mutant aliquo pacto ſpeciem conſtitutam, quas ſupra [f] explicauimus, cum differentias febrium in vniuerſum perſequeremur. Nunc vt inueſtigemus prima genera febris, illas differentias adiungemus quę proprie conſiſtunt in natura eius quam diximus [g] eſſe immoderatum calorē: quod ſi aliunde differentias ſumeremus, quamuis aliquo pacto ad rei naturam pertinerent, non aſſequeremur genera quæ nunc inquirimus, & in eodem errore verſaremur, in quo Chryſippus & [h] Eraſiſtratus, qui differentijs à pulſu ductis diuidendam eſſe febrem in ſua genera crediderunt. Apparet quidem alius pulſus in aliis febribus, non tamen conſtituit ipſarum genera ac ſpecies. Defertur in ſimilem errorem Praxagoras, qui febres diſtribuit in ſimplices & compoſitas: differunt quidem febres inter sè ex eo quod iungantur

a Plato in Philebo, & in Sophiſta, & in Politico.

b Porphirius ex Platone in prædicabilib. cap. de differentia.

c Gal. p. l. de differ. febr. cap. p.

d Galen. ibidem.

e Porphirius cap. de diff.

f Supra cap. 5 huius lib.

g Supra cap. 2. huius lib

h Galen. p. 6. epid. com. 29.

tur vel non iungantur cum alijs, non tamen propterea ſunt alterius generis, cum ſub eodem & ſimplices compræhendi poſsint & compoſitæ. At neque recte facta eſt diſtinctio febrium à veteribus[a] in morbos & symptomata, nam[b] licet aliquæ symptomatum modo ab alijs morbis oriantur, aliæ nullum ſequantur inſignem morbum, non propterea diuerſi generis ſunt, ſed eidem ſepe ſubijciuntur, neque conſiſtunt eiuſmodi differentię in calore ſicuti neq; illæ quas commemorat Hippocrates[c] in ſexto libro de morbis vulgaribus, vbi ſcribit, alias febres flauas eſſe, alias rubras, alias liuidas; ſumuntur .n. à calore qui in alijs febricitantibus alius conſpicitur, non tamen efficit diuerſa genera ac ſpecies febrium, cum non conſiſtant in calore, ſicut illæ quas Hippocrates ibidem[d] proponit, diuidens febrem differentijs ab ipſo ductis qui aut lenis eſt, aut acris: quo fit vt dentur duo prima genera febrium, vnum lene, alterum acre: in hoc caloris qualitas à naturali plurimum receſsit & valde mutata eſt, in illo magis aucta copia videtur quam mutata qualitas, cum adhuc lenis ſit, quãquam aliquo pacto etiam ipſa mutata eſt, neq; .n. ita lenis calor eſt hominis febricitantis quouis genere febris, ſicuti eiuſdem naturaliter affecti. Cæterum calor acris, aut vapores multos ędit, aut ſquallidus eſt, vtraque differentia ad eius naturam attinet & idcirco quoddam genus febris conſtituit, adeo vt genus febris quod acre eſſe diximus, in duo diſtribuatur, [e] in id quod vapores multos ædit, & id quod ſquallidum eſt. Poteſt etiam primo diuidi febris in tria genera, in lene, in acre cum vaporum copia, & acre ſquallidum, ſic eadem membra ſunt vtriuſque diuiſionis, ſed paulo ſecius partita ac diſtributa. Vtrouis modo fiat, nec fortuito, nec temere, ſed recte facta dicetur: Sed cum calor ſit quædam forma, non poteſt per ſe augeri vel minui, aut aliquas differentias accipere, ſed quatenus verſatur in materia ſubſtrata, id quod Ariſtoteles[f] tradidit de iuſtitia, de ſanitate, de voluptate, de alijs formis. Quamobrem differentiæ quibus calor ac febris diſtinguitur à ſubſtrata [g] materia varia, hoc eſt à diuerſis partibus noſtri corporis proficiſcuntur. Poſuit Plato in Timeo tres ſpecies ignis, lucem, flammam, & carbonem, pro varia materia [h] vt craſſa, tenui, ac media inter vtranq;. Partes noſtri corporis diducuntur ab Ariſtotele [i] in ſolidas, & humores, quibus Hippocrates adiecit ſpiritus tanquam tertium genus partis, cum ſexto [k] libro de morbis vulgaribus commemorauit, continentia, contenta, & impetum facientia: continentia .n. intelligit partes ſolidas, contenta humores, impetum facientia ſpiritus. Reſpondent hæc tribus initijs ex quibus conſtamus, ſanguini, ſpiritui, ac ſemini: calor igitur

a Galen. 4. aphoriſm. com. 73.

b Supra cap. 5. huius libri.

c Hippo. p. 6. epid. 29.

d Hippo. ibidem.

e Galen. p. de different. febr. cap. 7.

f Ariſtot. l. x. Æticorum cap. 3.

g Galen p. de diff. febriũ. capit. p.

h Plato in Timeo.

i Ariſtot. l. 2. de partibu. anim. ca. 2.

k Hippo. l. 6. epid. 7. & Gal. l p. de differentijs febrium. cap. p.

igitur quò febris continetur, diuersus est pro diuerso genere partium in quibus residet, vt lenis in spiritibus, acris cum vaporum copia in humoribus, acris squallidus in partibus solidis: qualis igitur est substrata materia, talis est calor, cumq; illa triplex [a] sit, triplex quoq; genus caloris præternaturam ac febris potest in corpore nostro versari: illa quę in spiritibus residet leni calore continetur, neq; .n. potest ita acris fieri in materia tenui vt in crassa, vocaturq; à gręcis [b] ἐφήμερα quod eodem die finiatur, à latinis diaria. Ea verò febris quæ acri calore continetur, nullum commune nomen inuenit quod vtrumque eius genus significet, id scilicet quod residet in humoribus, acre cum vaporum copia, & id quod in partibus solidis acre & squallidum; sed hoc proprie à gręcis nominatur ἕτικον ἀπὸ τῆς ἕξεως, hoc est ab habitu: duo.n. notat habitus, videlicet partes solidas nostri corporis, & dispositionē confirmatam, ab vtraq; significatione dicta est febris hæctica. Alterum verò genus quod residere diximus in humoribus, acre cum vaporum copia, à medicis circunscribitur, dicunt.n. febrem à putredine ortam, neq; .n. accenditur eiusmodi calor in humoribus nisi putrescant, [d] neque possunt sola copia febrem excitare, cum in multis sæpe redundent qui non propterea febricitant, sed quomodocunq; nominentur statuere oportet tria genera febrium, vnum lene in spiritibus, alterum acre cum humorum copia in humoribus, tertium acre squallidum in partibus solidis, quę seorsum tractabimus, vbi duo quæ ad propositam diuisionem spectantia in dubium vertuntur dissoluerimus. Primum igitur dubium accidit quò pacto possint pro triplici genere partium nostri corporis constitui tria genera febris, cum ad solidas tantum referendæ omnes febres videantur, si quidem illis partibus tribuendæ sunt, quarum lædunt actiones: ergò tantum [e] solidis, quandoquidem actiones his tantum, non humoribus, non spiritibus, tribuuntur, ex quò sequitur vnum tantum ponendum esse genus febris, idq; in partibus solidis, non tria. Huic dubitationi occurrit [f] Alexander Aphrodiseus in libello illo aureolo quem de febribus inscripsit: concedit autem semper in partibus solidis quarum sunt munera quę leduntur, febricitantium calorem versari, nō tamen eodem modo, sed addit has interdum calefactas esse, interdum calefieri: calefactas dicit cum igneus calor inhæret, & quodammodo infixus est earum substantiæ: calefieri cum residet in humoribus aut spiritibus, quos illæ continent: vt autem ad perfectionem actionum requiritur non modo insitus calor, sed simul etiam influens secundum naturam, ita ad læsionem satis est si alteruter immoderatus sit, vel ille qui insitus est in solidis, vel ille qui influit per spiritum & san-

a Gal. p. l. de diff. feb. c. p

b Gal. x. meth. cap. 2.

c Gale. p. de diff. feb. c. 7

d Galen. ibidem.

e Auic. 1. p f. p. t. p. cap. de subiect.

f Alex. l. de febribus & Gal. l. p. de diff. fe. c. p.

& ſanguinem:conceditigitur Alexander,febricitantium calorem ſemper verſari in partibus ſolidis quarũ munera offendit,ſed vult aliquando eum reſidere in ipſis per ſe,quemadmodũ vbi eſt hęctica febris,aliquando per humores ac ſpiritus, veluti cum adeſt aut ephimera,aut illa quę ſequitur humorum putredinem:ſemper igi
a Gale. p.de diff.feb.c.p tur partes ſolidæ calorem immoderatũ aut contrahunt,aut cõtraxerunt.Quæres magis dilucida redditur exemplo [a] balnei,in quò ſimiliter attendi poſſunt tria genera partium , aer , labrum aquæ & paries: poteſt calorem concepiſſe aer dumtaxat à quò & aqua & parietes calefiãt:poteſt & aqua iam eſſe calefacta,& calefacere aerem ac parietem : poteſt deniq; paries calorem contraxiſſe ob quem & aer & aqua incaleſcant : idem vſuuenit partibus noſtris quarum aliquæ calefactæ interdum ſunt pręternaturam, & reli-
b Galen.ibidem. quas calefaciunt : Vbi calefacti ſint ſpiritus & calefaciant humores & ſolidas partes, febris [b] erit diaria : Vbi humores prius incaluerint & calefaciãt ſpiritus & partes ſolidas,dicetur febris ab humorum putredine orta:Vbi ante calefactę ſint partes ſolidę,deinde incaleſcant ſpiritus & humores,erit hæctica febris:itaut quælibet trium poſsit ſine alijs duabus verſari in corpore noſtro . Sed prima dubitatione præciſa,ſequitur altera : reuocatur .n. indubiũ poſsit nè quęlibet febris cuiuſuis generis per ſe incipere non antecedente altera : non .n. videtur poſſe fieri hæctica, niſi prius fiat & diaria , & illa quæ humorum putredinem ſequitur : neq; videtur etiam poſſe fierihæc ſine diaria , ſiquidem par eſt vbi craſsio-
c Ariſt l.23 plobem . particula 7. & Gal de inæqua li intempe rie cap.4. res partes calorem conceperunt, calefactas prius fuiſſe tenuiores [c] veluti ſpiritus ante humores , & humores ac ſpiritus ante ſolidas partes : ſiquidem quod tenuius eſt,minus renititur & afficitur celerius quam quod craſsius,quod non ſolum ſenſu atque au-
d Ariſt. loco citato. ctoritate philoſophorum [d] comprobatur,ſed ratione etiam,quandoquidem vis effectrix facilius per tenuiorem ſubſtãtiam peruadit, quam per craſsiorem, quare nunquam incipit hæctica febris quin & diaria præceſſerit, & illa quæ conſiſtit in humoribus putribus , & nunquam hæc ſine diaria : non poterit ergò incipere , per ſe quæuis febris cuiuſuis generis , ſed neceſſario illam quæ reſidet in partibus craſsioribus,antecedet alia quæ in tenuioribus : Verũ non perpetuum eſt quod aſſumpſimus , id quod tenuius eſt ſeu minus craſſum celerius affici atq; incaleſcere , cum ex natura,vel efficientis,vel accipientis ſequi oppoſitum poſsit,vt prius ſcilicet afficiatur atq; incaleſcat quod craſsius eſt:poteſt natura efficientis cauſę magis idonea eſſe ad vnum genus partium celerius quã ad alterum calefaciendum , veluti putredo quam poſuìmus in cauſis caloris ac febris , calefacit .n. hæc prius humores in quibus

exci-

excitatur, deinde ſpiritus: poteſt & ex natura accipientis euenire vt quod craſsius eſt celerius incaleſcat quam quod tenuius, cũ ad effectionis celeritatem non tantum conferat tenuitas, ſed etiã qualitatis ſimilitudo. Quodcalidius eſt, quamuis craſsius, poteſt celerius accendi quam quod minus craſſum & frigidum: ſi inſolidis partibus noſtri corporis immoderate calidis verſentur frigidi humores, prius accendentur ſolidæ ob ſimilitudinem qualitatis quam humores ob tenuitatem ſubſtantiæ. Quibus ita conſtitutis magnum pondus acceſsit ad propoſitam dubitationem tollendam: prius poſſunt calefieri humores quam ſpiritus vbi putredo ſit cauſa caloris, quoniam humores ſunt illi qui proprie putreſcũt, quamobrem incipere febris in humoribus poteſt antequam incipiat in ſpiritibus. Solidæ item partes vbi calidiores ſunt, prius accendi poſſunt quam humores frigidi, & ita prius incipiet hæctica febris quam illa quæ oritur ab humorum putredine. At non ita conſtat an ſolidæ partes poſsint calorem concipere ante ſpiritus, & ita an poſsit incipere hæctica ante diariã: quandoquidem ſpirituum tenuitas tanta eſt, vt ſi conferatur cum partibus ſolidis, nulla videatur proportio, & propterea celerrime afficiuntur atq; incaleſcunt: neq; .n. frigidi ſunt vt reniti poſsint calefacientibus cauſis: quamobrem incaleſcent ſemper [a] ante ſolidas partes, neq; poterit vnquam per ſe incipere hęctica febris: ſi quando autẽ in medicorum libris legimus, ipſam aliquando [b] incipere aliquando, ſequi alteram [c] febrem, intelligemus hæcticam tunc ſequi alteram, cum illis ſuccedit quę oritur ab humorum putredine: tunc incipere, cum ſuccedit diariæ, quæ adeo breuis eſt vt vix animaduerti a medico poſsit: quo fit vt videatur tunc hæctica incipere, quamuis ante accendantur ſpiritus, & antecedat diaria. Statuamus igitur ſolutis dubitationibus, tria genera febriũ diſtincta reperiri poſſe, pro [d] triplici genere partium noſtri corporis, & agamus vt polliciti ſumus de vnoquoq; ſeparatim.

a Gal.l.2.de criſib.c.13
b Galen.ibidem.
c Gale.3.de præſag. ex pulſibus. cap.7.
d Gal.p.l.de diff.feb. c. primo.

Finis primi libri de Febribus.

VIDI

VIDI VIDII DE FEBRIBVS.

LIBER SECVNDVS.

QVI EST DE FEBRIBVS DIARIIS.

Quid sit febris Diaria, & quot species amplectatur. Cap. I.

CVM pertractandæ sunt species vni generi subiectæ, nihil referre videtur à quâ ordiaris, siquidem illud ampiectitur æqualiter omnes: præstat tamen, eodem ordine ipsas persequi quò fuerunt inuentę, veluti nunc febres quas pro partibus nostri corporis in quibus versantur, & primo pro spiritibus qui tenuissimi sunt, deinde pro humoribus qui mediocres, demum pro solida substantia, quæ admodum crassa, in tres species distribuimus: [a] quamobrem eas primo tractabimus quæ in spiritibus, deinde eas quæ in humoribus, postremo eas quę resident in substantia solida. Eadem autem duo capita in singulis persequemur, quę supra tractata sunt de febre in vniuersum, cognitionem videlicet curandorum, & rationem curādi. Illa igitur febris quæ occupat spiritus (vt in superioribus [b] ostensum est) vocatur à latinis Diaria, ab Hippocrate [c] ἐφήμερα: appellātur enim diaria latine, græce ἐφήμερα, opera vnius diei. Nominat Aristoteles ἐφήμερον quoddam animal, quod eodem quò nascitur die decedit. Colchicum herba ἐφήμερον dicta est, quia eodem die quò sumitur hominem conficit: nomine diei significatur spacium [d] xxiiii. horarum, itaut compræhendatur etiam nox febris autem quæ in spiritibus hæret, maxima ex parte est vnius diei, raro alterius, ratius [e] plurium. Ergo etiam si aliqua ex parte claudicet, tamen ex multo maiori parte obtinere debuit nomen diariæ: ita autem natura comparatum est, vt quæ tenuia sunt celerrime his aut illis qualitatibus afficiantur. Spiritus in quibus resident proposita febris, vt [f] cito incalescunt, ita & cito ad naturalem

a Loco antecedenti ca. vltimo.

b Vidus ibidem.

c Hippo. l. 4. aphorism. Tex. 55.

d Arist. l. 5 de h. stor. anim. capite 19.

e Dioscorides l. 4. simplic. ca. 79. & 80.

f Gal. x. l. methodi. ca. 2

lem temperationem reuertuntur, facile .n. qualitates accipit [a] materiæ tenuitas, neq; renititur quemadmodum craſsitudo; adde quod qui calidiores effecti ſunt, exhalãt & noui gignuntur moderate calidi à ſubſtantia cordis, quæ nondum febrem contraxit, quare mirum non eſt ſi illa manet vnum diem duntaxat; ſi quando autem vlterius perſeuerat, id fit, quia fouetur ab aliqua cauſa quę non permittit calefactos [b] pręternaturam ſpiritus refrigerari, & ad priſtinum ſtatum reuerti. Spiritus autem qui in diaria febre accendũtur, vitales ſunt, qui in corde habitant & arterijs, cum quibus neceſſe eſt ſimul & animales accẽdi, & naturales, ad quos procreandos aſsidue vitales concurrunt. His ita conſtitutis de natura & nomine propoſitæ febris, proximum eſt vt ad definitionem pergamus, quæ eadem eſſe debet quam de febre in vniuerſum tradidimus, ſed contracta per propriam differentiam: definuimus [c] febrem calorem innatum in corde mutatum in igneum adeo vt lædat actiones: huiuſmodi calori ſi lenitatem adieceris, diariam febrem definieris, quę non aliud eſt quam calor innatus in corde mutatus in in igneũ adeo vt lædat actiones, retinens [d] lenitatem. Si roges quo pacto lenis eſſe poſsit ille calor, cum vbi conuertitur in igneum continuo ſit acris, reſpondebimus concedentes fieri acriorem quam ante, poſſe tamen aliquid lenitatis retinere ob ſubſtantiæ in qua nititur tenuitatem: quare calor qui in ſpiritibus verſatur, vbi prætermaturam augetur, licet aliquid lenitatis amittat, aliquid tamen retinet, ita vt lenis dici adhuc poſsit, quod non euenit vbi verſatur in ſubſtãtia craſsiore humorum, aut partium ſolidarum, tunc .n. ſi augeatur & vertatur in igneum, redditur [e] acris, quo .n. materia quæ incenditur craſsior eſt & denſior, eo calorem cõcipit acriorem. Ligna ſalicis vbi vruntur, quoniam minus denſa ſunt, minus acrem calorem pręſeferunt quam ligna ilicis, aut quercus: multitudo lignorũ accenſa, calorem ędit multum: craſsitudo & denſitas, acrem. Eadem eſt ratio partium noſtri corporis, quæ cum inceduntur, maiorem vel minorem calorem præſeferunt pro multitudine & paucitate: acriorem vel leniorem prò craſsitudine & tenuitate: calor igitur qui in ſpiritibus prætermaturam accenditur, poteſt eſſe [f] multus, non tamen acris, in humoribus verò & partibus ſolidis vbi in igneum conuertitur neceſſe eſt acris [g] reddatur. Dubium autem controuerſumq; eſt an diaria febris quam definiuimus, diſtribuatur in alias ſpecies, videtur .n. quæuis ſub vna tantum contineri, cum materia in quà verſatur, vna ſit, vitalis ſcilicet ſpiritus duntaxat, diuerſæ autem ſpecies caloris à diuerſa ſpecie partium proficiſcuntur, quemadmodum in proximo [h] libro monſtrauimus, cum febrem, quaſi ſummum

a Arist. l. 8. problem

b Gal. x. meth. ca. 2.

c Libro antecedenti 2.

d Gal. p. l. de diff. feb. cap. 7.

e Gal. ibidẽ.

f Trallianus l. 12. capite primo.

g Gal. l. p. de diff. feb. c. 7

h Libro antecedenti c. 9. & Gal. p. de diffe. febr. cap. p

mum genus in ſuas ſpecies diſtribuimus. Spiritus igitur qui in diaria febre accenduntur, cum ſub vna ſpecie cõtineantur, vnam tantum efficiunt diariæ febris ſpeciem, Galenus [a] tamen duas eſſe voluit, vnam in ſpiritibus, alteram in ſanguine calefacto & nondum putri: mouetur autem lenitate caloris quæ percipitur cum ſine putredine ſanguis prẹternaturam incaleſcit perinde atq; vbi accenduntur ſpiritus, ita vt diaria febris quẹ leni calore continetur, duas ſpecies amplectatur, vnam quæ reſidet in ſpiritibus, alteram quæ in ſanguine calefacto, appellauit autem vtramque ἐφήμεραν, hoc eſt diariam, quod ex maiori parte eiuſmodi calor auctus prẹternaturam, lenitatem adhuc retinens, maneat vnũ diem, quamuis cum reſidet in ſanguine calefacto (quod rarò euenit) plures dies perſeueret: maluit tamen Galenus [b] abuti nomine vſitato, quam nouum fingere, & ad vnam ſpeciem redigere omnes illas febres quẹ leni calore continentur, quam ad duas, & ita conſtituere tres tantum primas ſpecies febrium: vnam quæ continetur calore leni ſiue in ſpiritibus, ſiue in ſanguine calefacto verſetur: alteram quæ acri cum vaporum multitudine in humoribus reſidentem: tertiam quæ ſimiliter acri ſed ſquallido in partibus ſolidis: verum vt à calore acri pro præſentia vel abſentia vaporum duas ſpecies febrium duxit, ita potuit duas ducere à calore leni ſimiliter pro prẹſentia vel abſentia vaporum: lenis calor qui in ſanguine prẹternaturam calefacto verſatur, ingentem ẹdit vaporũ copiam, ille qui in ſpiritibus potius ẹdit tenues quaſdam exhalationes, quam vaporum copiam, itaut eodem modo liceat habita ratione vaporum, vt caloris acris, ita etiam lenis, duas ſpecies ſtatuere diuerſas, & ita facere non tres, ſed quatuor primas ſpecies: differentia igitur qua conſtituitur illa diaria quẹ verſatur in ſanguine calefacto ſpectat ad [c] multitudinem vaporum quæ cum caloris lenitate coniungitur: differt etiam multitudine caloris hẹc febris ab illa quẹ occupat ſpiritus, quoniam lõge copioſior ſentitur calor inflammato ſanguine quam ſpiritibus: verum differentia quẹ ſumitur à copia, non ita conſtituit ſpeciem ſicut illa quẹ à qualitate diuerſa caloris, quod ſi ſanguis non tantum calefiat ſed etiam putreſcat, calor non retinebit lenitatem, ſed acris efficietur, minus tamen quam ſi [d] putreſcat alius humor, quamobrem febris quæ accenditur à ſanguine putri, non continetur amplius calore leni, & idcirco non eſt ſpecies diariæ, ſicut illa in qua ſanguis incaleſcit duntaxat: reliqui tres ſucci nõ poſſunt febrem excitare niſi [e] putreſcant, nam pituita & humor melancholicus cum frigidi ſint numquam accenduntur niſi cum putreſcunt: flauabilis licet calida ſit, nunquam tamen adeo redundat vt poſsit ſine putre-

[a] Gal. 9. meth. cap. 2. & 2. de diffe. febr. c. 9

[b] Gale. l. 9. methodi cap. p. & 2.

[c] Gal. 9. meth. c. 2. & 3

[d] Gale. 2. de diffe. febr. cap. 9.

[e] Gal. 2. de diff. febr. cap. 5.

putredine febrem accendere,quamobrem pleriq; ex his quorum cutis hac ſuffunditur,febre vacant, tantum vbi aditricta [a] cute reti neatur acris fuligo accenditur febris etiam ſi humor non putreſcat: ergo ſanguis tãtum poteſt calefactus ſine putredine febrem accendere: ſed ſiue putreſcat, ſiue inflammetur duntaxat,febris quam excitat cum aſsidua ſit & vna acceſsione contineatur, σύνοχος [b] greçe nominatur, perſeuerat autem interdum à principio ad finem ſimilis & vocatur græce [c] ὁμότονος, interdum ſemper increſcit & dicitur ἀκμάζικος, ſiue ἐπακμάζικος, interdum ſemper decreſcit & vocatur παρακμάζικος, ſed qualiſcumq; ſit tota vnico circuitu continetur,neque repetit, neque acceſsiones habet quotidianas, tertianas,aut quartanas, quemadmodum febres quæ oriuntur à putredine pituitæ, humoris melancholici aut flauę bilis:illa etiam diaria quę in ſpiritibus reſidet non repetit,ſed ſine circuitibus eſt & vnam [d] tantum acceſsionem habet quod materia non ſit partita ſed tota [e] ſimul, neq; confluat ad aliquem locum ex certis interuallis ſicuti pituita, & flaua aut atra bilis cum putreſcunt: ſi quando autem diaria repetere videtur quod à nonullis [f] obſeruatum eſt, in ea quam cruditas affert,tunc non eſt eadem febris quæ repetit,ſed noua excitatur ex noua cruditate, quod rurſus accendantur ſpiritus perſpiratu deſtituti: liquet igitur diariam quamlibet carere circuitibus atque acceſsionibus, ſed iam tempus eſt eius cauſas perſequi.

a Gal.8. methi.cap.2.

b Gal.9. methi.c.2.&3
c Gal.9. methi. cap.3. & l.2. de diffe. febr. cap.2.

d Gal.9. methi.cap.p.
e Gale.2.de diff.febr. cap.vlt.
f Auic.l.4.f.p Tr.p. cap.34.

De cauſis febris Diariæ. Cap. II.

QVICQVID oritur,qualecunque eſt,ex aliqua cauſa oritur, quare & diariam febrem cum oriatur,ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt: cum [g] verò legimus diariæ cum hæctica hoc conuenire quod cauſam non habet, ita intelligere oportet, vt non habeat cauſam continentem cum iam facta ſit:in diaria .n. calefacti ſunt ſpiritus, in hæctica partes ſolidæ. Tamdiu autem manet vtraque febris, quam diù manet calor quem ſpiritus aut ſolidæ partes conceperunt, adèout non neceſſaria ſit cauſa continens à qua ſeruetur, quemadmodum illa quæ reſidet in humoribus: habet .n. putredinem tanquam cauſam continentem, quà ſublata ceſſat: at diaria [h] & hæctica febris citra cauſam continentem manet donec ea quæ prętернaturam calefacta ſunt,ſpiritus videlicet aut partes ſolidæ, ad priſtinam temperationem reuertantur: poteſt tamen cum hęctica febre coniungi [i] humorum putredo, cum diaria [k] adſtrictio vel obſtructio,aut inflammatio glandularum, quæ cauſæ calefaciendi vim habent & fouere poſſunt calorem quem aut

g Gal.8. methodi. ca. 9.& l.xi. meth.ca.2.

h Gal.ibidē.
i Gale.p.de diffe. febr. cap.x.& 3. pri. epid. com.9.
k Gal. 2. de criſi.ca 1. & 8.met.3 2.4.5.& 6

ſpiritus, aut partes ſolidę præternaturam cõtraxerunt, non tamen neceſſarię ſunt, cum & ſine ipſis perſeuerent eiuſmodi febres, dum reſtituatur priſtina temperatio: ex quò intelligi poteſt diariam & hæcticam febrem non habere cauſam continentem. Illud tamen reuocare in memoriam oportet, quod in proximo [a] libro expoſitum fuit, febrem diariam cum ſit morbus, & propterea lędat actiones, quę proprie ſunt partium ſolidarũ, neceſſario verſari in partibus ſolidis, quæ tamen non dum calefactæ ſunt, ſed à ſpiritibus calefactis in quibus verſatur diaria, calefiunt [b] tanquam à cauſa continente, quam non requirit calor præternaturam in ſpiritibus contractus vt conſeruetur, quamuis poſsit adeſſe & calorem conſeruare, vt adſtrictio, obſtructio, vel inflammatio glandularũ, quæ vltra 24. horas febrem retineat, ſed plerumq; abeſt, & tũc diaria [c] febris eſt vnius diei duntaxat: ſemper autem, ſiue maneant, ſiue non maneant, [d] antegrediuntur cauſæ, quæ quales ſint, iam inquirendũ eſt. Fuit antiquum dogma Athenei [e] & eius ſectę, quamlibet febrem fieri ex putredine, quod magna ex parte, non tamen omnino, verum eſt, cum non [f] nullæ febres ſine vlla putredine oriãtur ex labore, vigilia, ira, ſollicitudine, ſatietate, inedia, ębrietate, æſtu, frigore, aliaue ſimili rè, quemadmodum diariæ, quarum paucæ admodum, atque illę dũtaxat quas affert inflammatio glandularum à putredine oriuntur. Sed cum multæ [g] ſint ac variæ cauſæ quæ diarias febres faciunt, præſtat omnes ad certam viam & rationem dirigere, & ex certis locis quaſi ex fontibus haurire. Ergò [h] quæcumq; corpus noſtrum afficiunt, aut ad ipſum pertinent, ſiue fluant, veluti labor corporis, animi perturbatio, vigilia: ſiue maneant, vt inflammatio, obſtructio, adſtrictio: aut omnino externa ſunt, veluti quæ offeruntur, vt cibi, potiones, & quæ extrinſecus incidunt, vt appulſus caloris aut frigoris vehementis, aut rei adſtringentis: quæcumque cauſæ corpus noſtrum in morbum compellunt, aut ad externa referuntur, aut ad ea quę attinent ad corpus noſtrum, quare & illæ etiam quæ faciunt febrem diariam, aut enim omnino externæ ſunt quas [i] procatarcticas, aut pertinent ad corpus noſtrum, quas proigumenas [k] græci nominant. Voluit Galenus [l] omnem diariam gigni à cauſa procatarctica: quod non totum, ſed magna ex parte vere dicitur, nam ſi procatarcticam cauſam tantum externam intelligamus, quemadmodum ipſe aliquando intelligit, poterit quis obijcere animi perturbationes, à quibus ſępe diariam [m] febrem fieri ſcribit: quod ſi has ſub procatarcticis atque externis complecti velimus, ſicut & ipſe aliquando complexus eſt, adhuc obijciet quis inflammationem glandularum, [n] quæ neq; externa eſt, neq; procatarctica, & tamen

a Libro antecedẽti c.9.

b Gale p.de different. feb.cap.p.

c Gal.x. methodi.ca.2

d Gale. p.de different. feb. cap.7.

e Gale.p. de different. feb. cap.5.

f Gal ibidẽ.

g Gal.per totum octauum librũ de Metho. & 2.de crisibus c.13.

h Vidus l.2. de cur.gen c.p. par. p. & Ga. l.de cauſ. mor. c.2.in fine.

i Gal. ibidẽ.

k Gal.ibidẽ.

l Gal. l.p.de diff.feb. 7.

m Gal.8.meth. ca.3.& 2.de criſib cap. 13.

n Gal.8.methca.6. & p. ad Glauc.cap.2.

excitat

excitat diariam. Quod si hanc quoq; causam, sub externa & procatarctica, quia euidens est, compræhendi asseueremus, afferre quis poterit adstrictionem[a] & obstructionem, à quibus fieri interdum febrem diariam constat: Sed cum lateant, nullo modo redigi possunt ad euidentes, & idcirco ad procatarcticas, nisi dicas fieri illas à causa manifesta recẽti, veluti à frigore, ab ardore solis, itaut semper diariam antegrediatur causa procatarctica, externa recens atq; euidens: at neq; hoc perpetuum est, cum idem scribat, nasci diariam febrem aliquãdo ab obstructione,[b] quæ ab humoribus ex cibo paulatim & latenter cõtractis, multis, crassis, glutinosis proficiscitur, quod tamen rarum est, plerumq; .n. ex eiusmodi obstructione, oritur putredo in humoribus, & aliud genus febris, ex quò colligitur diariam febrem non semper, sed maxima ex parte oriri à causa procatarctica, hoc est euidente, siue externa sit, quod plerumque accidit, siue ad corpus nostrum pertineat, sed quæcumq; illa sit, supereſt vt videamus quo pacto possit cordis spiritus calefacere ac diariam afferre, & in quò potissimum corpore. Res omnes quæ calefaciunt, & febrem accendunt (vt declarauimus[c] cum persecuti sumus causas febris in vniuersum) aut calidæ sunt, aut rediguntur ad calidas, quatenus vel nõ sinunt exhalare calidam expirationem, vel suppeditant ac parant quasi pabulum calori; ex rebus externis, quæ extrinsecus incidunt, si calidæ sint veluti ardor solis, tanquam res calidæ calefaciunt eas partes nostri corporis quas attingunt, atq; hæ rursus proximas, donec incalescant spiritus cordis & accendatur febris diaria: si refrigerent[d] vel adstringant, claudunt foramina cutis, neq; sinunt calidos vapores exhalare, qui retenti, tandem calefaciunt spiritus cordis & diariam febrem afferunt: quę offeruntur, vt esculenta & poculenta, si calida fuerint efficiuntur[e] tanquam pabulum caloris, si multa crassa glutinosa, obstruendo, si adstringentia cogendo retinent calidam expirationem & calefaciunt spiritus in corde ac diariam efficiunt: excitatur etiam febris ex cibis corruptis, quãdo in inferiorem ventrem fuerint depulsi, intellige corruptos à calore, qui uidorem ędunt & tanquam pabulum calorem augent. Abstinentia vero, idem pręstat, quatenus calor cum non retundatur humore cibi & potionis, acuitur & acrior redditur, potissimum in spiritibus qui facillime accenduntur. Ex causis ad corpus nostrum attinentibus, quæ fluunt, vt labor & animi perturbatio ad motum refertur, qui parando[f] pabulum, calorem auget. Ad motum similiter refertur dolor, siquidem dolenti mouentur spiritus & accenduntur: animi defectios ob metum, aliquãdo diariam febrem affert, quamuis primo corpus refrigeret: somnus & vigilia

a Gal. 8. meth. c. 2. & l. 2. de cris. cap. 13. & p. ad Glauc. cap. 2.

b Gal. l. 8. meth. c. 4. & cap. 5.

c Libro antecedenti 3.

d Vidus ibidem.

e Vidus ibidem.

f Vidus ibidem.

g Auic. l. 4. f. p. Trac. p. cap. 29.

vigilia, faciunt diariam ob contrariam rationem, quod ex ſomno contrahantur ſpiritus & ſanguis, vnde nimis accenditur calor, in vnum contractus in corde, quaſi aucto pabulo: vigilia quatenus calor deſtituitur humore à quò remittebatur, vim habet calefaciendi, abſumit .n. humorem ac ſiccat. Quæ permanent, ſunt inflammationes glandularum, adſtrictio & obſtructio: appellat Hippocrates [a] inflammationes glandularum, ſiue ad inguina ſint ſiue ad alas, ſiue ad ceruices βουβῶνας, in his putreſcit ſanguis, & calidior redditus, calefacit proximas partes, atq; hæ rurſus alias, donec calor impertiatur ſpiritibus cordis: quod ſi non tantum calor, ſed etiam fuligo putris à glandularum inflammatione ad cor pertineat, putreſcent in eo humores & non excitabitur amplius [b] diaria, ſed alterum genus febris: adſtrictio verò & obſtructio retinendo calidam expirationem diariam efficiunt, ſequuntur autem maxima ex parte (vt ſupra [c] oſtenſum eſt) cauſas externas recentes ac manifeſtas, vt vehementem frigoris, vel caloris appulsũ, aquas adſtringentes, ciborum & potionum multitudinem, craſsitudinem, calorem. Cauſæ quas enarrauimus, illam diariam febrem efficiunt, quæ reſidet in ſpiritibus: altera quæ in ſanguine calefacto & non dum putri verſatur, & quam diximus [d] ſynocham nominari, oritur à cauſa interna, à copia [e] videlicet carnis & ſanguinis, multa caro comprimit canales, multitudo ſanguinis eoſdem obſtruit, itaut vtroq; nomine claudantur, neq; ſinãt exhalare calidam expirationem, quę retenta, ſanguinem prę ternaturam calefacit, & hoc pacto excitat diariam ſynocham, quę vnica [f] acceſſione continetur cum inflammatus ſit ſanguis vniuerſus, neq; nouus per certos circuitus inflammetur: manet autem dum refrigeretur & ad priſtinam temperationem reuertatur, Quod ſi calidi [g] vapores pariter exhalent ac gignantur, perſeuerat ſimilis à principio, vſque ad finem: ſi plures gignãtur, quam exhalent, videtur aſsidue augeri, contra ſi plures exhalent quam gignantur, aſsidue minui. Non ſunt autem opportuni æque omnes homines diariæ [h] febri, ſed alij magis alij minus: neq; item omnes æqualiter obnoxij ſunt vtrique ſpeciei diarię, ſed alij magis vni, alij magis alteri: at neque omnes pariter ab ijſdem cauſis in diariam febrem compelluntur, ſed alij magis ab hac, alij ab illa. In diariam ſynocham incidunt tantum adoleſcentes bono [i] habitu, ac multo & calido ſanguine redundantes, non ſenes qui frigidiores ſunt, non pueri à quibus multum eſt quod expirat, quiue multum abſumunt ſanguinis in incremento. Alteri diariæ quę verſatur in ſpiritibus, exponuntur primum corpora calida [k] & ſicca, proxime calida & humida, tum calida tantum, dein ſicca tantum, poſthęc quæ media ſunt

a Hippoc. 4. aphoriſm. 55. & Gale. 13 meth. cap. 5.

b Gale. p. de diff. febr. cap. 5.

c In hoc eodem cap.

d Supra in cap. antec.

e Gal. 9. meth. cap. 3. & cap. 4.

f Gale. 2. de diff. ebr. cap. 2.

g Gale. ibidem & l. 9 meth. c. p.

h Gal. 8. meth. cap.

i Gal. 9. method. ca. 3 & 4.

k Gal. 8. meth. cap. 8.

inter

inter calida & frigida, inter humida & ſicca: in alijs verò corporibus in quibus naturaliter aliæ qualitates exuperant, nõ facile accenduntur ſpiritus, aut fit diaria febris. Ab inflammatione [a] ac putredine glandularum accenduntur ſpiritus cordis potiſsimum in corporibus calidis & [b] humidis, in quibus facile ſanguis putreſcit Ex cruditate febricitãt illi qui quę ſumunt non bene concoquunt, ſed aut acida reddunt, aut etiam vitioſa [c] & cum nidore: vtraque autem obſtruũt & retinent calidam expirationem, ſed quæ nidorem ędunt, præbent etiam pabulum calori. Poſtremo à cauſis claudentibus, ſiue cogant, ſiue obſtruant parua foramina cutis excitatur diaria febris, maxime in illis hominibus qui multam fuliginem contrahunt: hæc .n. retenta, [d] facile accendit ſpiritus in corde: colligitur multa fuligo in corporibus calidis & [e] ſiccis: ſunt autem hæc nigra, gracilia, hirſuta, cum calore mordaci atq; vrina acri: colligunt autem multam fuliginem, præſertim poſt ortum caniculæ, poſt inediam, [f] vigilias, labores, ſtudia, cibos & potiones acres, ac mali ſucci: quæ omnia ſi contrario modo ſe habeant, nequit obſtructio vel adſtrictio diariam febrem afferre.

a Gal. p. 1. de differ. feb. cap. 5.
b Gal. 8. meth. cap. 7.
c Gale. l. 8. meth. c. 5.
d Gal. 8. meth. cap. 2.
e Gal. 8. meth. cap. 2.
f Galen. ibidem.

De ſymptomatibus Diariæ febris. Cap. III.

EXPOSITIS cauſis diariæ febris, proximum eſt vt ad effecta pergamus, hoc eſt ad ſymptomata: nulla autem videntur ipſam ſequi cum ſimpliciſsima [g] ſit & mitiſsima, attamen aliqua neceſſe eſt ſequãtur cum morbus ſit & idcirco actiones offendat, actionum .n. offenſæ ſymptomata ſunt, cũ quibus etiam iunguntur retenta & expulſa præternaturam, & quædam ex his quæ in corpore noſtro ſenſibus percipiuntur mutata: in hac controuerſia ſtatuendum eſt diariam febrem non carere omnino ſymptomatibus, cum ſit morbus, ſed cum ſimpliciſsima ſit & mitiſsima, illis vacare quæ propriam curationem poſtulant, aut grauia ſunt qualia [h] tractantur ab Hippocrate, in libris prognoſticorum, neque .n. copulatur diaria febris cum delirio, cum neruorum diſtentione, cum difficultate reſpirationis, cum frigore externarum partium & ardore internarum, cum facie illa quam ex [i] Hippocrate Lucretius his verbis expreſsit. Naſi primoris acumen tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis, duraque: at neque iungitur etiam cum fætore aut nigritie eorum quæ expelluntur. Nullum ergo ex eiuſmodi ſymptomatibus periculoſis diarię febri ſuperuenit, neque mirum eſt, cum ſpiritus duntaxat in corde conceperint calorem præternaturam atque hunc lenem, ſolidæ verò partes, neque calefactæ ſint, neque etiam vehementer

g Gale. p. ad Glauc. c. 2.
h Gale. 2. de criſib ca. 13.
i Galen. p. prognoſt. 6. 7 & 8. Textib. & Lucre. l. 6. qua de peſte.

calesiant, modo nihil in curatione erretur, neq; praua aliqua qualitate afficiantur, sicuti solent in febribus ab humorum putredine ortis, in quibus impertitur cordi putris [a] fuligo. Retinent igitur solidæ partes cordis suum robur, & vitalem vim impertiunt reliquis partibus, ita vt non possint valde lædi actiones, neque accedere symptomata grauissima: illa autem leuia quæ superueniunt, partim ab ipsa febre emanant, partim à causis: à febre hoc est calore aucto in spiritibus cordis, augetur pulsus [b] & respiratio, fit .n. potissimum pulsus maior, celerior, & interdum etiam frequentior, sed cum lenis sit eiusmodi calor, non liquat quæ concreta sunt, neque nimis exsiccat humorem, & ideo neque adstringit, neque resoluit aluum. Causæ quæ adhuc manent, nonnulla symptomata afferunt, veluti glandularum inflammatio, dolorem cum pulsu: quæ recedunt etiam [c] sæpe aliquem affectum relinquunt, & cum eo symptoma, vt ardor solis dolorem atque æstum capitis, frigus destillationem, labor lassitudinem, vigilia, difficultatem dormiendi, cibus multus crassus durus, cruditatem.

a Gale. p. de diff. feb. c. 5

b Gal. 2. de Cryfib. ca. 13.

c Gal. p. ad Glauc. c. 2

De differentijs Diariæ febris. Cap. IIII.

PRÆTER morbum causas & symptomata, attendere etiam in diaria febre oportet differentias, quarum aliæ constituunt speciem, quales sunt quæ sumũtur à forma caloris lenis, qui si nõ iungatur cum multis vaporibus, cõstituit eam diarię speciem quæ residet in spiritibus calefactis: si cum vaporum copia copuletur, synocham [d] diariam quæ versatur in sanguine calefacto & non dũ putri. Aliæ mutationem quandam afferunt speciei iam constitutæ, atq, hæ non sunt omnino aduentitię, sed aliquo pacto spectant ad formam, sumuntur [e] .n. vel à subiecto corpore, vel à modo quò forma in eo versatur, vel ab his quę formam in ipso consequuntur, vt à magnitudine, multitudine, loco, motu, tempore, vel à causis, vel ab effectis. Intueamur quo pacto [f] eiusmodi differentijs distinguantur inter se febres diariæ. Distinguuntur primum subiecto corpore, cum aliæ fiant in eo quod multo sanguine [f] redundat, & boni habitus est, veluti synocha, alię in eo quod multam [g] fuliginem contrahit, veluti ille in quo ob parua foramina cutis clausa, spiritus accenduntur, alię in eo quod calidum est & humidum, quemadmodum illæ quæ sequuntur putredinem, [h] atq, inflammationem glandularum. Modo quò forma residet in subiecto corpore, non differunt inter se febres diariæ, cũ idem in omnibus sit neq;. n. hęret calor valde spiritibus, aut habitum contraxit, sed facile remouetur, & est vt Græci dicunt κατα-

σχέσιν

d Gal. 9. methodi. ca. 2

e Sup. libro antec. ca. 5

f Gal. 9. meth. cap. 3.

g Gal. 8. methodi. c. 2. & cap. 7.

h Gal. 8. methodi c. 7.

σχέσιν [a] non καθέξιν. Magnitudo eadem videtur ineſſe omnibus diarijs, cum omnes leni calore continentur: differunt tamen quod multo plus caloris ſentitur in ſynocha, quam in alijs: at cum ſimpliciſsimę [b] ſint, non diſtant inter ſe multitudine ſuperuenientium ſymptomatum, niſi ſiquæ ſequantur cauſas aliquas, hæc .n. tantum in illis apparent quę ab eiuſmodi cauſis oriuntur, paulo autem [c] ſupra à nobis expoſita ſunt: loco non diſtinguuntur diarię febres quemadmodum illæ quę verſantur in humoribus putribus varias partes corporis occupantibus: Sed accenduntur ſpiritus in corde, aut in eodem incaleſcit ſanguis, itaut locus idem ſit ſemper. Quod ſpectat ad motum, omnes [d] diariæ vno circuitu, atque vna acceſsione continentur, omnes item celeriter mouentur: proprie tamen ſynochæ aliquæ [e] à principio ad finem manent ſimiles, aliquæ ſemper augentur, aliquæ ſemper minuuntur: tempore diſtinguuntur diariæ, quod quamuis pleræq; vnum [f] tantum diem maneāt, aliquæ tamen ſunt plurium dierum, velut illæ quę fiunt ex inflammatione glandularum, aut ex foraminibus adſtrictis vel obſtructis. Cauſæ verò differentias afferunt quatenus vel adhuc manent, vel iam receſſerunt: manent in his quæ fiunt ab inflammatione glandularum, ab adſtrictione vel obſtructione. Quę receſſerunt, aut nullum reliquerunt affectum pręter febrem, quemadmodum plerumque animi perturbationes, aut reliquerunt aliquem, veluti ſolis ardor capitis ęſtum, frigus deſtillationem, vigilia difficultatem [g] dormiendi, labor laſsitudinem, cibus cruditatem. Effectis deniq; hoc eſt ſymptomatibus diſtinguuntur diariæ, quod aliquibus accedant leuia illa ſymptomata duntaxat quę ſequuntur morbum, aliquibus illa etiam quæ afferuntur à cauſa, vt à labore, vigilia, cibo, æſtu, frigore, inflammatione. Porrò cauſę à quibus propoſitæ differentiæ oriuntur, eędem ſunt atque illæ quæ febrem diariam afferunt, tantum aſſumunt ſimilem differentiam, ſiue ſimilitudo implicita ſit & abdita, ſiue aperta & expedita, quemadmodum declarauimus [h] cum cauſas differentiarum febris in vniuerſum in ſuperiori libro perſequuti ſumus.

a Gal. 8. meth. ca. 9. & cap. p. eiuſdem lib.
b Gal. p. ad Glauc. c. 2
c Sup. in cap antec.
d Gal. 9. meth. ca. p. & l. x. meth. cap. 2.
e Gal. 9. meth. cap. 3. & l. 2. de diff. feb. cap. 2.
f Gal. x. l. de methodo meden. c. 2
g Gal. p. ad Glauc. c. 2
h Supra l. antec. cap. 5.

De ſignis Diariæ febris. Cap. V.

QVÆ abſolute intelligenda erant de diaria febre, iam expoſita ſunt: proximum eſt vt ad ea pergamus quæ cognoſcere in homine oportet, ſiue præſentia ſint, veluti morbus, cauſæ quę ad huc remanent, ac ſymptomata: ſiue præterita, vt cauſæ antegreſſæ: ſiue futura, vt euentus vnà cum tempore ac via. Or-

diemur

diemur à præsentibus ex quibus symptomata quæcumq; illa sunt seu morbum sequantur, vt respiratio & pulsus præternaturam: seu causam, vt ardor capitis, destillatio, difficultas dormiendi, lassitudo, sub sensum cadunt, neq; egent signis à quibus indicentur, agemus itaq; tantum de recognitione morbi & causarum· Morbus, hoc est diaria febris, statim internosci debet & distingui ab alijs febribus, plurimum .n. hoc interest, partim ad ægrotantis molestiam pellendam, partim ad periculum propulsandum: duo autem molestiam afferunt laboranti, vnum est, quod animi pendet, metuitque ne morbus ingrauescat: alterum est curatio, nam vbi medicus incertus est quę febris sit, imperat[a] inediam, interdicit refrigerantibus: cessat vtraque molestia, cum intelligens esse diariam, ostendit laboranti morbum esse leuissimum & vniusdiei, non vtitur inedia, non prohibet refrigerantia. Periculum quod imminet, similiter duplex est, vnum, ne si diaria sit, & non internoscatur, homo qui alioquin calidus, siccus ac bilioſus est, compellatur[b] in hæcticam: alterũ ne si febris quæ in putribus humoribus versatur existimetur diaria, permittatur homo viuere quemadmodum maxime iuuat, & ex leui, malum fiat grauissimum. Expedit igitur primo die inlelligere quæ febris sit, & num diaria, quod non ita[c] difficile est vt nonnulli existimarunt, qui diariam febrem facile curari, difficulter cognosci voluerunt, cum possit partim sensu, partim mente, clarissime depræhendi; sentitur ab ęgrotante, cum sit inęqualis immoderatio caloris, sentitur & à medico: proxime autem cadit sub sensum tactus calor quò diaria continetur, nam licet versetur in corde, quod neq; attingi potest, neq; tractari, impertitur tamen ac funditur in vniuerso corpore, & idcirco in partibus externis, in quibus potest tactu percipi eius qualitas quantitas, tempus, ac motus: si quis.n. antea cognouerit cuiusmodi esse hæc debeãt in diaria, statim atq, hominem tanget, sentiet diaria laborare. Est autẽ) vt in superioribus ostensum est) eius calor qualitate lenis & similis naturali, non acris, vt in alijs febribus: æditpręterea vapores[d] suaues, non mordentes, quemadmodum in illis: quantitae verò multo copiosior est quam naturaliter esse soleat, quippe qui officiat vitæ muneribus: refert autem illum quem irati, ebrij, aut exercitati præseferunt. Tempus quo manet[e] est, 24. horarum, plerumq; non porrigitur vltra vnũ diem, neque enim manet plures, nisi aut quid erretur, aut adsit in flammatio glandularum, obstructio, & adstrictio, à quibus causis retinetur, alioquin ita primo die finitur, vt nullum eius vestigium relinquatur: mouetur etiam ęqualiter, statimque se ostendit atq; augetur, neque intus includitur, sed emergit, quæ omnia

a Gal. 8. meth. cap. 2.

b Galen. 9. met. cap.

c Gal. 8. meth. cap. 3.

d Gal. 2. de crisib. c. 3.

e Gal. 2. meth. c. 2.

si quis

si quis diligenter animaduertat, tactu deprehendet, & vnà diariam quæ in eiusmodi calore consistit. At mente etiam conijci diaria febris potest ex causis, vnà cum habilitate corporis ægrotantis, ex his quę prosunt aut obsunt, ex effectis. Quod spectat ad causas, commune existimatur cuiuslibet diariæ oriri ex externa aliqua recenti ac manifesta, quod vt paulo [a] supra monstrauimus cum causas persequeremur, non omnino, sed maxima ex parte verum est: Oritur.n. plerumque [b] ab æstu, frigore, appulsu adstringentium, cibo, potione, labore, dolore, perturbatione animi, inflammatione glandularum. Illam verò quæ proficiscitur à foraminibus clausis, plerumq; antegreditur aliqua eiusmodi causa recens ac manifesta: raro .n. sine hac fit obstructio paulatim, à quâ oriatur diaria febris. Incipere igitur ex causa recenti & manifesta, ferè commune est cuiuslibet diarię, non tamen ita proprium vt non possit alijs quoque febribus accidere: illę enim quæ residentin humoribus putribus, aliquando ab eiusmodi causa incipiunt. Fit etiam coniectura diariæ febris, ex habilitate corporis ægrotantis, quod vbi tale est, vt facile in diariam incidat, verisimile est cum febricitat in eam incidisse: maxime autem huic febri exposita esse [c] monstrauimus corpora calida & sicca, deinde illa in quibus calor & [d] siccitas excedit: quædam autem temperatio corporis magis obnoxia est vni speciei quam alteri, & ab his causis magis quam ab illis in diariam compellitur, vt in sequentibus apparebit. Iuuantium & lędentium hæc ratio est, quod pręter ea quę prosunt aut obsunt communiter omnibus febricitantibus, proprie diaria febre laborantibus, primo die prodest [e] vsus balnei, neque inde sequitur horror, prodest & cibus & potio, sed obest abstinentia, quò signo vtimur tantum post xxiiii. horas, cũ calor iam exhalauit, confirmat [f] .n. pręteritam accessionem fuisse diariam, sicuti vtilitas quæ citra noxam ex purgatione sequitur, confirmat catharcticum [g] fuisse recte datum. Postremò effecta, hoc est symptomata magnam fidem faciunt diariæ febris, absunt .n. grauia illa quę commemorantur [h] ab Hippocrate [i] in libris prognosticorum: quę verò superueniunt diarię, leuia admodum sunt, nisi causam sequũtur; sequuntur autem febrem ex actionibus primo respiratio [k] aucta, monstrat.n. hæc qualis sit calor cordis, cuius causa fuit à natura [l] instituta. Aucto igitur calore fit hæc, maior, celerior, & frequentior, vt maiorem habeat perspiratum: verũ vt calor in diaria febre parum accenditur, ita etiam parũ augetur respiratio, quod contra accidit febribus ex humorum putredine ortis, in quibus & valde accenditur calor, & idcirco valde etiam augetur respiratio: idem vsuuenit [m] in pulsu, qui ob eamdem causam simi-

a In hoc libro cap. 2.

b Gal. 2. de crisib. cap. 13 & p. ad Glauc. cap. 2.

c In hoc libro cap. 2

d Gal. 8. method. ca. 7.

e Gal. 8. meth, cap. 2. p. ad Glauc. cap. 2.

f Gal. 9. meth. cap. p.

g Primo. 1. aphorism. 2. 23. & 25. Tex.

h Gal l. 2 de crisib. cap. 13.

i Hipp. l. 3. prognost. Tex. 8.

K Supr. l. antec. cap. 4.

l Gale. l. de vsu pul. c. 2

m Gale. 2. l. crisium cap. 13.

similiter in diaria redditur maior, celerior [a] & frequẽtior, nisi quid obsitet, vt virium imbecillitas, aut causa aliqua ipsius febris: sed quia in alijs quoque febribus augetur pulsus, distinguemus hanc ab illis, quod vt calor leuiter, ita & pulsus leuiter in ea augeatur, sed animaduertimus etiã in pulsu mollitudinẽ arteriæ, perquam diaria discernitur ab hęctica; animaduertimus & similem çqualitatem [b] atq; ordinem constantem, quę non ita apparent in febribus ab humorum putredine ortis: maxime autem est proprium febris diariæ, quod arteria celerius dilatatur [c] quam contrahatur, si quidem magis opus est refrigerare calorem auctum, quod fit cum arteria dilatatur, quam expellere fuliginem, quod accidit cũ contrahitur: neq; .n. multa est in diaria febre, veluti in illa quæ versatur in humoribus putribus: præterea cum duplex [d] in pulsu attendatur quies, vna interna post contractionẽ, altera externa post dilatationem, breuioris temporis est interna quies quam sequitur dilatatio, quam externa quam sequitur contractio: ita vt magis frequens sit pulsus ob internam quietem, quam ob externam, quod (vt iam dictum est) diaria febris magis postulet dilatationem, quam cõtractionem: id contrario [e] modo accidit illi quæ versatur in humoribus putribus, cũ magis postulet vt expellatur fuligo, quam vt temperetur excessus caloris: reuertitur etiam pulsus in diaria febre post finem accessonis ad naturam suam, neque vllum [f] mutationis vestigium retinet, quod non euenit alijs febribus, in quibus vbi soluta est præcedens accessio, etiam si multum sequens distet, quemadmodum in tertianis & in quartanis, non propterea reuertitur ad naturã suam, neque sequitur omnino integritas: quæ omnia si quis in pulsu diligẽter obseruet, facile diudicabit inter diarias & alias febres. Ad actiones læsas [g] refertur horror, qui nõ incidit initio diarię, nisi ex æstu aut frigore oriatur, sed illarum duntaxat febrium quæ sequuntur humorum putredinem. Sed relictis actionibus pergamus ad expulsa quæ maxime sequuntur secundum naturam: certum autem indicium videtur sumi ab vrina, cum [h] emanet ex venis atque ex arterijs, vbi continentur humores, qui si putrescant, necesse est vrina mutetur & aliquam putredinis notam pręseferat, si secundum naturam seruentur, ipsa quoque vrina seruabit naturalem habitum & colorem, & quę in ea subsident, secundum naturam se ostẽdent: accidit hoc diarijs solis atque omnibus, nisi obstet obstructio, adstrictio, vel alius affectus à causis, vt ab animi perturbationibus relictus: exit etiam in diaria cum calor recedit, sudor aut [i] vapor lenis, cum quò cessat & febris & siquid adest symptoma: in alijs autem febribus quod ex cute exit acre est, & interdum remanent aliqua symptomata,

a Supra l. antecedenti. c. 4 & Ga. 3. de præsag. ex pulsib. cap. 2. & cap. 7.

b Gal. 2. l. de crisibus cap. 13.

c Gale. 3. de presag. pulsuum c. 7.

d Gale. p. de diff. puls. cap. 8.

e Gal. 3. de præsagit. puls. ca. 7.

f Gal. 2. l. de crisib. c. 13

g Gal. p. l. de diff. feb. cap. 7.

h Gal. 2. de crisib. ca. 13.

i Gale. p. ad Glauc. c. 2.

ptomata, licet leniantur. Ex qualitatibus corporis, diariam febrem nulla sequitur insignis [a], quare vbi superueniat mutatio coloris, gracilitas, frigus extremarum partium, aut aliud simile, ratum habendum est eam febrem non esse diariam: hæc quæ actenus proposita sunt magis proprie monstrant speciem illam diariæ febris quæ versatur in spiritibus. Altera quæ residet in sanguine caletacto & non dum putri, deprehenditur partim sensu, ex ipso calore, qui quamuis [b] lenis sit, est tamen longe copiosior, & longe plures vapores ædit: partim dijudicatur mente, ducuntur enim signa à causa, vt à multitudine sanguinis [c] in adolescente boni habitus; tum à iuuantibus & lædentibus, quod prosit sanguinis missio & inedia, obsit balneum ac cibus: postremo ab effectis vt à respiratione aucta, à pulsu item aucto ac pleno, ab vrina [d] rubra, crassa, à rubore totius corporis. Differentiæ diariæ febris omnes sub sensum cadunt vndecunque sumantur, non secus atque illæ quæ sequuntur febrem in vniuersum, vt [e] supra ostendimus, cum earum iudicia enarraremus.

a Gal. 1. 1. de crisib. c. 13.

b Galen. 1 de diff. feb. c. 9 & 9 metho. cap. 4.

c Gal. 9. methodi c. 3.

d Gal. 9. meth. cap. 4.

e Libro antecedéti c. 6.

De signis causarum diariæ. Cap. VI.

CAVSAE febris diariæ plerumque prætereunt, quemadmodũ in superioribus ostensum est, interdum tamen remanent: expedit vtrasque intelligere, & præsentes [f] quidem vt tollantur, nec diariam febrem diutius retineant, preteritas verò [g] vt indicẽt non tantum febrem quam fecerunt, sed siquem alium affectum cui succurrendum sit, prẽter ipsam reliquerint in corpore ęgrotantis. loquemur primo de cognoscendis causis præsentibus atque adhuc manentibus, cuiusmodi sunt [h] cruditas, inflammatio glandularum, adstrictio vel obstructio, quorum omnium commune est diariam febrem plures dies trahere, proprie autẽ cruditas ad obstructionem refertur, obstruit enim siue acida sit, siue nidorem præseferat, [i] quamuis hæc non tantum obstructionis nomine, sed etiam ob calidas exhalationes quas reddit, diariam febrem accendat: vtraque autem cruditas, vel ex solo ruptu percipitur, qui aut acidus est, aut nidorem repręsentat, sed cum referantur ad obstructionem, non est quod in illis dignoscendis diutius insistamus. Inflammatio glandularum sub sensum cadit, sed multo artificiosius & cum maiori admiratione omnium conijcitur ex signis, plurimumque habet auctoritatis apud ægrotantem, qui magis [k] illi obsequitur, quem magis admiratur: Ergo si subsit inflammatio glandularũ, colligetur primo ex causa, siue ex occasione ob quam excitata est, hæc autem vlcus est in ore cum inflammantur glandulæ

f Gal. 8. methe. c. 2. & 4.

g Gale. 4. methodi ca. 3.

h Gale. 1. x. meth. ca. 2.

i Gal. 8. meth. cap. 5.

k Hip. p. prognost. ab initio.

dulæ ceruicis,in brachis,cum illæ quę[a] ſub alis,in cruribus,vel par
tibus genitalibus cum illæ quæ ad inguina,ſunt .n. eiuſmodi vlce
ra occaſio inflammationis, præſertim in homine calido & humi-
do,ſiquidem ſanguis confluens ad vlceratas partes per venas & ar
terias glandularum, aliqua ex parte in ipſis retinetur. Accedunt
iuuantia,& lædentia,quæ ſimiliter demõſtrant glandularũ inflam
mationem:proſunt. n.[b] quęcumq; relaxandi vim habent, obſunt
quę adſtringendi:quamquam nõ adhibentur niſi prius nota ſit in
flammatio,itaut nõ multũ valeant hæc ſigna. Longe certiora ſunt
quæ ab effectis ſumũtur,ſiquidem pulſus [c] valde plenus eſt, velox
frequẽs & æqualis, raroque in vno atque eodẽ ictu inęqualitatem
pręſefert:vrina alba & aquoſa eſt,quod calidus humor qui cum ea
miſceri ſolet,totus[d] rapiatur à loco inflammato,ob quam cauſam
phreneticorũ[e] quoque vrina alba eſt;& quibus ingenti inflamma-
tione viſcera premuntur extremæ partes [f] inalgeſcunt; exit etiam
aliquid ſudoris qui ex altioribus partibus poſt vigorem fertur ad
cutem:rubet pręterea vniuerſum corpus & pręſertim facies: priuſ
quam igitur glandularum inflammatio ſenſu percipiatur, ex pro
poſitis indicijs colligi commode poteſt. Adſtrictio foraminum cu
tis quæ diariam febrem[g] excitat præſertim in corporibus multam
fuliginem contrahentibus,conijcitur primo ex cauſis vnà cũ habi
litate corporis,facile autem cogũtur his quibus laxa [h] ſunt,admit
tunt.n.ſic vim cogentiũ cauſarũ, quæ nõ facile permeat vbi anguſ
ta ſunt : ob eãdem cauſam aqua [i] calida facilius refrigeratur, quã
ea quæ gelida eſt, quare foramina quoque cutis vbi noſtra corpo
ra priuſquã calefacta ſint patent,& multo facilius cogũtur, quam
quę alioquin adſtricta ſunt. Cauſæ cogendi vim habentes partim
refrigerant,vt appulſus aeris frigidi,aut vſus aquę frigidæ: partim
adſtringunt,veluti balneũ aquæ habentis [k] vim alluminis: demon
ſtrãt propoſitæ cauſę adſtrictionem quam indicant etiã & ea quæ
proſunt, vt relaxãtia [l] calida & humida,& ea quæ obſunt, vt cogen
tia,ſiue frigida ſint,ſiue etiam adſtringãt:ex effectis verò pulſus ve
locior eſt,ſed minor cũ à retenta fuligine debilitetur aliquo pacto
facultas vitalis:[m] vrina alba & tenuis eſt,quod nõ miſceatur ampli
us cũ humoribus calidis à quibus infici ſolebat:nihil præterea exit
ſudoris,cutis dura eſt,calor tãgentis ſtatim mitis apparet,ſed pau
lo poſt acrior ſentitur, quod talem efficiat ret ẽta fuligo. Obſtruc
tio foraminum cutis diariam affert, id quod facit etiã obſtructio
internorum canalium vbi parua[n] ſit,nam vbi magna,putredinem
excitat,& alterũ genus [o] febris. Intelligitur obſtructio primum ex
cauſis vnà cũ habilitate corporis,parua foramina & anguſti cana-
les,etiam à leui cauſa obſtruuntur. Obſtruuntur foramina à ſordi

bus

a Gal.1.diff. feb. cap.11 & 13. meth.cap. 5.
b Gal.13.meth. cap.5.
c Gal. 2.l.de crisi.c. 13.
d Galen. 7. ahoriſm. com. p.
e Hippo. & Galen. 4. aphoriſm. 72.
f Gale. 7. aphoriſm. com. p.
g Galen. 8. met. ca.2.
h Gale3.de Tuen. val. cap. 10.
i Gale. 4. 6. epid. com x.
k Gal. 8.meth. cap. 2.
l Gal.5.ſimplic.ca.11.
m Gale.p.ad Glauc.c.2
n Gal.8.meth.c. 4.
o Gal. 9.method.ca.4.

bus retẽtis,ſed interni canales à multis craſsis & glutinoſis[a] ſuccis qui ex ſimilibus cibis ſunt contracti.Iuuãt detergentia, extenuantia,incidentia,extrahentia,nocent contraria;ex effectis pulſus eſt frequens ac paruus,adeſt quidam ſenſus grauitatis,vrina colorata eſt,nullus exit ſudor,calor minus lenis ſentitur quam ſoleat in diaria.Illæ verò cauſæ quæ præterierunt,quamuis poſsint ab ægrotante[b] & familiaribus referri,vtilius tamen conijciuntur,nõ quidem ex alijs cauſis à quibus ortæ ſunt,quia multo magis latent:non ex iuuãtibus,aut lædẽtibus,nihil.n. iuuare aut lædere poteſt id quod præterijt,ſed ex ſolis[c] effectis,quæ ab ipſis ſunt relicta:ſi quãdo autem ſumimus,indicijs ſumptis ab his quæ proſunt aut obſunt, id facimus vt monſtrent affectum corporis,quem cauſæ reliquerunt, ex quò cognito proximæ indicantur cauſæ antegreſſæ:referuntur autem omnes,vel ad animum,vt meror,metus,gaudium, ſpes,ira: vel ad corpus,vt ſomnus,vigilia,labor,inedia,ſitis, inanitas,animi defectio,ębrietas,ſatietas,ęſtus,frigus:percurramus effecta vniuſcuiuſq;cauſæ ſeparatim.Perturbationes animi,magna ex parte receſſerunt cum iam adeſt diaria:Quod ſi adhuc remanent, debent tanquam res præſentes colligi ex[d] effectis,& potiſsimum ex[e] pulſu qui vario modo mouetur, prout varie in illis calidũ innatũ cõtrahitur,effunditur, aut feruet: ſed interdum quæ receſſerunt animi perturbationes aliquam relinquũt in pulſu mutationem, [f] ex quà conijci poſſunt: quod vbi nõ accidat intueri oculos oportet ægrotantis,præſefeferunt.n.lętitiam,merorem,iram,atq;eã animi commotionem quæ diariam febrem effecit: vrina his qui læti ſunt, ſecundũ naturam redditur, mæſtis verò acris & colorata, inquibus calor potius [g] ſentitur acris quam multus:contra iratis multus potius quam acris. Vbi ſomnus diariam excitauerit, pulſus plenior apparet & validior,cutis ſentitur tactu mollior,& veluti elixa,quę detruduntur cocta ſunt: contra ſi vigilia cauſa fuerit diariæ quod magis accidit,pulſus paruus eſt, vrina[h] cruda,oculi concaui,palpebræ vix aperiuntur, cutis dura tangitur, & veluti aſſa. Labor conijcitur primo ex iuuantibus, proſunt.n. quies, cibus & potio, cum ſint ex hauſtæ vires,obſunt exercitatio & inedia, exeffectis principio pulſus magnus eſt, ſed ſi labor diu perſeueret minuitur, vrina redditur calida & ruffa, cutis principio madet, ſed proceſſu temporis[i] fit ſqualida. Inedia ſi diariam febrem accenderit prodeſt cibus, pulſus ſentitur paruus ac debilis, vrina exit colorata,cum vis caloris non remittatur amplius ab humore cibi, cutis tangitur ſqualida. Ab ijſdem effectis indicatur ſitis & inanitas, à quibus inedia, itaut vbi illa apparent,non abſolute hanc aut illam cauſam, ſed aliquam ex ipſis antegreſſam eſſe dicendũ eſt:

a Gal. l. 9. meth. c. 4.

b Gal p. prognо. cõ. 8.

c Gale. 2. de crisib. ca. 13.

d Gal. l. 2 de crisib. cap. 13.

e Gale p. ad Glauc. c. 2.

f Gal. ibidẽ & p. prog. com. 8.

g Gale. p. ad Glauc. c. 2

h Gal. ibidẽ. & l. 2. de crisib c. 13

i Gale. 2. l. de crisib. cap. 13.

est: proprie autem si antegressa sit sitis, prodest potio, si inanitas, tam cibus quam potio. Quod si ex animi defectione orta sit diaria, prodest quouis modo reficiantur vires, languet non solum pulsus, sed quęuis alia actio, oculi perturbati sunt, facies pallida. Satietas & cibi copia si diariam excitauerit, iuuat ĵinędia, nocet cibus, pulsus magnus est & validus, vrina non cruda, non nimis colorata, cutis tangitur mollior & humidior. Si fueritæbrietas prodest aquæ potio, pulsus magnus ac vehemens est, vrina multa, vapor ex cute exhalat quæ mollior percipitur. Æstus vbi causa diariæ fuerit, prodest [a] balneum aquę dulcis, nocet potio vini, augetur pulsus & respiratio, sentitur totum corpus, sed potissimum caput calidius, sitis magnitudo non respondet magnitudini caloris, venæ in oculis & facie distenduntur, sequitur destillatio ex cerebro. Postremo si diariam febrem attulerit frigus, nocet balneum, prodest vini potio, pulsus durior fit & magis subsidet quam attollatur, vrina alba est, non colorata: hoc pacto igitur dignoscuntur causę quæ præterierunt.

a Gal.l.8.methodi c.3.

De prognostico Diariæ febris. Cap. VII.

FVTVRA superfunt quę in homine qui diaria laborat præcognoscenda sunt, euentus videlicet, tempus, & via; præsagitur euentus ex causis, quæ sunt natura [b] & morbus: differentię verò temporis & viæ ex simili differentia addita causis. Expectabimus in febre diaria euentū salubrem, cum mitissima [c] sit & homo xxiiii. horis [d] perueniat ad integritatem, reuertiq; possit admunera consueta: Quod perpetuum est nisi quid erratum fuerit, aut nisi alius affectus præternaturam accesserit. Incidit error culpa medici, ęgrotantis, ministrorum, aut rei alicuius fortuitæ, à quocumque autem proficiscatur, in eo ferè consistit, quod aut corpus importune refrigeretur, aut adhibeatur inedia non conueniens. Refrigeratur corpus ab aere circumfuso, à frigidis medicamentis quę inunguntur: aliena autem sunt refrigerātia externa prius quam expirent calidi vapores, nam retenti, tanquam calor ambientis vim habent putrefaciendi, quò fit vt diaria in eam vertatur quę residet in humoribus putribus, præsertim vbi sit obstructio vel adstrictio, & ita non sequatur salus eodem die. Inedia verò vbi corpus calidum sit, siccum & bilioſum, æstiuo tempore sub cęli constitutione simili, efficit [e] vt diaria febris cōuertatur in hęcticam, præsertim si ex æstu, labore, animi perturbatione, vigilia orta sit, calor .n. quò continetur ob siccitatem quam affert inedia, redditur acrior, ita ut à solidis partibus concipiatur; euenit

b Galen.l.de constit.art. cap. 18.

c Gal. 2. crisiuum c. 13

d Gal.l.x.methh. cap. 2

e Gal. 8.methodo.cap.2.

interdum

interdum vt in corpore quod diaria præhenditur, sit alius affectus præteraturam, ob quem si nihil etiam erratum fuit, diaria vertitur in alteram febrem: id quod maxime accidit, vbi interni canales vel adstricti sunt, vel obstructi: calor.n. qui in spiritibus accensus est, retentus, putrefacit humores, atque hoc pacto ex diaria fit alterum genus febris. Euentus quem expectare oportet, cum diaria degenauerit, vel in hæcticam, vel in eam quæ versatur in humoribus putridis, tunc exponetur cum eas persequemur; nunc satis sit intellexisse diariam eodem die finiri, nisi in alteram febrem degeneret, vel ob errorem, vel ob alium affectum præternaturam; hoc vbi accidat dijudicandum est. Quod si iam degenerauerit, declaratur ab indicijs illius febris in quam versa est: interea dum degenerat, [a] mixta indicia prę se fert, partim diariæ, partim alterius in quam vertitur; sed antequam mixta hæc signa euidenter se ostendant, prouidere oportet eiusmodi conuersionem: quod si post xxiiij horas, diaria non peruenerit ad integritatem, sed cum [b] ceperit remitti adhuc molestia perseueret, & non facile toleretur, monstratur conuertendam esse diariam in alteram febrem. Conuertitur interdum in Synocam sine putredine: quod prædices, vbi perseuerare alteram diariam videas in adolescente qui boni habitus [c] sit, & multo sanguine redundet. Sed sępe degenerat in eam quę resident in sanguine, vel in alio humore putri. Colliges hoc ex causis, vt ex adstrictione vel obstructione; quò spectat error, quem incidere diximus cum importune [d] refrigeratur febricitans, & prohibetur perspiratus. Accedunt iuuantia & lædentia: iuuant.n. quæ relaxandi vim habent; nocent quæ adstringunt. Accedunt deniq; effecta, vt inæqualitas pulsus, grauitas corporis, dolor capitis, vrina mutata. Eadem ratione præsagitur conuersio diariæ in hæcticam, ex causis videlicet à quibus orta est; vt ex æstu, labore, animi perturbatione in corpore [e] calido & sicco, ac bilioso, vbi imperetur inedia; tum ex iuuantibus & nocentibus; iuuant.n. refrigerantia & madefacientia, nocent contraria: postremo ex effectis, vt ex calore aucto post cibum, ex squallore cutis. Quod attinet ad differentias euentus, tempus, est [f] vnius diei, vnde nomen traxit diaria febris; quod si vlterius perseueret, id proficiscitur à causis, à quibus fouetur; vt ab inflammatione glandularum, ab adstrictione, vel obstructione, ex quibus id colligi potest; causæ.n. diuturnitas monstrat diuturnitatem effectus. Quod si diaria in alteram febrem degeneret, differentia temporis non pertinet amplius ad ipsam, sed vel ad hęcticam, vel ad eam quæ proficiscitur ab humorum putredine, de quò agemus cum peruenerimus ad eas. Via euentus si degenerauerit in

a Gal. 9. meth. c. p.

b Gal. p. l. de diff. febr. cap. 7.

c Gal. 9. meth. 3. & 4.

d Gal. 8. meth. cap. 4.

e Gal. 10. meth. cap. 6.

f Gal. 9 meth. cap. p. & l. x meth. cap. 2.

alteram, similiter ad alteram pertinet: si adhuc sit diaria, in eo consistit vt calor præter naturam partim refrigeretur ab externis, partim exeuntibus calidis vaporibus expiret: soluitur autem sine [a] vlla perturbatione, itaut eius solutio à Medicis non appelletur crisis, nisi nomine abutantur.

a Gal. 2. l. crisium c. 11.

De Curatione Diariæ febris in vniuersum. Cap. VIII.

EXPOSITIS his quę ad cognitionem pertinebant, sequitur curatio, quæ superuacanea videtur, cum diaria febris per se eodem die sine vllo remedio finiatur: ttaditur tamen eius curatio à veteribus [b] medicis, & quoniam perseuerat interdum plures dies, & quoniam periculum est (vt in superioribus ostensum fuit) ne siquid erretur, degeneret aut in hæcticam, aut in illam quæ costitit in putribus succis; quamobrem non negligenda est, sed inuenienda sunt opera & instrumenta per quæ curari possit. Ex tribus autem pręternaturam quę supra enarrauimus, symptomata, cum leuissima [c] sint, nihil proprium postulant, sed tolluntur ablato [d] morbo: causa si adhuc manet, contrario opere submouenda [e] est, ne febrem vlterius faciat: si iam recessit, nihil desiderat: tantum vbi aliquem reliquerit affectum præternaturam in corpore ægrotantis pręter febrem, ad ipsum spectare oportet. morbus qui restat ex rebus præternaturam, contrario [f] opere curatur. Qua ratione autem succurrendum sit & causæ præsenti, & affectui quem reliquit ante gressa, exponemus vbi enarrauerimus curationem morbi. Est igitur morbus febris, & idcirco calor præternaturam, qui contrario opere æget: refrigerare.n. oportet spiritus qui accẽsi sunt: at conuenit etiam madefacere (quemadmodum supra [g] in vniuersum monstrauimus) vt siccitas cum adest auferatur, cum imminet, propulsetur: his ergò duobus operibus continetur curatio morbi. Id verò quod præcipiunt medici, vt vtamur relaxantibus [h], non est tertium quoddam, sed spectat ad refrigerandum: expirat .n. relaxata cute, calida exhalatio, atque eo pacto refrigeratur corpus: maxime autem necessaria est relaxatio cutis, dum maxime expirat exhalatio calida, veluti post vigorem, præsertim in illis febribus quæ ex foraminibus clausis oriuntur: quod si tunc refrigerantibus extrinsecus impositis cutis reddatur densa, periculum est ne calida exhalatio retenta [i] putredinem excitet: quare solummodo vtendum est externis refrigerantibus, cum corpus febricitantis naturaliter calidum & siccum est, periculumq; instat ne in hæcticam compellatur. Sed siue externa, siue interna remedia ad refrigerandum adhibeantur, non est

b Gal. 8. methodi pluribus locis & pri. ad Glaucon. & Auicen. l. 4. fen. p. Tr. p. pluribus loc.

c Gal. 2. crisium. c. 13.

d Gal. l. 12. meth. c. p.

e Gal. 4. meth. cap. 3.

f Ga . 8. methodi. c. 3.

g Libro ante ced. ca 7.

h Gal. 8. meth. ca. 2. & 3. & l. x. meth. cap. x.

i Gal. 8. meth. cap. 4. & 9 meth. cap. 3.

in ipsis diutius in sistendum: siquidem spiritus vt perfacile accenduntur,ita etiam perfacile refrigerantur : restituendi autem sunt ad [a] pristinam temperationem , quam cognoscere oportet, nè plus iuxto refrigerentur: sed respicere simul etiam ad consuetudinem,& aerem conuenit : consuetudo [b] .n. similibus conseruanda est : aer si frigidus sit,vim habet remedij , & ideo monstrat minus opus esse refrigerantibus:si calidus, cum tanqnam causa morbum augeat, magis refrigerandum esse corpus demonstrat. Vires, in diaria febre,cum non dum exhaustę sint, nihil proprium postulant, neq; etiam auxilia quæ tunc desiderantur debilitare illas possuut, cum non necesse sit exhaurire corpus , aut sanguinem mittere , [c] nisi in synocha,quam seperatim tractabimus. Instrumenta per quæ refrigeramus,madefacimus, relaxamus diaria febre laborantem , ferè sub victu comprænduntur, & sub his quę quotidiana sunt, atq; vsitata etiã cũ homo bene valet; quamquam vtimur aliquando medicamentis quoq; , præsertim ad homines calidos & siccos,ne incidãt in hæcticam:inungimus.n.thoracem & pręcordia cerato [d] liquido,aut succo aliquo frigido , vt semperuiuij , lactucæ,lentis paluſtris : damus potui aquam frigidam, quæ his qui vinum bibere soliti sunt , medicamentum est,& idcirco aptatur, modo non sint ei omnino insueti, neque cruditate laborent, neq; adstrictione,vel obstructione internorum canalium . ex his quæ pertinent ad victum, aer sit frigidus & humidus, pareturq; arte vbi non habeatur [e] talis : hic cum ex pulmone proxime feratur ad cor , in quò præcipue residet febris , maxime est oportunus: sed ne circumfusus retineat calidam expirationem,& cutis foramina cogat, veste tegendę sunt externæ [f] partes : sic .n. citra noxam , naribus atq; ore haustus,refrigerabit ipsum cor.Cibus conuenit boni succi , & qui facile concoquatur, tum frigidus atq; humidus,præterea lenis, non acerbus aut austerus,non acris, salsus, aut amarus : at neq; crassus , neq; glutinosus. Accommodantur cremor ptissanæ,[g] panis ex aqua madefactus,vel decoctus, lactuca, cucurbita,pisces saxatiles : oportune verò sumuntur cum diaria recedit, neq; expectatur [h] tertius dies, vt faciebant veteres illi,qui nescientes primo die internoscere inter diariam & tertianam,expectabant tertium diem, vt viderent an noua accesio superueniret : quod si homo biliosus sit , & valde calidus & siccus , etiam prius quam desinat diaria, hora vsitata cibum sumet.Potio sit [i] aqua,aut vinum tenue [k] aquosum valde dilutum,quod non solum vires cõfirmat, sed confert ad concoquendum,& ad mouendum sudorem , vel vrinam . Somni & vigiliæ necessaria moderatio est , nam hæc externas,ille internas partes calefacit : quod ta-

a Gal. 8. meth. cap. 9.

b Hippo. & Gale. paphorism. Tex. com. 16.

c Gale. 9. methodi c. 4.

d Gal. x. methcap. 7. & cap. 9.

e Gal. x. methodi c. 8.

f Gal. ibidē.

g Gal 8. methcap. 2.

h Gal. ibidē.

i Gal. ibidē.

k Gal 8. methc. 3.

men ſpectat ad madfaciendum, conuenit longior ſomnus, nam vigilia ſiccandi vim habet. A motu & exercitatione abſtinendum eſt, cum calefaciat ac ſiccet. Quies requiritur, quæ contrariũ præſtat. Animi perturbatio motus quidam eſt, quamquam per iram non ſolum [b] mouetur, ſed etiam efferueſcit ſanguis: vitari igitur debent. Animi tranquillitas, maxime oportuna eſt. Eorum quæ retinentur aut detruduntur moderatio quędam requiritur, quæ nimis retinentur, obſtruendo calorem augent: nimia expulſio, non ſolum corpus exſiccat, ſed reddit etiam calorem acriorem: vbi retineantur quę naturaliter expelli ſolent, euocanda ſunt; vt deiectio, per ea quæ aluum molliunt: vrina, per ea quę ipſam citant: ſudor, per relaxantia, quò potiſsimum ſpectat balneum, de quò vberius agendum eſt.

a Gal.2.acutorum. com. 55.

q Gale.2.de cauſ. ſymptom. c.5.

Balneum ſimpliciter, intelligitur aquæ dulcis, nam aliud, cum adiectione dicitur aquæ ſalſæ, aut alterius: pertinet autem ad victum, vt quod ſanis etiam vſitatum eſt, referturq; proprie ad ea quę retinentur ac detruduntur, quemadmodum vſus chyſteris. Balnei, vires intelliget qui ſigillatim perpendet eius partes, quę multæ erãt apud veteres, [c] vt mora in aere calido; lauatio primum ex calida, tum ex frigida aqua: deterſio: inunctio. Aer calidus præditus eſt facultate calefaciendi ſimul & madefaciẽdi, propter quam relaxat foramina cutis adſtricta, liquat humores concretos, ita vt facile per cutem educãtur; obquam cauſam, ſi homo diutius in eo verſetur, exſiccatur. A qua calida madfaciẽdi vim habet; quomodocumq;.n. adhibeatur aqua, ſiue calida, ſiue frigida, perpetuo madfacit: ſed vbi adhibetur calefacta, tam diù nos [d] calefacit, quã diù calida manet: proceſſu temporis expirantibus calidis vaporibus, reuertitur ad naturam ſuam, & refrigerat. Illa verò quæ moderate calida eſt, calefactos refrigerat, refrigeratos calefacit: at frigida ſimiliter madefacit, ſed refrigerat [e] repellitq; intus calidum innatum, & propterea vires confirmat: ſed claudit foramina cutis, & propterea prohibet perſpiratum. Deterſio, valet ad ſudorem euocandum. Inunctio ex oleo vel hydreleo, ante lauationem, confert ad madfaciendum: poſt lauationem, ad exhauriendum corpus: in ipſa lauatione, ad vtrumq;. Huiuſmodi cum ſint vires balnei, videndum eſt an communiter aptetur omnibus diaria febre laborantibus, quemadmodum [f] veteres medici tradiderunt. Intelligunt autem vtile eſſe balneum in omni diaria, quatenus diaria eſt: nam poteſt ob cauſam inimicum eſſe, auget.n. obſtructionem: quare vbi hæc febrem excitet, vitandum eſt. Id quod ſimiliter [g] obſeruandum eſt vbi deſtillatio ſit à frigore orta; nam illa quę oritur ab æſtu, poſtulat balneum, quod alioquin

a Gal.8. meth. ca. 2. & l. x. meth. cap. x.

d Auerr.l.6. collig.c.4.

o Gale.3. de cauſ. pulſ. cap. 15.

f Gale.p. ad Glauc.c.3.

g Gal.8. meth.cap.3.

morbo

morbo accommodatur, hoc eſt diariæ febri, quæ (vt ſupra monſtrauimus) poſtulat vt refrigeremus calorem immoderatum, madefaciamus corpus ob ſiccitatem præſentem vel imminentem, & ob vim caloris, vt retundatur: relaxemus vt detur exitus calidis vaporibus, & ipſi ſubſtantię diariæ febris. Spectemus igitur quæ balnei partes, his, aut illis operibus perficiendis accommodentur. Mora in aere calido madfacit, cum aer ſit humidus, non tamen ita valide vt aqua, quæ magis in hæreſcit, [a] quamuis aer ſit humidior: calefacit etiam appulſus calidi aeris ſtatim, ſed cum relaxando det exitum calidis vaporibus, non multo poſt refrigerat: quare pertinet ad refrigerandum ac madfaciendum, & idirco ad opera quæ requirũtur a diaria febre, ſiccat tamen ſiquis in eo diutius verſetur, cum relaxando atque extenuando humores, exauriat corpus: quamobrem non debet qui diaria febre laborant, diutius in eo verſari, niſi vbi foramina cutis valde adſtricta ſunt, vt relaxetur: lauatio ex aqua frigida, ob vim communem aquæ madefacit, & quia frigida adhibetur, etiam refrigerat: confirmat [b] vires, reddit cutem denſam, & intercludit exitum calidis vaporibus, qui retenti calorem augent, & putredinem excitant: quare magis nocet quam proſit, & ideo vitanda eſt, niſi vbi periculum eſt ne homo alioquin calidus & ſiccus, æſtu, ac ſole peruſtus, ex diaria incidat in hæcticam. Deterſio valet ad ſudorem euocandum, cum quo ſimul educitur ſubſtantia diariæ febris, ſed nimis corpus exhaurit atq; exſiccat, quamobrem homo, nec vehementer, nec diutius detergendus eſt, niſi vbi valde ſint obſtructa foramina cutis. Inunctio ex [c] oleo, vel hydrelæo homini qui diaria febre laborat magis conuenit ante balneum, & in balneo, quam poſt balneum: cum magis neceſſe ſit hominem madefacere quam exinanire. Quò pacto igitur diuerſæ balnei partes accommodentur ad perficienda opera quæ requiruntur à febre diaria, ſatis iam demonſtratum eſt: illud autem obliuiſci non oportet, quod eo tempore maxime oportunum eſt balneum, quò cutis [d] ſponte relaxatur, & exhalant calidi vapores; facilius.n. & celerius ex balnei vſu, & illa relaxabitur, & hi educentur,

a Auerr. 6. collig. c. 4.

b Gale. 3. de cauſ. pulſuum c. 15.

c Gal. l. 8. methodi c. 3.

d Gal. l. 8. meth. cap. 3

De curatione Ephimeræ ſynochæ. Cap. VIIII.

RATIO curandi, qnam communem eſſe diximus omnis febris diarię, maxime pertinet ad eam quę in ſpiritibus verſatur: altera.n. quæ reſidet in ſanguine calefacto & non dum putri, quoniam iungitur cum cauſa, nempe cum obſtructione internorum canalium, quam efficit ſanguinis multitudo, magis detractionem poſtulat quam ea quæ refrigerant ac madfaciunt:

quamuis hæc quoq; ad ipſam pertineant, vt quę communia ſunt cuiuſuis diariæ. In ſynocha igitur conſilium dirigi debet ad febrem, non ſecus atque in diaria quæ in ſpiritibus verſatur: ſed multo potius ad cauſam, hoc eſt ad obſtructionem tollendam; quæ tolletur ſi auferatur cauſa, nimirũ ſanguinis multitudo, quâ detracta ceſſabit[a] etiam febris, non ſecus atq; ignis cum ligna auferuntur, & corpus in priſtinum ſtatum reſtituetur. Primo igitur mittere ſanguinem oportet, quod remedium & requiritur à cauſa morbi, & fertur à viribus: cum propoſita febre non prę-hendatur niſi adoleſcens multi ſanguinis, [b] ac boni habitus, cuius vires neceſſario validæ ſunt. Siquis obijciat ſanguinis miſsionem magnum [c] eſſe auxilium, neq; couenire niſi cum morbus eſt grauis, cuiuſmodi non eſt febris ſynocha ſine putredine, cum ſit ſpecies diarię: dicendum erit, non tantum vbi magnus ſit morbus, ſed etiam vbi immineat talis, vt propulſetur, requiri magnum auxilium: quæcumq; .n. ſequentia ſanant, antecedentia prohibent inquit Hippocrates: [d] periculum autem eſt, ne diaria [e] ſynocha, vertatur in aliud genus febris, ſanguine putreſcente; & idcirco, ne fiat magnus morbus: quamobrem magnum requiritur auxilium, cuiuſmodi eſt ſanguinis miſsio, quâ propulſabitur impendens periculum, & ſimul cum cauſa tolletur febris: imminet enim periculum ob multitudinem ſanguinis, etiam vbi non ſit febris ne abrumpatur [f] vena aliqua, vires deficiant, homo ſtranguletur. Quamobrem mittere ſanguinem oportet, [g] & ex vena aliqua magna, veluti ex interna dextri cubiti: nam ſic celerius perficietur quod requiritur, quam ſi ex parua aliqua mitteretur: multus autem mittendus eſt, quoniam & multus redundat: quod ſi mittatur vſq; ad animæ defectionem, maxime erit præſens [h] remedium, continuoq; refrigerabit corpus, & morbum auferet, vnà cum cauſa: mane autem oportune detrahitur, quamquam detrahi poteſt quauis hora, modo non ſit cibus [i] crudus in ventriculo: miſſo ſanguine, refrigerare & madefacere corpus oportet idoneo victu, qualem ſupra monſtrauimus communiter in diaria: potiſsimum verò cibo, vt ptiſſana, [k] & potione aquæ: non eſt autem opus medicamentis frigidis, neq; externis, neq, internis; quoniam detractio ſanguinis vſq; ad animæ defectionem ſatis corpus refrigerat: contra in morbis qui à flauabile proficiſcuntur magis opus eſt refrigerare corpus medicamẽtis quam exinanire.

a Gal. 9. meth. cap. 4.

b Gal. 9. meth. cap. 3. 4.

c Gal. 4. meth. cap. 6.

d Hipp. 3. 6. epid. 40.

e Gal. 9. meth. cap. 4.

f Gal. 9. meth. ca. 5. & p aphor. com. 3.

g Gal. de curat. per venæ ſectio. cap. 19.

h Gal. 9. meth. c. 4. & p. aphoriſm. com. 23.

i Gal. de curat. per venæ ſect. ca. 20. & l. 9. meth. c. 4.

k Gal. 9. meth cap. 4.

l Gal. ibidẽ. & x. meth. cap. x.

De curatione cauſarum Diariam efficientium. Cap. X.

TRACTAVIMVS curationem diariæ febris, ſynochę quidem vnam cum cauſa, alterius verò quæ in ſpiritibus reſidet nul-

la

la facta mentione cauſæ: quamobrẽ tranſire nunc ad ipſam oportet, facta primum ea diſtinctione, quod vel adhuc [a] manet, veluti inflammatio glandularum, adſtrictio, obſtructio, cruditas: aut iam receſsit, veluti perturbatio animi, labor, vigilia, inediâ, æſtus, frigus, ſatietas, ebrietas: hæc cum præterierit, [b] nihil poſtulat: remedia verò quę habita eius ratione adhibentur, pertinent ad affectus prȩternaturam, quos præter febrem reliquit in corpore ægrotantis. Illa cum præſens [c] ſit, remouenda eſt. remouetur autem ſimul cum ea, & febris: ſiquid autem reſtat caloris, illis auxilijs tolletur quę ſupra tradita ſunt ad quamuis diariam: ſed ſimul reſpicitur ad cauſam, quę ſi iam ſopita eſt, cauetur ne remedijs morbi rurſus excitetur: ſed quę curatio proprie conueniat vnicuiq; cauſæ, iam videndum eſt. Fac primum, diariam febrem ortam eſſe ab inflammatione glandularum: huic prius mederi oportet, deinde curare ſiquid ſupereſt febris: ſed cum inflammatio augeri poſsit, prius quam auferatur quæ iam facta eſt, prohibendum ne concurſu nouæ materiæ increſcat. Succedet hoc, ſi remoueatur cauſa, [d] hoc eſt ſi detur opera ne vel tranſmittatur ab alijs partibus ad glandulas inflammatas, vel propter vlcus & dolorem ab ipſis alliciatur: non tranſmittetur materia aliunde, ſi ea quę redundat in corpore exhauriatur: ſi ſanguis ſit, ſecta vena: ſi alius ſuccus, dato catarctico: neq; verendum eſt ne impediatur naturæ motus, vbi cum inflammatione glaudularum iam facta, adhuc adeſt in vniuerſo corpore redundantia: nam cum [e] puſtulæ etiam in corpore naſcuntur, ſi plenum ſit, exinaniendum eſt. Non allicietur materia aliunde, ſi curetur dolor, ob quem [f] allicitur, & ſuccuratur vlceri. Lenitur dolor perfuſo oleo tepido quod roſa conditum ſit. Superimponitur vlceri medicamentum quod concoquendi vim habeat, veluti tetrapharmacum, & macedonicum. Inflammationi quæ iam facta eſt, opponitur detractio illius materiæ quâ continetur: detrahitur autem, non quidem grepellentibus, ne transferatur ad partes nobiliores, ſed extrahentibus, ſi nimis multa eſt, itaut diſtendatur locus affectus. Extrahitur à principio ſcalpello ſecta cute pluribus atque altioribus plagis, ſed proceſſu temporis medicamentis relaxantibus, ac digerentibus, à quibus diſſoluitur, & verſa in vapores euaneſcit: ſuperdatur autem lana ſuccida intincta ex oleo camomelino. Admouetur cataplaſma [h] ex farina hordeacea: hoc pacto curatur inflammatio glandularum, cum quâ diaria febris finitur: præſtat tamen refrigerare ac madefacere corpus, & cutem relaxare, quod commune eſſe diximus omnis febris diariæ, perficiturq; vſu [i] balnei, ac reliqui victus ſuperius poſiti. Quod attinet

a Gal. 8. meth. cap. p.

b Gal 4. meth. cap. 3.

c Gal. 8 meth. cap. p.

d Gal. 13. meth. cap. 3.

e Galen. 2. 6. epid. cō. 30

f Gal. 13. meth. c. 4. & 5.

g Gal. ibidē.

h Gal. ibidē.

i Gal. p. ad Glauc. c. 3.

tinet ad balneum, plurimum proficit mora in aere calido, lauatio ex aqua calida, frictio mollis, inunctio ex oleo. Vitanda est lauatio ex aqua frigida, ne cutem cogat, & perspiratum impe-
a Gal. ibidē. diat. Abstinendum [a] à potione vini, ne rursus accendatur calor, qui curata inflammatione iam extinctus erat.

Adstrictio foraminum cutis, si diariam faciat, similiter curanda prius est, dein danda illa remedia quæ requiruntur à febre.
b Gal. 5. simplic. cap. 11. & 14. Tollitur adstrictio relaxantibus: relaxant [b] quę moderate calida sunt & humida, velut inunctio olei tepidi, balneum, [c] & proprie diuturnior mora in aere calido, & proprie in aqua calida. Quod
c Gale. p. ad Glauc. c. 3. & 8. meth. cap. 2. attinet ad febrem & calorem refrigerandum, magis vtendum est his quæ relaxando & educēdo calidos vapores refrigerant, quam externis medicamentis frigidis, aut lauatione ex aqua frigida: periculum .n. est, ne rursus foramina cutis adstringantur. Valet ad relaxandū, vini potio, quod tamen vitandum est vbi corpus plenum sit, ne fundendo ac secum ducendo humores, obturet cana.

Obstructio, quæ diariam febrem excitat, pertinet aut ad foramina cutis, aut ad internos canales: quod si parua sit, facile tollitur, prohibeturque ne diaria vltra primum diem prorogetur; si
d Gal. 8. metho. cap. 2. magna, necesse est diariam plures [d] dies manere, & plerumq; in illud genus febris conuerti quod versatur in humoribus putribus: qualiscumque sit, remoueri debet. Remouetur remota causa con-
e Gal. ibidē. tinente, quæ est materia multa, [e] crassa, vel glutinosa. Inspicere autem oportet, plenum ne corpus sit, nam vbi sic affectum est,
f Gal. ibidē. ea quę valide obstructionem remouent, nocent, [f] quod alliciant
g Gal. ibidē. plus materiæ & idcirco magis obstruāt, siue foramina cutis, siue internos canales: quare prius exinanire totum corpus oportet, [g] venæ sectione, aut purgatione, prout expeditius videtur: dein veniendum est ad ea quę valide obstructionem tollunt: tuto.n. tunc adhiberi possunt. Vbi obstructa sunt foramina cutis, valent detergentia ad detrahendam materiam obstruentem: huiusmodi est farina hordei, fabarum, erui, iris, aristolochia: validius adhuc est mel. Vbi obstructi sunt interni canales, materia obstruens,
h Gal. ibidē. si multa est, [h] exinaniri debet, si crassa, extenuari, si glutinosa, incidi: exinanitur sanguinis missione, aut purgatione, inciditur atque extenuatur, medicamentis tenuium partium, & calidis: ca-
i Gal. ibidē. uendum tamen est, ne nimis [i] calefaciant, quemadmodum calamentum, origanum, serpillum, hysopum, nam augerēt febrem, idcirco vtendum minus calidis, vt appio. Pro medicamētis etiam, commode adhibentur alimēta, vt mulsa bene diluta, ptissana hordacea, quæ citra noxam conferunt ad extenuandum atq; incidendum crassos ac glutinosos succos: licet minus efficacia sint quam

medica-

medicamenta calidiora. Spectabimus etiam ad febrem, vtemurque ad refrigerandum, madefaciendum, ac relaxandum, balneo, & reliquo victu superius posito: ea cautione tamen vbi interni canales obstructi sunt, vt omittatur balneum: vbi obstructio versatur in foraminibus cutis, vitentur medicamenta frigida quæ extrinsecus inponuntur, & balneum ex aqua frigida, à quibus obstructio augeretur.

Cruditas siue acida sit, siue cum nidore, eatenus diariam febrem efficit, [a] quatenus obstruit, itaut referatur ad obstructionem, est autem ex illis affectibus quos diximus præter febrem relinqui à causis in corpore ægrotantis: relinquitur autem à nimia copia cibi & potionis, quare cũ illis tractanda est, ad quos iam pergimus

a Gal. 8. methodi cap. 5.

De curatione Diariæ febris coniunctæ cum affectibus quos præteritæ causæ reliquerunt. Cap. XI.

CAVSA diariæ febris quę iam recessit; siue ad animum pertineat, vt ægritudo, metus, spes, gaudium, ira: siue ad corpus, vt satietas, æbrietas, inedia, vacuitas, animæ defectio, vigilia, somnus, dolor, labor, æstus, frigus, nihil per se poltulat [b] cum non amplius sit. Remedia autem quæ eius habita ratione adhibentur, spectant (vt supradiximus) ad eos quos extra febrem reliquit in ægrotante præternaturam affectus, quorum vnicuique contrario opere succurrendum est. Commune est cunctis animi perturbationibus vt corpus exsiccent, quamobrem madefacere tunc magis hominem oportet, quam si in febrem inciderit ex causa non exsiccante, vt ex frigore, ex nimia copia cibi & potionis. Aptatur ergo aer humidior, cibus & potio madefaciendi vim habens, somnus longior, quies corporis, animi tranquillitas, retentio atque expulsio moderata, balneum, [c] præsertim lauatio ex aqua calida, & perfusio ex hydreleo: nam mora in aere calido, breuior esse debet: à lauatione ex aqua frigida omnino abstinendum est. Præter hæc quæ communia sunt, proprie vnicuique perturbationi contrarium opponendum est, vt ægritudini quod lætitiam afferat, lætitiæ quod ægritudinem, timori quod spem, spei, quod timorem: iratos traducere oportet ad spectacula atque ad alias cogitationes, cum eo vt à vino abstineant, ne rursus accendatur sanguis. Vtantur cibis & potionibus refrigerantibus ac madefacientibus, larga perfusione olei, lauatione ex aqua tepida. Si nimia copia cibi & potionis fecerit febrem, par est corpus repletum esse, & id circo exhauriendum: id quod commode præstat inedia, quãuis alioquin ad madefaciendum corpus febricitantis

b Gale. 4. methodi ca. 3.

c Gal. 8. methodi c. 3.

tis requiratur cibus & potio: vbi tamen orta est febris ex satietate, vel ębrietate, inedia oportunior est.

Efficit autem multitudo esculentorũ & poculentorũ obstructionem, & eo nomine febrem. Efficit pręterea cruditatem in ventriculo: acidam [a] quidẽ, vbi illa frigida & humida fuerint in homine simili; cum nidore verò, vbi calida & sicca in homine similiter calido & sicco. Vtrique autem occurrendũ est, tum detractione, vel coctione materię crudæ, tũ confirmatione ventriculi: proprie autem si cruditas nidorem pręseferat, & aluus adstricta sit, sumendum est medicamẽtum quod aluum laxet; veluti casia quam fistulam vocant; Diaprunis sine scãmonio, Diacattolicon Nicolai, Serapium ex pluribus infusionibus rosarum, vbi reliquiæ cibi in superioribus intestinis retineantur: at vbi descenderint ad inferiora, immittenda per clysterem in aluum mulsa cum oleo; vel vbi morsus sentiatur, adeps anserina aut gallinacea ex oleo liquata. Si aluus satis per se fluat, permittẽdum est vt reddat totum id quod crudum est: si nimium profluat, confugiendum est ad adstringentia, vt ad mala cotonea, ad pira acerba, quæ & intus dentur, & extrinsecus imponantur, atque olea ex ipsis confecta illinantur. Cibus, sit [b] polenta, potio vinum austerum: si cibi fastidium superuenerit comedantur mala punica. Confirmatur ventriculus oleo aliquo adstringente, & simul refrigerante, quale acerbum est rosa conditum, & melinum, siue lentiscinum. Si cruditas acida sit, non necessarium est exinanire, cum concoqui etiam possit quod crudum est: concoquitur autem à calore naturali, quò conferunt tam alimenta quam medicamenta calefacientia. valent antidoti, vt Diatrion [c] pipereon, Diacalamentum Dianisum Diospoliticum, Diagalanga. Ad confirmandum ventriculum, vtemur oleo nardino, [d] mastichino, aut in quò bullierit, vel maduerit absynthium; quodcumque adhibeatur, calefiat ex duplici vase, neque superdetur tepidum, quia relaxat, & imbecillum reddit ventriculum, sed calidum. Vtiliter etiam superimponitur medimentum quod mastichem habet, & parũ aloes cum oleo nardino

Contra, si fames aut sitis fuerit diariæ causa, cum reliquerit corsipus exhaustum, maxime desideratur cibus & potio: cõuenit autem ptissana [e] hordeacea, & vinum tenue dilutum. Quod attinet ad balneum, parum moretur homo in aere calido, sed diutius in aqua [f] tepida, à quà illi qui conficiunt iter ęstiua & pluuerulenta via statim à siti vindicantur. Vitetur omnino motus, nam vt præclare nos docuit Hippocrates, [g] vbi fames laborandum non est. Eadem ratio est vacuitatis, & animæ defectionis, quæ famis, ac sitis, sub vtrisque enim exhauritur corpus, & reficien-

dum

a Gal. 8. meth. cap. 5.

b Galen. 8. met. ca. 5.

c Gal. ibidẽ.

d Gal ibidẽ.

e Gale. 8. meth. ca. 2.

f Gal. ibidẽ.

g Hippoc. 2. aphor. 16

dum est: celerrime autem reficitur odore, deinde potione, [a] tardius cibo; vinum autem, vt si quid aliud ad reficiendas vires accommodatur. Vigilia quoque & somnus (vt in superioribus monstratum est) possunt diariam febrem excitare, quod vbi accidat opponere somno vigiliam oportet, & vigiliæ somnum: ergò aduersus vigiliam pugnabimus facientes somnum, non quidem per medicamenta stupefacientia, nisi vbi alia præsidia non proficiunt, sed per victum, & primo per cibum, cum quò sumatur papauer, aut lactuca: potus [b] sit vinum mediocriter dilutum, & mediæ ætatis. Quod merum & vetus est, si large bibatur, cerebrum siccat, & magis vigiliam [c] efficit quam somnum. Quod valde dilutum est, paucos edit vapores, & non mouet somnum. Vbi fuerit somnus nimius, excitandus erit homo, motu, ac frictione vehementi, & his quæ dolorem faciunt, ad quem vsum cucurbitulæ defiguntur. Illos autem qui nimis laborarunt, quiescere oportet: in omni.n. motu [d] corporis vbi ceperit quis dolere, quiescere statim [d] remedium est. Conueniunt etiam madefacientia, & præcipue vinum, quod sumendum est quantum concoqui potest: prodest lauatio ex aqua tepida, & perfusio [e] ex hydreleo: sic enim mollitur corpus, quod ob præcedentem laborem percipit tendentium sensum. Qui ex æstu in febrem incidunt diariam, etiam vbi hæc finitur, nimis calidi apparent, sentiunque æstum quendam præcipue circa caput: quare per frigidiora pugnandū est cum febricitante, & postea perseuerandum adhuc diutius est in refrigerantibus: vtendum tam potu quam balneo aquæ frigidæ, nisi quid repugnet: à vino abstinendum est, mora in aere calido breuior sit, pro aqua calida vtendum lauatione ex tepida. Conuenit autem his balneum [f] etiam si ob æstum superuenerit destillatio & grauedo: caput verò æstuans perfundendū est oleo rosa condito, quod ex altiori loco per lanam exprimatur: sit autem refrigeratum in puteo, aut sub fonte aquæ frigidæ emanantis, vel in vase quod niue circundetur: licet etiam pro oleo perfundere hydreleum. Si frigus diariam attulerit, pugnandum est per calefacientia, vt per aerem calidum, per cibum conditum aromatibus, per vinum tenue mediocriter dilutū. Conuenit autem balneum, & lauatio ex aqua calida, nisi accesserit destillatio, [g] aut grauedo: nam tunc vitari debet: abstinēdum ā lauatione ex aqua frigida, inungendum caput ex oleo aliquo calido, vt ex anethino, quod in duplici vase calefactum sit.

a Hippoc. & Galen. 2. aphorism. Tex. com. 11.

b Gale. p. ad Glauc. c. 3

c Gale. 2. de loc. aff. c. 9.

d Hipp. 2. aphoris. 48.

e Gal. 8. methc. 2. & 3

f Gale. 8. methcap. 3.

g Gal. 8. method· ca. 3.

Finis secundi libri de Febribus.

VIDI

VIDI VIDII DE FEBRIBVS.

LIBER TERTIVS.

Qui est de his quæ in vniuersum pertinent ad cognoscendas febres in humoribus putribus residentes.

Definitio febris in humorum putredine consistentis. Cap. 1.

FEBRES quæ in humoribus resident, aut ad diarias referuntur, quemadmodum synochæ quæ versantur in [a] sanguine calefacto, quasque vnà cum diarijs supra tractauimus: aut ad alterum genus quod humorum putredinem sequitur, nunc nobis propositum. Putrescit autem, tam sanguis, quam quiuis alius humor, vt pituita, flaua vel atrabilis, & putrescens febrem accendit: non [b] tamen potest quiuis humor calefactus, citra putredinem excitare febrem, sed sanguis duntaxat: nam alij, vel frigidi sunt, vt pituita & humor melancholicus, atque idcirco non possunt sine putredine tantum caloris accendere vt actiones offendat, & dicatur febris: vel calidi, vt flauabilis, quæ non adeo redundat, vt sine putredine calefacta, possit febrem accendere quem admodum sanguis, etiam vbi apparet copiosa vt in arquatis, qui plerumq; non febricitant: id quod euenit etiam & melancholicis & hydropibus illis quos leucophlegmatias appellant. Ergo neq; flaua bilis, neq; humor melancholicus, neq; pituita, possunt sine [c] putredine febrem accendere, quamuis redundare videantur, sed tantum cum putrescunt febrem efficiunt: proponitur igitur nunc nobis exponenda ea febris quæ in putredine vel sanguinis, vel aliorum humorum consistit. Nullum autem cõmune nomen inuenit apud græcos, aut apud latinos, vt supra monstrauimus, cum febrem in tria genera diuisimus: sed describitur, diciturq; febris in humorum putredine consistens: quamquam recẽtiores medici putrem appellant, abu-

a Gal. 9. meth. cap. 3. & 4.

b Gale. 2. de differentijs febr. cap. 5. & vidus supra lib. antec. cap. 9.

c Gal. ibidẽ.

abutuntur autem vocabulo, id .n. quod putre eſt, ſubſtantia eſt non qualitas, atq; id circo hùmor, non febris. Sed ſiue deſcribatur, ſiue proprio vocabulo appelletur, eadem ratione à nobis tractabitur, quà [a] ſupra tractauimus & febrem in vniuerſum, & diariam: ante.n. inſiſtemus in cognitione curandorum, deinde in ratione curandi. Cognitio curandorum, prius abſolute à nobis proponetur, deinde in homine; abſolute igitur declarabimus morbum, cauſam, & ſymptoma, ordiemur à morbo, hoc eſt à febre illa in vniuerſum quæ ſequitur humorum putredinem: hæc quid ſit definitione inueſtigabimus, eadem autem eſſe debet quæ febris in vniuerſum: tantum reſtrigenda eſt addita differentia quæ propriæ hanc ſpeciem ſiue genus conſtituat. Definiuimus [b] febrem in vniuerſum, calorem innatum cordis vergentẽ ad igneum, itaut lædat actiones: huic ſi addatur lenitas, conſtituit diariam febrem, quemadmodum [c] ante oſtenſum eſt: ſi acrimonia, duplex aliud genus, quod vel in partibus ſolidis conſiſtit & dicitur hęctica, de quà poſtremo agemus, vel in humoribus [d] putribus, de quà nunc tractatur. Eius definitio, ne ad hęcticam transferri poſſit, addere oportet acrimoniæ alteram differentiam, ſcilicet cum fumo: nam hæctica febris cum acrimonia, ſquallorem habet, hęc quæ verſatur in humoribus putribus, non ſolum acris eſt, ſed etiam fumoſa, quoniam partes ſolidę in quibus hæctica verſatur, calefactæ nullum ædũt fumum, quem exhalare percipimus ab humoribus putribus: quod verò ſcribunt veteres [e] medici, bilioſam febrem ſquallidam eſſe, non abſolute accipiendum eſt, ſed ſi comparetur cum pituitoſis, quæ valde fumoſæ [f] ſunt: multum.n. fumi reddit pituita putreſcẽs inſtar lignorum viridium cum incenduntur: parum flauabilis, inſtar aridorum, & propterea ſquallidam febrem efficit, hoc eſt cum pauco admodum fumo. Definitur ergo febris, quam nunc tractamus, calor in humoribus cordis innatus adigneum vergens, ad eo vt lædat actiones, acris, & fumoſus: quod ſi addas definioni ob putredinem, hæc cauſa magis propoſitam febrem explicabit. Refertur calor præternaturam ad immoderatam temperationem, quæ aut æqualis eſt, aut inæqualis; in febræ hæctica cũ ſolidę partes calorem conceperint, eſt [g] ęqualis: ſed inæqualis cum febris ſequitur putredinem, [h] quandoquidem cum humores [i] calefacti ſunt, ſolidæ partes calefiunt, ideo non eſt eadem immoderata temperatio omnium partium cordis: ſed cum febris hæctica facta ſit, quod ſolidę partes calorem iam conceperint, non habent amplius cauſam. Ea quæ putredinem ſequitur aſsidue [k] fit, putreſcentes enim humores aſsidue ſolidas partes calefaciunt, & ideo ſunt cauſæ curillę

a In duobus antec. libs

b Supra l. p cap. 2.

c Supra l. 2. cap. p.

d Gal. l. p. de differ. feb. cap. 7.

e Gal. 2. criſium ca. 3. & p. 6. epi. com. 29.

f Gal. p. ad Glauc. cap. 7.

g Gale. l. de inæquali intemper. cap. 5.

h Galen. ibidem ca. 7.

i Gale. p. de diff. febr. cap. p.

k Gale. l. 11. meth. c.

illę incaleſcant: habet ergo febris hæc, cum aſsidue fiat, cauſam continentem: hęcautem eſt putredo ad quam tractandam nunc aggredimur.

De Putredine & Cauſis febris conſiſtentis in humoribus putribus. Cap. II.

PVTREDINEM, latini, [a] σαπρώτητα græci, nominant interitum rei abſolutum & naturalem; via verò ad interitum etiam naturalem, veluti ſenium, non appellatur à græcis σαπρώτης, ſed in animalibus [b] γήρας, in ſtirpibus ἄβανσις: at neque ille interitus quem efficit cauſa violenta, appellatur putredo, veluti cum ignis extinguitur, ſed tantùm ille qui naturalis eſt, veluti eorum quæ ætate tabeſcunt: huiuſmodi tantum appellat Plato naturalem mortem, aliam verò omnem violentam: nihil ergo proprie dicitur putre, niſi quod & ex toto, & naturaliter interijt: ea quibus adiungitur fætor, minus proprie dicunt græci σήπεσθαι, [c] latini putreſcere. Eam quæ proprie dicitur putredo, cum res ex toto & naturaliter interit, definit [d] Ariſtoteles interitum interni caloris in humore, ob calorem externum, hoc eſt aeris circunfuſi: in quà definitione, ſeruat regulam illā ad quam diriguntur definitiones [e] accidentium: ſumit enim genus à forma, differentias partim à ſubiecta materia, partim à cauſa: pro forma, tamquam genus ponit interitum: pro ſubiecta materia, tanquam differentiam, ponit interni caloris in humore: pro altera differentia, tanquam cauſam externam, addit ab externo calore, hoc eſt aeris circunfuſi: quæ cum ſubobſcura ſint, non alienum eſt aperire. Inde autem exordiemur quod putredo opponitur procreationi: quęcunq; autem procreantur, gignuntur ex quatuor elementis, ex calore, frigore, humore, ac ſiccitate: [f] calor habet vim formæ, humor materiæ; hic terminatur, ille terminat; ſed quia ſimplex calor, materiam potius abſumit quam termi net, neceſſe eſt temperetur frigore, ſicut ſimplex humor ſiccitate: nam per sè nimis diffluer et ac dilaberetur: cū res natutaliter interit, neceſſe eſt ſimul intereat internus eius calor in humore quò continetur, & hoc pacto putredo pro creationi contraria eſt, cum in hac calor frigore temperatus, terminet humorem tēperatū ſiccitate, in illa intereat calor, & non amplius terminet humorem. Sed cum Ariſtoteles [g] ponat putredinis cauſam, externum calorem, hoc eſt aeris circumfuſi, reuocatur in dubium qui fieri poſſit vt calor à calore interimatur, cum omnia conſeruentur à ſimili, interimantur à contrario. Videtur internus calor debere ob frigus interire, ſed non ob calorem aeris circumfuſi: hoc facile diluet, qui in memoriam reuocabit, calorem non tantum à contra-

a Ariſt. 4. l. mehteor. cap. p.

b Gal. l. p. de Tu. val. c. 2

c Galen. l. 5. ſimpliciū. cap. 15.

d Ariſt. 4. me theor. ca. p.

e Atiſt. l. 7 Diuinorū.

f Vidus l. p. de Tuen. valet. gen. cap. 6.

g Ariſt. 4 me theor. c. p.

rio

rio,vt à frigore extingui, ſed etiam interire ob inopiam alimenti quemadmodum idem [a] Ariſtoteles alibi tradidit: extinctio à frigore,violenta eſt: interitus ob inopiam pabuli,naturalis: auolat calor cum humore tanquam alimento deſtituitur, & non poteſt amplius retineri. Calor ergo aeris circunfuſi allicit ad sè internum humorem, cum quò ſimul exit calor alimento deſtitutus. Ob hanc cauſam, apparent quæ putreſcunt extrinſecus humidiora, quod ſcilicet euocetur humor ad partes externas, ob quem conſpiciuntur ſubnigra quæ putreſcunt: nigredo enim ſequitur humorem. Quæ ex toto putruerunt, alba ſunt, quod abſumpto humore,ſicca euaſerint: ſed præter calorem externum, addit Ariſtoteles [b] concurrere etiam internum frigus ad efficiendam putredinem: neque.n.putruit adhuc id cuius calor aliqua ex parte ſeruatur: cum perit internus calor ſuccedit frigus, & tunc res extoto putreſcit, concurritq; cum calore aeris circumfuſi internum quoq; frigus ad putredinem efficiendam. Porro [c] putreſcunt omnia, tam elementa, quam quæ ex elementis coagmentantur, excepto igne, cuius calor adeo ingens eſt, vt à calore aeris nequeat ſuperari. Sed cum in putredine intereat internus calor in humore, videntur non poſſe putreſcere ea quæ non ſint calida & humida: quamobrem ex elementis, tantum aer videtur poſſe putreſcere, nam aqua caret calore; terra calore & humore: conſtat autem & aquam, & terram quoq; poſſe putreſcere, quoniam neutrum elementum purum eſt, ſed cum aqua aliquid eſt admiſtum caloris, cum terra aliquid caloris & humoris, atq; ob hanc cauſam putreſcunt: quęcunq; verò ex elementis coagmentantur, quò humidiora ſunt, eò citius putreſcunt, quò ſicciora, eò magis putredini renituntur: quamobrem quæ dura ſunt [d] & amara, minus putreſcunt quam quæ mollia & dulcia. Ex malis punicis ſcribit [e] Theophraſtus facilius putreſcere dulcia quam alia: celeriter etiam putreſcunt quæ calido & humido [f] loco continentur, quod humorem ſuperantem contrahant, & ab externo calore valido euocetur internus. Renituntur cauſis putredinem efficientibus quæcunque aut magna ſunt, aut mouentur: parua, facilius ſuperantur, & minorem habent renitendi vim: quæ quieſcunt ob aſsiduum eiuſdem aeris contactum, facilius [g] afficiuntur quam quę mouentur' & locum mutant [h] atq; aerem circumfuſum: propterea perſpiratus putredinem arcet. Quod ſi vinum in vtre non pleno [i] agitatum, magis putreſcit, quam quod in vtre pleno non dimouetur, id non tribuendum eſt proxime motui, ſed vaporibus excitatis, qui concluduntur in vtre, & inſtar calidi aeris circumfuſi vim habent caleſaciendi.

a Ariſt. l. de iuuentute. & ſenectute c.3.& l. 3. de Celo Tex. 52

b Ariſt. 4. me theoror. cap. p.

c Ariſt. ibid.

d Gal. 4. ſimplic. c. 20.

e Theophraſtus l. 3. de cauſ. plant. c. 27

f Ariſt. 5. de generat. animal. ca. 7. & Gal. l. x1. met. cap. 4.

g Gal. ibidē.

h Plato in Theeteto & Ariſt. l. 13. probl. Tex. 7.

i Ariſt. l. 22. proble. Text. 4.

Hæc

Hæc quæ dicta sunt de putredine in vniuersum, nunc perpendenda sunt proprie in humorum putredine quæ nobis proposita est. Definiuimus autem putredinem in vniuersum, [a] interitum caloris interni in humido à calore externo, hoc est aeris circunfusi: inspiciamus an genus & differentiæ in hac definitione positæ aptentur humorum putredini quam nunc tanquam continentem causam propositæ febris tractamus. Loco generis quod à forma accipiendum [b] esse demonstrauimus fuit interitus quem diximus debere esse absolutum & naturalem: nam vbi aut non absoluatur, aut violentus sit, non dicitur putredo. Possunt humores ex toto putrescere, itaut exhalantibus partibus humidis, restent quasi cinis siccę & terrenæ, quæ exiguæ ad modum sunt, neque ex foraminibus [c] cutis exeunt, sed manifeste cum vrina aut deiectione expelluntur. Verum illa putredo humorum quę febrem accendit, adhuc fit, & non est ex toto facta; in ea enim quæ ex toto facta est, exhalauit internus calor, [d] & succesit frigus, ita vt non possit accendi febris: sed cum fit ab externo calore, euocatur internus humor putrescentis materię, & ita excitatur febris, sicuti etiam cum pus conficitur, magis quam vbi confectum est, quemadmodum Hippocrates [e] tradidit. Putredo igitur humorum febrem efficiens, non est absoluta & ex toto facta, sed partim fit, partim facta est: alienatur autem putrescens humor, nunc magis, nunc minus, velut in abscessibus, à quibus modo sanies effluit cruda & praua, modo pus coctum, album, lene, & æquale. Eadem ratio est humorum qui diffusi putrescunt, modo .n. valde alienantur, modo semiputres sunt: demonstratur hoc ab his quæ residentin vrina, sunt .n. [f] similia his quæ effluunt ex abscessibus: humores qui semiputres sunt vt in curatione docebimus concoqui possunt & in alimentum conuerti, qui verò valde putres, necesse est educantur: sed cum febrem accendunt satis ostendimus non dum computruisse ex toto. Quod verò dicebamus interitum qui pro genere ponitur in definitione putredinis, esse naturalem & non violentum, non videtur valere in humoribus cum putrescant ex morbo, sed tantum in his qui ætate ac senio conficiuntur: solum .n. hunc interitum Plato dicit esse naturalem, cæteros iudicat violentos: eatenus tamen dici potest humorum putredo naturalis, quatenus non apparet externa violentia, veluti in his quæ ab igne vertuntur in cinerem: est autem & putredo & morbus naturalis, habita ratione si non formę, [g] saltem materiæ. Hactenus de genere, pergamus ad differentias, quas duas posuimus; priorem sumpsimus à subiecta materia, cum diximus caloris interni in humido: non videtur hæc omnibus humo

ribus

[a] Arist. l. 4. metheor. cap. p.

[b] Paulo ante

[c] Gal. 3. de præsagit. puls. c. 7.

[d] Arist. 4. metherorum cap. p.

[e] Hipp. 2. aphoris. 47.

[f] Gal. p. prognost. vlt. & p. de alim. facultat. cap. 2.

[g] Arist. l. 4. de Gener. anim. cap. 4. & l. 2. phisicor. Tex. 88. & Tex. 89.

tibus conuenire, sed tantum sanguini, qui cum calidus sit & humidus, potest putrescere itaut intereat internus eius calor in humido. Cæteri humores non videntur posse putrescere, cum aut non sint humidi, veluti flaua bilis, aut non sint calidi, veluti pituita, aut neque calidi neque humidi sint, veluti humor melancholicus: constat tamen omnes putrescere, quareid de ipsis dicendũ est, quod de elementis [a] ante dictum fuit, non esse ita puros ac simplices, vt non sit in omnibus aliquid humoris & caloris, propter quem possint putrescere: celerrime autem putrescunt qui calidi sunt & humidi, vt sanguis: deinde illi in quibus exsuperat calor & siccitas, vt bilioſi: tum in quibus frigus & humor, vt pituitosi: postremo in quibus frigus & siccitas, vt melancholici. Altera differentia sumpta est à causa efficiente, quam posuimus externum calorem, hoc est aeris circunfusi: euocat hic internum humorem, cum quò simul exhalat internus calor: euenit hoc vt alijs rebus putrescentibus, ita etiam humoribus nostri corporis, ad quos per asperam arteriam, per arterias leues, per foramina cutis, permeat externus aer, ob quem putrescunt: quamquam sine hoc putrescunt etiam ob calorem qui præternaturam in nostro corpore continetur, [b] quemadmodum vbi inflammatis spiritibus diaria vertitur in eam febrem quæ residet in humoribus putribus: sæpe etiam clausis canalibus, aut paruis foraminibus cutis, calida expiratio retenta quasi aer circunfusus putrefacit humores circa quos versatur, neq; .n. est interna si cum ipsis comparetur, sed externa: apparet igitur quo pacto definitio tradita de putredine in vniuersũ aptetur humoribus qui putrescentes febrem accendunt.

a Paulo ante.

b Gal. 9. meth. c. p. & p. de diff. feb. cap. 7.

Locus vbi putrescunt humores qui febrem excitant, quasi focus vbi ligna incenduntur, vel [c] comuniter spectat ad vniuersum corpus, vel ad aliquas partes: si ad vniuersum corpus, includuntur in venis, si ad aliquam partem, aut similiter includuntur in venis aut extra venas, vel diffusi, vel in paruis foraminibus adstricti, quales sunt qui inflammationem [d] faciunt, quam erasistratus [e] semper voluit esse causam propositæ febris, & propterea prohibuit potionem aquæ frigidę, qua tamen constat ardentes sanari, pleræq; igitur febres humorum putredinem sequentes, sine inflammatione fiunt: quæ verò hanc sequuntur, symptomata à veteribus [f] nominantur: quicumque autem illis laborant, non dicuntur febricitantes, sed frenetici, pleuretici, peripneumonici, aut alio eiusmodi vocabulo. Exposita continente ac proxima causa earum febrium quæ residunt in humoribus putribus, putredine videlicet: sequitur vt alias exponamus, quę non proxime, sed alio interiecto medio eiusmodi febrem accendunt: talis primum

c Gal. xi. methodi c. 4.

d Gale. l. 11. meth. c. 7.

e Galen. de caus. procatarcticis cap. 2.

f Gale. 4. aphoris. 73.

a Arist. 4. metheor. cap. p. & Gal. l. 11. met. c 8.

b Gal. xi. meth. cap. 4.

c Gal. ibidē.

d Gal. 6. catopus

e Gal. 1. de diff. febr. c. 2. & 4.

f Gale. 3. de prēsag. pulsuum c. 3.

g Gal. xi. meth. cap. 8.

h Gal. ibidē.

i Galen. 5. simpliciū. cap. 15.

est ea quę proxime putredinem excitat, calor videlicet [a] externus hoc est aeris circumfusi: habet autem expiratio retenta in corpore vim aeris circumfusi: cū nō sit propria humoris, sed externa: est igitur proxima causa putredinis, calor externus, siue aeris, siue quod plerūque accidit calida expiratio retēta. Vt autem libero perspiratu [b] defenduntur à putredine quæ extra corpus nostrū sunt, veluti aqua, aer, carnes; & eadem putrescunt vbi concluſa sunt, & perspiratu priuantur: sic humores in corpore nostro cum perspiratum habent, defenduntur à putredine, putrescunt cū eo priuantur; quod accidit, cum interni canales, vel externa foramina clauduntur ipsius cutis, & non permittunt exire calidā expirationem, præsertim corporibus putredini oportunis, qualia sunt calida & humida, & quę redundāt multis succis pręsertim prauis: ea item quibus innatus calor est imbecillus ita vt reniti non possit, sed vincatur ab externo, quemadmodū senibus, in quibus alioquin ob cruditatem, humorum superat multitudo. Valde etiam est oportunus putredini locus calidus [c] & humidus, siue externus siue internus: appello externum locum aerem ipsum in quo degimus, qui quatenus calidior est, ad putrefaciēdum est efficacior, quatenus humidior, similiter afficit corpus nostrū, quod humidius redditum, magis putredini exponitur: Internū locum appello illū in corpore nostro vbi continētur humores, qui ob eamdem causam si calidus sit & humidus, plurimum ad putredinem confert, quo nomine facile illa putrescūt quæ in ore, aut [d] partibus genitalibus cōtinentur. Non solū autem à prohibito perspiratu, verū etiam à contactu rerū putrium accenditur putredo in corpore nostro: aer putris, [e] siue ob aspirationem auerni, siue ob multitudinem cadauerum, siue ob vapores à paludibus exhalantes, siue ob pluuiarū multitudinem & æstum citra perflatum, permeās per corpora nostra putrefacit humores, & interdum etiam solidam substātiam cordis, quemadmodum in febre [f] pestilenti. Partes quæ computruerunt, veluti quæ gangrena detinentur, putrefaciunt alias quas [g] attingunt, & denique totum corpus, nisi abscindantur. Præter prohibitum igitur perspiratum, potest verum putrium contactus putrefacere: quæ enim putria sunt, vbi non dum ex toto putruerunt, calidiora sunt, & humidiora, atque idcirco præbent vim efficientis, & materiæ: quamquam possunt etiam cum inhærescunt perspiratum prohibere, & putredinem afferre. Maxima igitur ex parte proxima causa putredinis in corpore nostro, est prohibitus [h] perspiratus. Medicamenta verò quæ græce 'σηπτικὰ' vocantur, quamuis putrefacere dicantur partes nostri corporis ad quas admouentur, magis tamen excessu caloris, & tenuitate partium eas erodunt, quam putrefaciant;

trefaciant: neque enim ſunt calida & humida, ſicut illa quæ proprie ad putrefaciendum conferunt. Prohibetur autem perſpiratus, clauſis vel internis canalibus, vel externis foraminibus cutis: clauduntur autem cum [a] vel adſtringuntur, vel obſtruuntur. Obſtructio plerumque putredinem excitat, & febrem in ea reſidentem: raro autem & non niſi parua admodum ſit excitat diariam. Adſtrictio foraminum cutis plerumque diariam febrem [b] efficit; poteſt tamen & putredinem afferre corpore putredini obnoxio: ſed internis canalibus adſtrictis, facile putreſcunt humores. Reſtant cauſæ adſtrictionis & obſtructionis. Obſtruunt [c] humores craſsi glutinoſi, non tantum internos canales, ſed etiam externa foramina cutis, ad quę concitantur ex motu, ira, æſtu, qui proxime ſuccedat frigori. Adſtrictio fit à frigidis, ab acerbis, ab exſiccãtibus in foraminibus cutis: ſed in internis canalibus, etiam [d] à cõprimentibus, ſiue ſint externa, vt vincula, ſiue interna', vt tubercula & tumores. Enarrauimus cauſas omnes quæ vel proxime, vel alio interiecto medio febrem accendunt in humoribus putribus reſidentem: exillis, aliæ ſunt cauſæ [e] & ſymptomata, vt prohibitus perſpiratus, qui eſt expulſio ablata vel imminuta: aliæ cauſæ & morbi ſimul, vt adſtrictio & obſtructio: alię ſunt cauſæ tantum, vt putredo & ea à quibus fieri diximus adſtrictionem & obſtructionem.

a Gale. l. de cauſ. morborum c. 7

b Gal. 8. meth. cap. 2.

c Gale. 8. methodi c. 4.

d Gal. 8. meth. cap. 4. & de cauſ. morb. ca. 7

e Gal. xi. meth. cap. 9.

De ſymptomatibus ſequentibus in vniuerſum febrem ab humorum putredine exortam. Cap. III.

EX tribus præternaturam quæ ad febrem in humoribus conſiſtentem attinet, duo iam abſoluimus, morbum ſcilicet, & cauſam: ſupereſt tertium, ſymptoma videlicet, quod multiplex incidere ſolet, cum ob febrem ipſam, tum ob cauſam, hoc eſt ob humorum putredinem. Symptomata quæ ob febrem ſequuntur, non alia ſunt, quam quæ ſupra [f] enarrauimus, cum febrem in vniuerſum tractaremus: tanto autem validiora ſunt in hac febre, quam in diaria, aut hæctica, quanto hæc maior illis eſt & ardentior: ſiquidem diaria parua eſt & lenis, hæcticæ calor neq; magnus neque ardens percipitur, quamuis diutius hominem tangenti videatur acrior. Repetamus ſummatim illa ſymptomata quæ conſequuntur febrem ob vim caloris, quatenus calefaciendo ſiccat quæ humida ſunt, & liquefacit quę concreta: febris ſiccando, vigiliam, ſitim, neruorum diſtentionem affert: præterea adſtringit aluum, & linguam primo arefacit, tum exaſperat, & tandem perrumpit, perinde atque aer æſtiuus terram quãtumuis pinguem. Concitat verò liquefaciendo deſtillationem, grauedinem, raucedinem, alui profluuium, & plurimum mouet vrinæ atq; ſu-

f Supra l. p. cap. 4.

doris. Eliquat ardens prauaq; febris partes humidiores, itaut euidenter detrudantur: sed in febre hæctica maraſmode tabeſiunt partes veræ ſolidæ, ſiccę ac duriores, & quod liqueſcit in vapores digeritur, itaut non ſit perſpicua eius expulſio. Huiuſmodi ſunt ſymptomata quæ ob febrem conſequuntur: ſpectāt autem partim ad actiones lęſas, partim ad ea quæ præternaturam retinentur atque expelluntur, partim ad qualitates mutatas. Pergamus ad ea ſymptomata quæ ab humorum putredine oriuntur, alia autem apparent in alijs partibus prout humor putris aut in illis reſidet, aut ad eaſdem tranſmittitur; tranſmittitur autem non ſemper ipſe humor, ſed interdū fuligo, [a] quæ plurima exhalat à pituita putreſcente, modica à ſanguine & flauabile, pauca ab atra. Non ſolū autem varia ſymptomata oriuntur prout varię partes tentātur à putri materia, ſed prout ipſa etiā varia eſt pituitoſa, ſanguinea, bilioſa, melancholica; ſi feratur ad caput, dolorem eius affert: proprie autem fuligo ſi cerebrum tentet, facit delirium; [b] Si flauabilis in hæreat membranis cerebri, efficit vigiliam & [c] freneſim: ſi pituita [d] cerebrum occupet, lethargum excitat, & grauiorem ſomnū efficit: vbi materia putris verſetur in auribus, [e] ſurditatē affert: vbi in naribus, ſtarnutamentum aut fluxum ſanguinis: vbi in lingua, deprauationem guſtus; combibitur .n. ob eius raritatem ſpongijs aſsimilem, quo fit vt eſculenta & poculenta non guſtentur amplius ſui ſaporis, ſed illiùs cuius ſunt ſucci quos lingua accepit: accipit autem tenuem partem ac veluti ſerum, cuiusuis putreſcentis ſucci, vel à cerebro ad ipſam deſcendentis, vel ab inferioribus partibus, vt à pulmone, ventriculo, vtero, ad eandem tranſlatis: quorū colore etiam inficitur, ob quem [f] monſtrat quales ſint in corpore putreſcentes humores: recte etiam traditū fuit ab Hippocrate [g] eiuſdem coloris eſſe linguam, cuius eſt vrina cum vtraque à redundantibus ſuccis inficiatur: quamquam inficitur etiam lingua à fuligine quam excipit ex humoribus putreſcentibus in ventriculo, aut pulmone. Si materia putris in thorace ſit & pulmone, quatenus loci anguſtiam affert reſpirationem lædit, ſed quatenus infeſta eſt, expultricem facultatem irritat, & tuſsim mouet. Eadem ſi tentet cor, vires debilitat, itaut ſequatur animæ defectio, præſertim vbi valde putris ſit: ſi verſetur in ore ventriculi, ipſum mordet, & vires conuellit, itaut ſuperueniat animæ defectio, non ſecus atque vbi læditur cor. Sequitur etiam affecto ventriculo ſingultus, nauſea, vomitus, faſtidium; cum fertur ad inteſtina, efficit alui profluuium & interdum tormina; ſed vbi fertur ad cutem, frigus affert, non tam vbi frigida eſt, quam etiam vbi calida: inalgeſcunt enim partes externæ cum calor contrahatur ad internas, interdum autem

non

a Gal. p. de differ. feb. cap. 5.

b Gale. 3. 6. epid. com. 36.

c Gale. 2. p. epid. com. 73.

d Gal. 13. method. c. 21.

e Hippo. & Gale. 4. aphoriſm. 60.

f Hippoc. & Gale. 5. 6. epid. 14.

g Hipp. ibidem.

non ſolum ſentiuntur frigidæ, ſed etiam concutiuntur; quod ſi cũ frigore ſola cutis agitetur, dicitur [a] græce φρίκη latine horror; ſi cũ frigore externarum partium, non tantum cutis, ſed totum corpus concutiatur, eiuſmodi ſymptoma vocatur à græcis [b] ῥῖγος, à latinis grauis horror: ſi quidem rigor apud latinos diſtentionem ſimul ac duritiem à frigore ortam ſignificat, rigereque dicuntur quæ valde refrigerata ſunt: vocatur etiam rigor neruorum ille qui à græcis appellatur τέτανος: nos tamen horrorem cõcutientem, vt ab altero horrore diſtinguamus, appellabimus rigorem, ſicuti nunc vulgus medicorum ſolet. Superueniunt hæc principio acceſſionum quò tempore calor inquit Hippocrates [c] accenditur in thorace, & fertur ad caput, quò fit vt extremæ partes relinquãtur frigidę, quæ propter oſſa ac neruos frigidæ ſunt: ſed cũ remittitur acceſſio, diffunditur calor per vniuerſum corpus ex thorace, itaut pedes calidiores reddantur, quam ſit ipſe [d] thorax: hoc autem tempore acceſsionis quò calor ad pedes deſcendit, conuenit [e] hominem alere. Sed relicto frigore, ſpectemus horrorem ac rigorem, & eius cauſas, inquibus tractandis, ob rei difficultatem diutius inſiſtemus. Horror ſimpliciter quem græce diximus appellari [f] φρίκην, eſt vbi cum frigore externarum partium ſola cutis dimouetur, veluti mare flante fauonio: differt autem à graui horrore, qui græce nominatur ῥῖγος, à iunioribus latinis rigor, quoniam ſub hoc vnà cum frigore partium externarum, non tantum concutitur cutis, ſed ſimul etiam quiuis muſculus, & propterea vniuerſum corpus: quamquam accipitur ῥῖγος à græcis aliquando pro vehementi frigore quod ſine vlla agitatione ſentiunt corpora ſana: in ægrotantibus tamen notat cum frigore agitationem omnium partium, atque hoc pacto accipimus rigorem de quò nunc loqui inſtituimus. Definitur autem non ſimpliciter frigus, aut etiam frigus vehemens, vt nonnulli voluerunt, ſed adeo moleſtum, vt [g] omnes partes corporis concutiantur: neque enim rigent omnes qui aut frigore ſimpliciter, aut etiam vehementi præhenduntur, niſi adeò moleſtum ſit, vt partes corporis inæqualiter dimoueat: hic motus quem definitioni rigoris adijcere oportet, præternaturam eſt, veluti palpitatio, neruorum diſtentio, tremor, à quibus tamen omnibus diſsidet: à palpitatione [h] quidem, quoniam hęc pauca, rara, & tarda eſt: ille contra multus, cum diutius perſeueret: celer: cum velociter fiat, frequens, quia parum intercedit quietis inter duos contrarios motus quibus continetur. Differt à diſtentione neruorum, quæ ſimiliter [i] eſt motus earundem partium motui voluntario inſeruientium, quoniam hæc, quamuis pręter voluntatem accidat, eſt tamen ſimilis motui

a Gale. l. de Tremore rigore c. 6
b Gal. ibidẽ.
c Hippoc. 4. acut. 39.
d Hipp. ibidem.
e Hipp. ibidem & p. acut. Tex. com. 46.
f Gal. l. de rigore ca. 6.
g Gal. ibidẽ.
h Gale. 2. de cauſ. ſympt. cap. 2.
i Gal. de rigore ca. 8.

voluntario, ille agitatio quędam inæqualis. Distat & à tremore (quamuis Plato, [a] & Aristoteles [b] vtrumque eundem esse motum existimare videantur) quod licet ambo ad musculos pertineant, ad tremorem efficiendum concurrat voluntas, rigor sit omnino præter voluntatem, cui reniti homo minime potest, quamuis maxime contendat, contineaturque ab alijs: præterea rigor, est totius corporis, tremor, vnius partis duntaxat. Sed iam tempus est rigoris causam exponere, quem & motus, & frigus efficit. Efficit motum facultas expultrix [c] contendens inde excutere quod molestum est, expellit primo pars sentiens ad vicinam, donec omnes dimoueantur concutiaturque vniuersum corpus, dum abijciatur id quod molestum est: hinc itaque proficiscitur agitatio. Frigus quod simul sentitur, potest oriri à causa frigida irritante facultatem expultricem; sed quia oritur etiam vbi ea calida [d] fuerit, aliud causari oportet à quo refrigerentur partes externæ, nam interne rigentium calidę sunt: id autem non aliud est quam contractio [e] calidi innati ad partes internas. Consistit innatum calidum inspiritu & sanguine, quibus cum destituuntur externę partes, quod confugiant ad internas, relinquuntur frigidæ: contrahitur autem innatum calidum quo expultrix facultas, natura, & sensus continetur, cum aliquid molestum percipit, sed quia contractum non potest seruari sine perspiratu, necesse est rursus extra feratur, quod sine magno impetu fieri non potest, cum à rè molesta externa prohibeatur quam contendit expellere. In hac pugna ac motu innati calidi, vicissim intro & foras, concutiuntur omnes partes corporis, & ita simul fit cum frigore agitatio, & propterea rigor: quem affectum omnes voluerunt esse caloris, & illi etiã ipsi qui innatum non cognouerunt, veluti Asclepiades, qui solum posuit aduentitium: incipit autem à lumbis & dorso rigor, vt docuit Hippocrates, [f] quoniam hę partes frigidiores sunt quam anteriores, quæ raræ sunt & pilosę: facilius autem in eum incidunt fœminę, quod frigidiores sint quam mares: à dorso per spinę medullam afficitur cerebrum, quod & frigidum est & molle, itaut facile noxam accipiat, quæ inde etiam impertitur neruis & musculis omnibus, ita vt non mirum sit si vniuersum corpus concutiatur. Perspecta proxima causa rigoris, quæ est facultas expultrix & natura ipsa innato calido contenta, cum contrahitur & effunditur, cum hoc eueniat quia percipit rem molestam, qualis hęc sit iam nunc videndum est. Quamuis rigor sit affectus frigidus, causa irritans facultatem expultricem non propterea semper frigida est, sed potest etiam esse vel calida, vel neque calida neque frigida: id quod perspicuum erit, si omnes & euidentes, &

abditas

a Plato in Timeo & Gale. l. de rigore c. 7

b Arist. l. 3. proble. 25.

c Gale. 2. de cauſ. sympt. cap. 2.

d Gale. l. de rigore c. 6. & l. 2. de cauſ. sympt. cap. 5.

e Gal. ibidé.

f Hipp. 5. aphoris. 70.

abditas cauſas à quibus oritur intueamur: conſtat euidenter rigorem fieri à ſubita [a] perfuſione calidæ vel frigidæ aquæ: ab acribus medicamentis ſuperdatis parti [b] vlceratę, à timore, ab auditu & aſpectu terribilis alicuius rei: contrahitur .n. calor intro & externas partes relinquit frigidas, cumque rurſus extra fertur & excutit quod moleſtum eſt, agitatur vniuerſum corpus: at timor ac tremor, neque in calidis, neque in frigidis numerari poteſt: interna verò cauſa, ſiue ſit humor, ſiue [c] exhalatio ac flatus, mordet & moleſta eſt, aut calore, aut frigore: plerumque autem excitat rigorem flauabilis quæ ad cutem expellitur, tum in tertianis principio acceſsionum, tum in ardentibus [d] cum ſoluuntur: detruditur enim ex venis materia bilioſa, quę tandem educitur per ſudorem: ſed interea, dum à muſculis excutitur, ſequitur rigor: eumdem efficit & humor melancholicus, qui per ſe frigidus eſt: ſed putreſcens incaleſcit, ita vt tam [e] calore quam frigore moleſtus ſit, quemadmodum apparet initio quartanæ acceſsionis: videtur autem illa moleſtia penetrare vſque ad oſſa, iungique cum morſu manifeſtum frigus, contra quam in tertiana, in qua ſentitur magis acrimoniæ moleſtia, quam frigoris: fit ſimiliter rigor [f] à pituita cruda, qualis illa eſt quam Praxagoras vitream appellauit, ſed lenis eſt, neque excitatur niſi cum homo dimouetur: non enim poteſt pituita cum extenuatur ad tenuitatem flauę bilis peruenire, & ideo magnum rigorem excitare: accidit autem potiſsimum mulieribus, & his qui in g ocio degunt, multiſque ac frigidis ſuccis nutriuntur, redundantque humoribus crudis, præſertim vbi poſt cibum exercentur, aut calida aqua lauantur. Accidit autem etiam ſi non febricitent, & non tantum ſemel, ſed etiam repetit: id quod non eueniebat Hippocratis [h] ſeculo, cum homines parcius viuerent, & magis exercerentur; tunc enim vt ipſe teſtatur, rigorem ſemper ſequebatur febris, neque enim fiebat rigor qui non degeneraret in febrem, quod accenderentur humores vt qui minus crudi eſſent. Scribit autem Epicratis [i] vxorem quę multis craſsis ſuccis abundabat, primo & ſecundo die in rigorem incidiſſe, neque febrem ſequutam eſſe niſi tertio. Expoſita cauſa rigoris, non difficile eſt illam inueſtigare, quæ horrorem facit: eadem enim eſt, ſed leuior, ſicuti horror idem ſymptoma eſt quod rigor, niſi quod [k] leuius eſt: cum frigore enim ſola concutitur cutis. Cauſa igitur, veluti humor, ſi parum admodum moleſtus eſt vix ſentitur, itaut vel nullum excitet ſymptoma, vel inæqualitatem duntaxat: ſi paulo moleſtior ſit, efficit laſsitudinem: ſi magis infeſtus horrorem: ſi moleſtiſsimus, rigorem. Proficiſcitur maior & minor moleſtia, partim à corpore ęgrotantis, partim ab

a Gale. 2 de cauſ. ſymptom. c. 5.
b Gal. 2. prognoſt. com 58.
c Gal. 10 meth. cap. 4.
d Hipp. 4. aphoriſm. com. 58.
e Gale. 2. de cauſ. ſympt. cap. 5.
f Gal. 1. de rigore. ca. 7.
g Gal. ibidē. & l. 2. de cauſ. sympt. cap. 5.
h Gal. 2. de cauſ. ſympt. ca. 5. & Hipp. in principio libri de morbis.
i Hipp. 3. epid. 22.
K Gal. 2. de diff. febr. c. 7. & 2. de cauſ. ſympt. cap. 5.

ipso humore: in corpore ægrotantis attendimus vires & sensum: vires validæ, leuius symptoma efficiunt, quod renitantur, & id circo contemnant causam lædentem: contra imbecillæ, cum magis offendantur, & minus reniti possint, magis contendunt excutere quod noxium est, & idcirco grauius efficere symptoma, nisi vbi ob summam debilitatem non audeant pugnare cum causa lędente. Quod attinet ad sensum, si acris est, magis percipit quæ molesta sunt, magisq; excitatur natura ad ea expellenda, fitque grauius symptoma quam si hębes: materia verò si pauca est, si lenis, si quieta, leue excitat symptoma; contra si multa, si acris, si moueatur. Nunquam verò excitat rigorem quod symptoma grauissimum est, nisi [a] moueatur: mouetur autem & à nobis, cum exercemur, cum versamur in sole, aut in balneo: sponte autem cum transfertur ex vna parte ad aliam, & vt tradit Plato in Timeo, fit rigor à bile cum influit, hoc est cum mouetur: non potest autem per se multitudo & frigus ac calor humoris rigorem facere nisi moueatur, nam & hydropes & Arquati qui magna copia flauæ bilis, vel pituitæ opprimuntur, non proptere arigent: leuiora symptomata possunt etiam fieri, sine motu materię. [Ea quę mouetur, quanto velocius mouetur, tanto grauius affert symptoma: in vniuersum igitur grauius vel leuius excitatur, pro vt causa validior vel imbecillior est, & corpus ægrotantis magis vel minus oportunum eiusmodi noxæ.

a Gale. l. de rigore. c. 7

De differentijs febrium humorum putredinem sequentium. Cap. IIII.

RES præternaturam attinentes ad febrem ex humorum putredine profectam, morbum, causas, & symptomata, vberrime persequuti sumus: restant differentiæ quibus illa in vniuersum distinguitur, has cum suppeditentur etiam à causis ac symptomatibus, exponere placuit, vt facilius intelligi possent postquam causas & symptomata exposuimus. Omittemus autem & illas quę sunt omnino aduentitię, cum nihil ad curationem conducant, & illas quibus morbi forma continetur: nam hæ constituunt species, quas explicabimus, vbi absoluerimus ea quę in vniuersum explicanda erant: agemus autem de illis duntaxat, quę aliquo pacto pertinent ad formam; sumuntur [b] enim vel à subiecta materia in qua residet, vel à modo quo in illa versatur, vel à consequentibus ipsam, vel à causis, vel ab effectis. Attenditur [c] in subiecta materia, hoc est in corpore ægrotantis, ætas, sexus, temperatio, robur. Ab ætate suppetunt differentiæ quod alię febres pueriles sunt, veluti quotidianæ, aliæ iuueniles, veluti tertianæ puræ,

b Supra l. p. cap. 5.

c Vid. ibidé.

puræ, alię ſeniles, veluti ardentes illę quas affert pituita ſalſa. A ſexu, quod aliæ muliebres, vt pituitoſæ, aliæ viriles, vt bilioſæ: ſed hæ omnes differentiæ videntur ad cauſas referendæ, hoc eſt ad humores putres, & idcirco etiam ad ſpecies, quæ (vt in ſequentibus oſtendemus) diuerſæ ſunt pro diuerſis humoribus putreſcentibus. A temperatione quod aliæ congruæ ſunt veluti ardentes hominibus calidioribus: aliæ non congruę, veluti eædem frigidioribus. A robore magno vel paruo, quod mediocres, magnæ ſint comparatę ad morbum paruum, paruæ ad magnum. Sed pergamus ad modum quò forma reſidet in ſubiecta materia: hic multiplex eſt, vt perfectus & imperfectus, æqualis aut inæqualis, per ſe aut per aliud medium interiectum: efficit autem varius modus, varias febrium differentias; cum forma, hoc eſt calor perfecte reſidet in ſubiecta materia, tunc contraxit habitum, & occupat ſolidas partes, dicunturq; eiuſmodi febres hæcticæ: ſed quæ nunc nobis proponuntur humorum putredinem ſequentes, nõ dum perfecte inhæreſcunt, neque habitum contraxerunt, cum partes ſolidæ non dum ex toto calefactæ ſint, ſed etiam calefiant ab humoribus putribus: pro maiori autem vel minori putredine, magis vel minus hærent, & facilius vel difficilius remouentur. Cæterum im moderatio caloris qua febris continetur, poteſt æqualiter, vel inæqualiter occupare partes noſtri corporis, & ita erit febris æqualis vel inæqualis: Sola autem hæctica [a] febris æqualis eſt, diaria verò & quæ humorum putredinem ſequitur, neceſſariò inæqualis eſt, cum alia ſit temperatio in partibus ſolidis, alia in humoribus & ſpiritibus. Quod ſpectat ad eum modum quem diximus vel per ſe, vel per aliud: ſcire licet, omnes febres eſſe per ſe partium ſimplicium, & per has multiformium: proprie autem quę conſiſtunt in humoribus putribus, aut ſine inflammatione ſunt, aut cum hac: vbi humores citra inflammationem putreſcunt, febres dicuntur morbi per ſe. Sed vbi adſit inflammatio, hęc proprie appellatur morbus, febres quæ illam ſequuntur dicuntur à veteribus [b] ſymptomata, quod ſymptomatum modo alium morbum ſequantur. Illi verò qui his laborant, vocantur non febricitantes, ſed frenetici, peripneumonici, pleuretici, aut alio eiuſmodi nomine ab inflammatione ducto; quamuis etiam eiuſmodi febres lædant actiones, & idcirco ſint morbi. Conſequuntur formam in ſubiecta materia, quantitas, [c] locus, modus, tempus; ad quantitatem refertur magnitudo & numerus, ſub magnitudine compræhenditur etiam paruitas, vndę aliæ febres dicuntur paruæ, aliæ magnę. Accipitur magnitudo morbi interdum pro ſpacio [d] maiori, vel minori, quod ab ipſo occupatur, interdum pro parte affecta

a Gal. l. de inæquali intemperie cap 6.

b Gale:4. aphoriſm. com. 73.

c Supra l. p cap. 5.

d Gal. 4. meth. cap. 9.

fecta nobili vel ignobili: vtroque modo accepta refertur ad locũ. Interdum pro prauitate & facilitate morbi, & hoc pacto ſpectat ad ſymptomata & effecta. Interdum pro gradu qualitatis maiori vel minori: hinc dici ſolet, (quamuis minus propriæ) [a] magna febris, cum calor eſt vehemens: paruã, cum leuis, atque hoc pacto accepta magnitudo ad quantitatem refertur, quemadmodum refertur, plurimum calidum innatum, quod Hippocrates [b] eſſe ait in his qui creſcunt. Numerus, eas ſuppeditat febrium differentias, quod aliæ ſimplices ac ſolæ ſunt, aliæ multiplices ac compoſitæ: componũtur autem cum ſymptomatibus propriam curationem requirentibus, cum cauſis, & cum morbis, præſertim cum alijs febribus, ſiue diuerſi generis, veluti cũ hæcticis, ſiue eiuſdem, vt cum alijs ab humorum putredine ortis: ſiue ſint eiuſdem ſpeciei, vt bilioſæ omnes, ſiue alterius, vt vna bilioſa, altera pituitoſa: quę ſi eadem hora inuadant, dicuntur etiam [c] confuſæ: ſi diuerſa, appellantur ſolummodo compoſitę. Locus quem occupat febris quælibet, eſt vniuerſum corpus, & ita quæuis febris communis eſt morbus, nulla [d] proprius, quemadmodum inflammatió alicuius partis: quare à loco, nullæ ſumuntur harum febrium differentiæ. In motu animaduertitur qualitas & modus: conſiſtit qualitas in celeritate & tarditate, ob quam alię febres dicuntur celeres, aliæ tardæ: ſed cum celeritas breuitatem, tarditas longitudinem afferat, alię febres rurſus dicuntur breues, aliæ longæ: dicuntur longæ, quæcumq; [e] vltra quadrageſimum diem trahuntur: breues, quæ citra, ita vt quadrageſimus dies ſit vltimus breuium febrium, primus longarum. Breues ſi continuæ ſint & vehementes, nominantur acutę, [f] ſiue ſimpliciter, ſicut illæ quæ quatuordecim [g] diebus terminantur, ſiue valde, vt illæ quæ ante, vel tertio, vel quartô, vel ſeptimo, vel nono, vel vndecimo die finiuntur, nominanturquę peracutæ ſiue ex recidiua, vt illę quę poſt decimumquartum vſque ad quadrageſimum. Vocantur autem acutæ ex recidiua, quod cum inceperint ac ceſſauerint, rurſus reuertantur, neque .n. manere acutę perpetuo poſſunt quadraginta dies, ſed tantum quatuordecim. At neque longæ etiam eodem tempore omnes terminantur, ſed quędam ſexaginta diebus, quædam octuaginta, quædam centum, quędam centum & viginti, quædam ſeptem [h] menſibus, non nullæ enim ququæ hyeme incipiunt, æſtate finiuntur, & ex contrario, hyeme, quę æſtate: non nullæ etiam multo diuturniores ſunt, veluti quartanæ. Modus quem in motu diximus animaduerti, multiplex eſt: primo autem aut vnus idemque eſt à principio vſque ad finem, diciturque à græcis *σύνοχοσ*, [i] aut diſtinguitur pluribus circuitibus:

ille

a Gale. contra Iycum cap. 7.

b Hipp. p. aphori. 14.

c Gal. 2. criſium. ca. 7. & 2. de diffe r. feb. c. 8

d Gal. de curat. per venæ ſectio. cap. 19.

e Hippoc. & Galen. p. prog. Tex. com. 25.

f Gale. 2. de diebus decretorijs. cap. 12.

g Gale. 2. aphoriſm. com. 23.

h Galen. & Hippoc. aphoriſm. Tex. com. 28.

i Gale. 2. de diff. febr. cap. 2.

ille qui idem eſt, aut eodem [a] modo ſemper procedit, & appellatur ὁμότενος, aut ſemper augeri videtur, & appellatur ἐπαγμαξικος, aut ſemper minui & dicitur παραγμάξικος, quę differentiæ tribuuntur febribus illis quæ circuitibus carent: circuitus verò qui græce dicitur [b] περίοδος, ſignificat æquale tempus quò aliquid ſimiliter reuertitur, veluti olimpias: ſunt autem alij circuitus ordinati, alij inordinati: ordo qui in ipſis obſeruatur, vocatur à græcis τύπος, circuitus autem ſi quotidie [c] reuertitur, quotidianus eſt: ſi tertio quoque die tertianus: ſi quarto, quartanus; quintanus non apparet niſi rarò & [d] obſcurus: ſeptimanus & nonanus, neque inuenitur, neque nominatur: at neque reperitur etiam in corpore noſtro humor à quò poſsit proficiſci, ſicuti in ſequentibus oſtendemus oriri à pituita quotidianum, à flauabile tertianū, ab atra quartanum. Ex circuitibus ordinatis, alij repetunt eadem hora, alij anteuertunt, alij tandantur ob vim quandam propriam, præter eam quę communis eſt, ob quam in vigore rèuertuntur eadem hora, in incremento anteuertunt, in remiſsione tardantur: dies verò in quibus reuertuntur, interdum pares ſunt, interdum impares. Eſt præterea circuituum motus aliquādo ſtabilis [i] & conſtans, aliquando inſtabilis & inconſtans: illud item ſpectat ad modum motus, quod aliæ febres [g] incipiunt vehementes, ſed vſque ad vigorem paulatim remittuntur, alię cum mediocres inceperint creſcunt paulatim vſque ad vigorem, aliæ quodammodo ex his compoſitæ ſunt, leues enim incipiunt, ſed poſtquam paulatim increuerunt, & ſuam magnitudinem aſſequutę ſunt, remittuntur dum diſcutiantur: maxime autem in circuitibus ordinatis, illæ differentię attenduntur, quod febres [h] aut intermittunt, aut ſunt continuę: intermittunt illæ quæ in ſingulis circuitibus ad integritatem perueniunt: continuæ ſunt illæ in quibus homo nullo tempore integer eſt: habentur autem in quotidianis, tertianis, & quartanis, tam continuæ quam intermittentes: Sed fit etiam continua febris vbi ſimul coniunguntur [i] plures intermittentes diuturniores, itaut noua inuadat antequam vetus receſſerit. Tempus quod ſimiliter morbi formam in ſubiecta materia conſequitur, ob celeritatem motus, breue eſt, ob longitudinem, longum: quare & febres aliæ longæ ſunt, aliæ breues, quarum differentias complures ante perſequuti ſumus. Sumuntur etiam à tempore aliæ differentiæ febrium, prout multo, vel paulo ante inceperunt, dicunturque recentes vel vetuſtę: ſed hę magis monſtrant affectum ſtabilem vel mobilem, quam quod differentiam curationis poſtulent. Quod autem aliæ febres nocturnę [k] ſint, aliæ diurnæ, magis pertinent ad cauſam quam paulo poſt ſubijciemus,

a Gal. ibidē & l. 9. meth. cap. 3.

b Gale. l. de typis ca. 12.

c Gale. l. de typis ca. 4.

d Galen. 3. 3. epid. com 64. & 3. p. epid. com. 17.

e Gale. 3. p. epid. com. 18.

f Hippoc. & Gale. 3. aphoriſm. Tex. com. 8.

g Gale. 3 p. epid. com. x.

h Hippoc. 4. aphor. 43.

i Galen. p p. epip. com. 23.

k Gala. 3. p. epid. com. 6.

ciemus, quam ad tempus, quod nunc tractamus. Referuntur etiam ad tempus quatuor partes febris, quæ respondent quatuor ætatibus animalium, incipit .n.augescit, viget, senescit seu inclinatur: sunt autem quatuor hæc tempora motiones causarum, quamobrem maxime attenduntur in morbis habentibus causas, veluti in febribus humorum putredinem sequentibus,non in hæcticis, aut [a] in diarijs quę causas non habent. Principium est cum causa agere incipit, terminaturque incremento, in quò effectionem suam auget vsque ad vigorem, quare & tunc accessiones anteuertunt, maiores & longiores sunt; in vigore maxime agit, & omnia fortiora sunt inquit Hippocrates; [b] succedit vigor incremento, sicuti vigori remissio, quod est quartum tempus,in quò causę vis remittitur, & omnia imbecilliora sunt: non reperitur autem nisi in morbis salubribus, nam pernicioſi non [c] remittuntur: huiusmodi sunt quatuor etates seu quatuor tempora febrium, quæ neque æqualia sunt in diuersis febribus, vt acutis, vel diuturnis, neque etiam inter sè in eadem. Animaduertuntur eadem quatuor tempora in vnoquoque circuitu; incipit .n. augetur, viget, remittitur, sed inter principium [d] & incrementum, reperitur inæqualitas quædam quæ quasi quintum tempus adijci potest: præterea in febribus intermittentibus, remissionem sequitur intermissio, quę quasi sextum tempus illis additur, itaut diuidatur circuitus intermittentium febrium in sex partes, continuarum in quinque: quamquam potest tam intermittentium quam continuarum circuitus bipartito [e] separari,in accessionem & remissionem: Accessio, quæ gręce dicitur παροξύσμος,continet sub sè partes [f] deteriores ipsius circuitus, principium, incrementum,& vigorem: remissio in febribus intermtttentibus, non tantum compræhendit inclinationem, sed etiam intermissionem seu integritatem. Differunt igitur febres inter sè eiusmodi temporibus, & ipsius circuitus, & totius morbi. Causæ tam externæ quam internæ, plurimas suppeditant propositarum febrium differentias: externæ quidem vel pro vt corpus nostrum varie afficiunt, vel prout comunes sunt aut propriæ. Afficitur [g] varie corpus nostrum ab aere, ob regionem, ob præsentem cæli constitutionem australem, vel aquiloniam; sed potissimum ob quatuor anni tempora, ob vicissitudinem diei ac noctis, a quibus similes sumuntur harum febrium differentię: aliæ enim exempli gratia hyemales sunt, aliæ [h] vernæ, aliæ æstiuæ, aliæ autumnales: tum alię diurnæ, alię nocturnæ. Efficiunt etiam externę causę similes febrium differentias,vt propriæ sunt, aut cõmunes: propriæ dicuntur cum aliæ alios homines vexant à quibus febres oriun-

a Gal.xi.meth. cap. 2.

b Hippoc.2. aphor.30

c Gale. 3 de crisib. cap. 5. & 9.

d Gale.1.de temporib. morb. c.4.

e Gal. de totius morbi tempor. c. 6.& p. l. aphorism. com.12.

f Gal.9. methi cap. 5. & x1. meth.cap. p.

g Hipp. 2.aphoris. 25.

h Hipo 3.p. epid. 6.

oriuntur propriæ, quæ græce [a] σπόραδες, seu σπόραδικαὶ nominantur. Comunes sunt quæ complures lædunt, efficiuntque communes morbos, qui græce πάνδημοι, & πάνκοινοι vocantur: in vno autem populo à constitutione aeris facti, vocantur ἔνδημοι: in vna regione, ἐπίδημοι. Quod si communitati adijciatur prauitas, fiunt febres pestilentes, quas græci nominant [b] λοιμώδεις. Causa interna, hoc est humor putris, pro specie, qualitate, motu, exitu, varias efficit differentias. Species humorum quatuor sunt, sanguis, pituita, flaua & atrabilis, à quibus constituuntur species [c] propositarum febrium, vt [c] synocha à sanguine, quotidiana à pituita, tertiana à flaua bile, quartana ab humore melancholico, quas in sequentibus persequemur, cum quæ in vniuersum de omnibus dicenda erant absoluerimus: quæcumque autem sit species humoris putrescentis, si purus sit, facit febrem puram quæ exquisita dicitur: si mixtus, [d] cum alio, mixtam, quæ nominatur spuria: nã vt tumores prẹternaturam, si à puró humore fiant, dicuntur exquisiti, si à mixto spurij, sic etiam febres. Qualitas humoris similem efficit febris differentiam; si cocta est, coctam: si cruda, crudam: tum si mitis, mitem: si praua prauam: est autem praua qualitas, vel manifesta, vt in flaua & atra bile, vel occulta ob repugnantiam [e] totius substantiæ, quæmadmodum vbi vim habet veneni: mouetur interdum putris humor febrem accendens & impetu quodam per corpus vagatur, efficitque febrem turgentem: plerumque autem frigescit, & tunc febris quam efficit non turget: attenditur & in interna causa hoc est in humore putri, exitus: cum interdum retineatur, interdum exeat: vbi nihil vel paulum exeat mãteriẹ, febris dicitur sicca: vbi exeat, humida, prẹsertim si exeat humor: nam expirat interdum vapor duntaxat. Ergo si exeat multus humor, velut in illis febricitantibus qui primo die sudant, & nihil propterea leuantur, eiusmodi febris valde humida est, appellaturque græce [f] τυφώδεις, & ελώδεις: vbi exeat vapor putris, si glutinosus sit, cum illis inhæresçat quos contingit, efficit febrem quẹ contage [g] contaminat proximos; quod non euenit cum ille qui exit vapor minime glutinosus est. Ab effectis hoc est à symptomatibus, sumuntur propositarum febrium differentiæ, quod [h] mites sunt vel prauæ, quod item salubres vel pernicioſæ: sunt.n. prauæ, illæ quibus praua symptomata accedunt: non tamen propterea pernicioſẹ, cum non omnino spem adimant, sed solummodo portendant periculum: sunt mites, illæ quæ carent prauis symptomatibus; pernicioſæ, quẹ habent symptomata grauissima, salubres, quẹ non multum grauia. Possunt autem esse salubres, quẹ tamen non sint mites aut leues.

a Gale. p.p. epid.com. p.& p.acu tcr.com 9

b Gale. p.p. epid. com. p.

c Gale. 2 de diff. febr. cap. 9.

d Gal 2.de diff. febr. cap. 8.

e Gale. 6. de loc.aff.c. 4 & p. de diff febr. c. 3. & c. 4.

f Gal. contra lycum. cap. 2.

g Gale. p. de diff. febr. cap. 2.

h Galen. 3. prognost. ab initio & Hip. in eodé loco

leues. Absoluimus differentias quibus distinguuntur febres ab humorum putredine profectę; proximum est vt earum causas inuestigemus.

De causis differentiarum febrium illarum, quæ ab humorum putredine oriuntur. Cap. V.

IN superioribus [a] libris, cum differentiarum quibus morbi distinguuntur in vniuersum causas inuestigaremus, regulam ad scripsimus communem, qua nunc etiam vtendum est: ea autem est, quod [b] effectorum differentiæ proficiscuntur à simili differentia causarum, vel omnium, vel aliquarum: siue similitudo aperta & expedita sit, siue implicita & abscondita: ad causas autem efficientes redigere oportet habilitatem accipientis. Sumamus initium ab illis differentijs quę ducuntur à subiecta materia, hoc est à corpore ęgrotãte, in quò animaduerti mõstrauimus ætatem, sexum, temperationem, vires, à quibus suppeditantur varię febriũ differentiæ, vt quod aliæ pueriles sint, aliæ iuueniles, alię seniles: quod item aliæ viriles, aliæ muliebres: tum aliæ congruæ aliæ non congruæ tẽperationi, alię paruæ, quod robur paruum sit, aliæ magnę quod magnum: harum differentiarum causa, est similis differentia in causa febris, si non in efficiente, certe in habilitate materiei subiectæ, hoc est corporis ęgrotantis: differunt & febres inter se, modo quò accipitur forma in subiecta materia, vt perfecte in hęctica, imperfecte in alijs febribus, cuiusmodi est quam nunc tractamus: ęqualiter in hæctica, inæqualiter vt in his. Oriuntur autem à simili differentia causę efficientis, quę vim habet afficiendi perfecte aut imperfecte, ęqualiter aut inæqualiter. Eadem causa per se afficit partes simplices, per has verò multiformes: quamobrem & febris per se tribuitur partibus simplicibus, per has multiformibus. Putredo humorum quæ diffusa est, habet vim efficiendi febrem morbum; quæ verò concluſa in inflammatione, febrem [c] symptoma. Ex consequentibus morbi formam in subiecta materia diximus esse quantitatem, locum, motum, tempus, quantitati subijcitur magnitudo & numerus, magnitudo complectitur sub se quoque paruitatem. Causa febris magnæ vel paruæ, hoc est magni, & parui excessus caloris, est ipsa causa febris, nempe humorum putredo vim habens in se magnitudinis & paruitatis. Si calidus humor valde putrescat, magnam febrem affert, paruam, si frigidus reddatur parum putris. Quod attinet ad numerum, febres aut simplices sunt, aut compositæ, prout & causa potest [d] simplices vel compositas afferre; sunt item confusæ vel compositæ

a Vidus l. 4. de cur. gener. ca. 6. par. p.

b Gale. p. de cauſ. pulſuum c. p.

c Galen. 4. aphoriſm. com 73.

d Gale. 2. de diff. feb. cap. 8.

positæ tantum, prout causa ijsdem vel diuersis horis, potest plures febres accendere. Locus in quò residet febris, est cor, & propterea vniuersum[a] corpus, ita vt sit morbus comunis totius corporis, quare & causa quoque communis est, hoc est quæ potest in corde & in toto corpore febrem excitare: Ad motum pertinere diximus qualitatem & modum à quibus nascuntur plures febrium differentiæ: qualitas consistit in celeritate & tarditate, ob quam aliquæ febres celeres sunt, aliquę tardę: illę autem quæ celeres sunt, necessario breues sunt: sicuti quæ tardæ, longę, & magis aut minus tales, siue longæ sint siue breues, vt acutæ simpliciter, acutæ ex recidiua, & peracutæ; quæ differentiæ proficiscuntur à simili differentia causę efficientis febrem, hoc est humoris putrescentis: qui quamuis neque celer neque tardus sit, habet tamen in se vim celeritatis cum tenuis est & calidus, vt flauabilis: vim tarditatis, cum crassus & frigidus, vt humor melancholicus. Ad modum motus multæ referuntur differentiæ, & primo illæ, quod aliquæ febres, eædem manent à principio ad finem, & dicuntur à græcis synochę vnica accessione contentæ, aliquæ pluribus circuitibus distinguuntur, & dicuntur periodichæ: oriuntur autem à simili[b] differentia causæ efficientis, hoc est materię putris, quæ si tota simul sit, itaut constet ex tota sua materia, facit synocham febrem non distinctam circuitibus, sed totam simul, cuiusmodi est quam efficit sanguis in venis putrescens, vbi residet veluti focus totus simul: si materia non tota simul putrescat, sed accendatur partita, necesse est febrem quoque partitam esse, & circuitibus distingui; quod euenit cum materia certis temporibus cogitur, transmittitur ex vno loco ad alium, & putrescit: quod autem synocha perpetuo aut eadem maneat à principio ad finem, aut minuatur, aut augeatur, fit à causa, hoc est, à putredine humorum, quæ similiter aut eadem manet[c] à principio ad finem, itaut æqualiter accendatur, & exhauriatur; vel semper augetur, quod magis accenditur quam exhauriatur; vel semper minuitur, quod magis exhauriatur quam accendatur. At vbi febris circuitibus distinguitur, si quidem hi ordinati sint sequuntur causam ordinatam, si inordinati inordinatam: qui ordinati sunt, aut quotidie repetunt, aut tertio, aut quarto quoque die, & ita citius vel tardius prò vi humoris putrescentis, qui ob multitudinem vel acrimoniam celerius naturam mouet ad expellendum, ita vt celerius reuertatur circuitus; ob paucitatem tardius, tuncque plus temporis interceditinter circuitus. Pituita cum plurima sit, quotidianos efficit: plus autem potest præ copia quam flauabilis præ acrimonia: hæc quæ acris est, non differt circuitus in quartum diem,

a Gal. de curat. per vense sect. c. 19.

b Gale. 2. de diff. febr. cap. 11.

c Gale. 2. de dift. febr. cap. 2.

diem, vt humor melancholicus, qui neque multus est, neque multum acris, sed tertio reuertitur. Alij circuitus vltra quartanum, vt [a] quintanus, aut septimanus, raro accidunt, & videntur magis tribuendi erroribus ordinatis, quam certe speciei humorum: nisi dicas quintanum referendum esse ad paucitatem humoris melancholici, qui longiori interposito tempore naturam irritet: nam vbi multus sit, post breuius tempus facit circuitum quartanum. Ad modum motus pertinēt cōstantes febres & inconstantes, tum quod febres vel primo fiant magnæ, vel processu: vel primo fiant leues, sed postquam paulatim increuerunt remittantur, id profici scitur à causa, hoc est à putredine humorum quæ eo pacto mouetur, quod si moueatur diebus paribus, fit similiter febris diebus paribus, vt quotidiana; si diebus imparibus causa similiter mouetur reuertitur imparibus diebus. Quod verò febris anteuertat, aut tardetur, aut eadem hora reuertatur, tribuendum est causæ eam vim habenti, siue ob [b] proprietatem quandam, siue ob communem vim, in incremento [b] anteuertendi, in remissione tardandi; in vigore eadem hora reuertendi. Sed quod accessio continua sit aut intermittat, oritur similiter à causa, hoc est à putredine [c] humorum simili, hoc est continua vel intermittente. Cum humor putrescit in venis, putredo continua est, cum extra venas intermittit, quoniam quod putrescit expirat, & ex corpore euadit. Causa cur retineatur in venis, est partim imbecillitas facultatis expultricis, partim multitudo & crassitudo materiæ, partim exitus intercluſus: nec est quod tribuas assiduitatem & intermissionem multitudini & paucitati materiæ putrescentis, nam hęc facit longitudinem & breuitatem accessionis: nec est quod dicas in febre intermittente inspici vrinam, & mitti sanguinem, quod humor putrescat in venis: nam ea spectant ad materiam, quæ putrescere debet, & non ad eam quæ iam putrescit. Ille verò humor qui ex venis ad exteriores partes fertur, primo quidem rigorem facit, deinde cum putrescit, febrem, quæ, cum ille postea educitur ex cute, intermittit. Locus ergò vbi putrescit humor est causa assiduitatis & intermissionis. Tempus suppeditare eas propositarum febrium differentias diximus, quod alię breues sunt, aliç longæ: tum aliæ recentes, aliæ vetustæ: & tandem quod aliæ incipiunt, aliæ increscunt, alię vigent, aliæ remittuntur. Causa longitudinis & breuitatis, est celeritas & tarditas motus quam supra exposuimus: causa verò nouitatis & vetustatis est nouitas & vetustas efficientis causæ, veluti putredinis, quæ si non multo ante fuit, febris recens est: sed si iam diu incepit, vetusta est: principij verò, incrementi, vigoris, & remissionis, causa est illa ipsa quæ

febrem

[a] Gale. 3 p. epid. com. 17. & 3. 3. epid. com. 64.

[b] Gale. p. de crisyb c. 3.

[c] Gal. 2. de diff febr. cap. 11. & l. 2. de cri. cap. 3. & 6. & l. de tremore, rigore c. 7

febrem efficit, putredo videlicet, prout incipit, augetur, viget, remittitur: sunt enim eiusmodi tempora febrium mutationes ipsius partis, sed cum eadem conspiciantur in singulis circuitibus, causari similiter oportet putredinis mutationem in vnoquoque circuitu: quę si intermittat, efficit febris intermissionem, sicut vbi inæqualiter accenditur, inęqualitatem. Illarum verò differentiarum quas depromi à causis monstrauimus, non difficile est causas inuestigare: vnaquęque .n. oritur ab ea causa à quà depromitur. Specta illas differentias febrium quæ sumuntur à causis externis, veluti ab aere, quod alię sint hyemales, aliæ vernæ, aliæ æstiuæ, alię autumnales, vel quod aliæ diurnę, aliæ nocturnæ sint: ab aere proficiscitur hyemali verno, æstiuo, autumnali, diurno, nocturno: similiter quod alię febres sint communes, alię vulgares, aliæ propriæ à causa externa oritur quę aut communis est, aut propria. Eadem ratio est differentiarum illarum quæ summuntur à causa interna, fiunt .n. singulę ab eadem causa à qua summuntur, videlicet ab humore putri, in quò animaduertimus speciem qualitatem, motum, exitum. A diuersa specie humoris diximus sumi diuersas species febrium, quas seorsum in sequentibus persequemur. Si humor quicumque sit, purus [a] est, exquisi tam febrem affert: si mixtus, spuriam, qualitas etiam humoris putrescentis, cruda vel cocta, mitis vel praua, est causa illarum differentiarum quas ab illa sumpsimus, vt quod alię febres coctæ sint, alię crudæ: tum aliæ mites, aliæ prauę. Motus & quies materiæ, vt suppeditat, ita etiam efficit similes differentias in propositis febribus, vt quod alię febres sint quietæ, aliæ turgeant. Exitus humoris putrescentis efficit febrem humidam, sicuti retentio siccam, quas differentias sumi ab exitu & retentione monstrauimus. Sed proficiscitur exitus & retentio, partim à vi materię putrescentis, partim à cute: materia putrescens, vbi multa humida & tenuis sit, educitur, vbi contraria, detinetur: cutis si rara præbet exitum materiæ, si densa minime. Attendi etiam ostendimus exitum vaporis à quò sumi diximus eas differentias quod alię febres per contagionem afficiunt proximos, alię nihil eos lædunt: id quod proficiscitur à natura vaporis qui si glutinosus & valde putris [b] expiret, febrem efficit quę contagione proximos contaminat: si vapor minus putris sit & non glutinosus, febris non contaminat eos qui proximi sunt, neque homines, neque etam pannos; nam hi quoque interdum contaminari solent à vaporibus valde putridis & glutinosis. Differentiæ quæ oriuntur ab effectis, hoc est à symptomatibus, quod scilicet alię febres sint mites, alię prauæ, quod item aliæ salubres, [c] alię pernicioſæ, fiunt à causa

a Gale. 2. de diff. feb. cap. 8.

b Gale. 9. de diff. febr. cap. 2.

c Gal. p. crisium c. 13.

febris nempe à putredine humorum vim habente efficiendi aut leuia ſymptomata, & ita febrem mitem, aut grauiora quã videatur conuenire magnitudini morbi, & ita febrem prauam, aut grauiſſima & ita febrem pernicioſam, aut minus grauia & ita febrem ſalubrem: ſed ſatis iam locuti ſumus de differentijs & differentiarum cauſis deque rebus præter naturam ad propoſitam febrem attinentibus abſolute cognoſcendis.

De recognoſcenda febre ex humorum putredine orta, in vniuerſum. Cap. VI.

PROXIMVM eſt vt ad ea quæ in ægrotante ſiue præſentia, ſiue pręterita, ſiue futura cognoſcenda ſunt pergamus: preſentia ſunt morbus, cauſę ſymptomata differentiæ de quibus ſupra ægimus, exordiamur à morbo, hoc eſt à febre in humoribus, putribus conſiſtente. Recognoſcitur hæc vt febris eſt eo modo quo docuimus [a] recognoſci febrem in vniuerſum, ſed vt ſequitur humorum putredinem, primo die internoſci [b] etiam poteſt à diaria & ab hæctica, quod non magis difficile eſt medico perito atque exercitato, quam agricolæ [c] cognoſcere hærbas nuper naſcentes, partim autem ſub ſenſum cadit partim mente percipitur: tactui ſubijcitur qualitas ac motus caloris quò hæc febris continetur, eadem mente conijcitur ex cauſis, ex habilitate corporis ægrotantis, ex his quæ profunt aut obſunt, ex effectis, hoc eſt ex ſymptomatibus: ex quibus omnibus maximam fidem faciunt ea quæ in ægrotante apparent, aliquid etiam valent externa, vt cauſæ quæ præterierunt, & ea quæ profunt aut obſunt: tactu itaque percipitur & qualitas & motus caloris: qualitas [d] acris & fumoſa eſt, ob acrimoniam differt hæc febris à diaria, quæ lenis [e] eſt, ob copiam fumoſæ exhalationis, ab hæctica, quæ quamuis ſit acris, eſt tamen ſquallida [f] ac ſine fumo; mouetur eiuſmodi calor inæqualiter, & interdum ſæpius accẽditur quod non euenit [g] diarijs, aut hęcticis, febribus, ſed illis ſolum quę humorum putredinem ſequuntur, quamuis non omnibus: in his enim quæ proficiſcuntur a flauabile, calor vt plurimum æqualis [h] apparet, & ſemel tantum accenditur. Reditus acceſsionum ſimiliter ad motum refertur, & tantum propoſitis febribus accidit, quamuis non omnibus; ſiquidem ſynocha quæ ſequitur putredinem ſanguinis vna acceſsione continetur, integritas verò nunquam ex toto deprẹhenditur inter acceſsiones harum febrium ſicut vbi diaria finitur. A tempore quo manet calor, non ſumitur firmum iudicium huius febris, quod ſcilicet maneat plures dies, nam nonnullis febribus diarijs idem mõ

ſtrauimus

a Supra l. p. cap. 6.
b Gale. p. de diff. febr. cap. 7.
c Gal. l. 14. meth. c. 9.
d Gal. ibidẽ.
e Gal. p. ad Glauc. cap. 2.
f Gal. x. meth. cap. 6.
g Gale. p. de diff. febr. cap. 7.
h Auic. l. 4. f. p. tr. 2. c. 2

ſtrauimus [a] euenire : hæcticam verò diuturnam eſſe & circuitibus carere, omnes intelligunt. Quo pacto igitur qualitas, & motus, caloris poſsit propoſitam febrem demonſtrare ſatis expoſuimus: ſed qua ratione eadem mente conijciatur, videndum ſupereſt, & primo ex cauſis: ſi humorum putredinem quæ continens cauſa eſt intelligeremus, ſimul notum etiam nobis eſſet hoc genus febris. Quo pacto autem putredo cum ſenſum lateat deprehændi poſsit in ſequentibus ſubijciemus vbi ad cauſas tranſibimus: aliæ cauſę internæ vt prohibitus perſpiratus, obſtructio, adſtrictio, humor multus craſſus, & glutinoſus, eatenus indicant hanc febrem quatenus monſtrant putredinem quam efficiunt. At ſpectamus etiam num febris ſine cauſa externa atque euidenti inceperit, quod eſt proprium earum quę humorum putredinem ſequuntur: nam diarię prope omnes [b] incipiunt à recenti aliqua atq; euidenti cauſa, quod interdum etiam accidit, ſed raro, illis quæ conſiſtunt in humoribus putribus. Incipere ergò ſine huiuſmodi cauſa, magis proprium eſt harum febrium, quam perpetuum: habilitas corporis ægrotantis ad putredinem, non nihil & ipſa valet ad hanc febrem indicandam, in his enim qui [c] calidi ſunt & humidi, & idcirco putredini obnoxij, par eſt febrem ab humorum putredine proficiſci. Iuuantium & lædentium hæc ratio eſt, quod præter frigida & humida quę iuuant, calida & ſicca quæ lędunt febricitantes omnes, propriè vbi ſit humorum putredo, proſunt ea per quæ illi aut concoquantur, aut educantur, obſunt ea quæ aut illos retinent, aut obſtruendo, vel adſtringendo putredinem augent. Reſtant effecta, hoc eſt ſymptomata ex quibus maximam vim habet pulſus ob calorem cordis, & vrina [d] ob putredinem humorum qui in venis verſantur, perpendemus tamen & alia quæ ſub quouis trium generum comprænduntur, ex omnibus enim aliquid colligitur, per quod propoſita febris internoſcatur. Ex actionibus læſis, pulſus aucto calore vt in alijs febribus, ita etiam in hac neceſſe eſt augeatur, fit .n. niſi quid prohibeat maior, celerior, ſed proprie in hac febre magis augetur contractio [e] quam dilatatio, cum magis neceſſe ſit fuliginem expellere quę à putredine excitatur, quam temperare vim caloris hauſto aere frigidiore: quamobrem celerior eſt motus contractionis, quam dilatationis, & breuior externa quies, quam [f] interna: quod contra accidit in hæcticis ac diarijs, à principio autem acceſsionis, pulſus fit velox, cum calor contrahatur ſed deinde redditur magnus, neque in intermiſsione reuertitur [g] ad naturam ſuam, etiam ſi plurimum diſtet futura acceſsio vt in tertiana & quartana: præſefert etiam in vno [h] ictu inæqualitatem, cum in medio [h] tardius moueatur, in

a Supra l. 2. cap. 4.

b Gale. p. de diff. febr. cap. 7.

c Gal. 8. meth. cap. 7.

d Gale. x. meth. cap. 4. & p. ad Glauc. cap. 2. & p. de diffe. febr. cap. 7.

e Gale. 3. de præſagit. ex pulſ. cap. 2.

f Gal. ibidē.

g Gale. p. ad Glauc. c. 2.

h Gale. p. ad Glauc. ca. 6

principio & fine velocius. Durities verô ipsius pulsus ad nullam
a Gal p. de diff. febr. cap. 7. febrem [a] proprie attinet, neq; etiam ad hæcticam, nisi adsit aut siccitas, aut concretio à frigore, aut materia distendens: siccitatem affert inanitas & febris ardens, aut diuturna, concretionem frigus: distentio ob copiam materiæ maxime sequitur inflammationes & duros tumores. Eadem ratio est respirationis quæ pulsus, cum similiter ad refrigerandum, & ad fuliginem expellendam pertineat: quare celerius expellitur aer calidus quam attrahatur frigidus, & quies externa similiter breuior est quam interna horror ac rigor qui similiter ad actiones læsas refertur, tantum his febribus accidit non tamen omnibus, neque .n. apparet [b] in continuis quare vbi sit, diudicare possumus febrem sequi humorum putredinem: sed nõ propterea si absit esse de numero aliarum; compluresque aliæ actionum noxæ superueniunt huic febri quę non apparent in alijs, veluti dolor qui nullus sentitur in hęctica, at neque etiam in diaria, nisi ab ęstu, frigore, aut ębrietate profecta fuerit: superuenire etiam solet his febribus somnus, vigilia, delirium vertigo, morsus in ore ventriculi, singultus, sitis, anxiatus, quæ in alijs minime apparent, & idcirco monstrant, vbi adsint, hanc febrem. Sed transeamus ad alterum genus symptomatum, quod consistit in qualitatibus mutatis. Superuenit febricitantibus ex humorum putredine frigus partium extremarũ, nigrities & asperitas linguæ, tumor & durities pręcordiorum, quæ neque in diaria, neque in hęctica fieri solent. exhis quę detruduntur maximam vim habet vrina ad hanc febrem demonstrandam, à principio .n. aut cruda est, aut parum cocta, nunquam verò ex [c] toto cocta vt in alijs febribus, itaut firmam fidem faciat huius, quam demonstrant etiam expulsa, aut retenta, quæ sunt vt plurimum immutata, & sudor quem consequatur ex toto integritas, quemadmodum vbi diaria febris recedit.

b Galen. de Temporib. morb. cap. 7. & 1. crisi. cap. 3. & 6.

c Gale. p. ad Glauc. c. 7.

De recognoscendis causis & symptomatibus febrium in humoribus putribus consistentium. Cap. VII.

CAVSAE verò, quæ recognoscendæ sunt in ægrotante, si pręterierunt pertinent ad præterita, ad quorum cognitionem veniemus vbi pręsentia absoluerimus: sin præsentes sint, qua ratione recognoscantur, iam nunc explicandum est: sunt autem prę-
d Gal. xi. meth. cap. 4. e Gal. ibidẽ. & 11. meth. cap. x. sentes causæ primum putredo, [d] quę proxime propositam febrem efficit, deinde prohibitus [e] perspiratus, à quò proxime proficiscitur putredo, tum obstructio & adstrictio, quæ perspiratum prohibent, & tandem humor multus, vel crassus, vel glutinosus obstruens,

obstruens, & frigus ac siccitas adstringens: latent omnes hæ causæ sensum, & idcirco coniectura colligi debent, ex causis vnà cum habilitate ægrotantis, ex his quę prosunt aut obsunt, ex effectis. Colligitur itaque putredo primum ex causa proxima, quam diximus esse prohibitum perspiratum, ex habilitate corporis ægrotantis, quod diximus esse calidius[a] & humidius, ex his quę aut prosunt seu exhauriendo vel concoquendo humores putres, seu perspiratum expediendo, aut nocent intercludendo exitum humoribus putribus, & calidæ expirationi: ex effectis demum, & proprie ex proposita febre, quam acri & fumoso[b] calore diximus contineri, & ex morsu qui in varijs corporis partibus sentitur, ex inæqualitate pulsus, ex his quę expelluntur putredinem quandam prę se ferentibus vt ex vrina, deiectione, sudore, sanguine vndecunque effluente. Prohibitus perspiratus colligitur similiter ex causis, vt ex obstructione vel adstrictione, tam internorum cauorum, quam externorum foraminum cutis, ex his quæ vel iuuant remouendo eiusmodi causas, vel nocent easdem augendo: ex effectis, vt ex putredine & sensu caloris prę ternaturã in intimis partibus ob calidã expirationem retentam. Obstructio indicatur à causa, quæ est humor vel multus, vel [c] crassus, vel glutinosus: ab habilitate ęgrotantis habile enim est ad obstructionem id corpus, cuius angusta sunt vel interna caua, vel externa foramina cutis: ab his quæ prosunt exinaniendo, extenuando, incidendo, detergendo, vel obsunt augendo humores multos, crassos, vel glutinosos: ab effectis vt à prohibito perspiratu cum sensu quodam grauitatis. Adstrictionis indicia sunt causæ, vt frigus ac siccitas, habilitas corporis ęgrotantis in quo similiter externa foramina & interna caua angusta sint, quæ iuuant relaxando, aut nocent adstringendo, effecta, vt prohibitus perspiratus sine sensu aliquo grauitatis. Causa obstruens vt humor multus, crassus vel glutinosus, conijcitur ex causis, vt ex exculentis & poculentis similiter multis, crasis, & glutinosis, ex habilitate corporis ægrotantis quod ob frigidiorem temperationem eiusmodi humorem naturaliter contrahat; ex his quæ vel iuuant, quatenus talem humorem corrigunt aut educunt, vel nocent, quatenus eundem contrahunt; ex effectis hoc est, obstructione. Causa adstringens siue [d] sit excessus frigoris, siue siccitatis, siue vtriusque simul, deprehenditur ex causis, quæ aut refrigerare, aut siccare, aut vtrumque efficere potuerint: ex habilitate corporis ęgrotantis, quod in eiusmodi immoderationem temperationis facile incidat; ex his quæ aut calefaciendo & madefaciendo iuuant, aut nocent refrigerando, & siccando: ex effectis vt ex adstrictione. Symptomata sequuntur, quæ similiter recognoscenda

a Gal. 8. meth. cap. 7.

b Gal. 1. de diff. febr. c. 7.

c Gal. 11. meth. cap. 4.

d Galen. de cauf. morborum c. 7

gnoſcenda ſunt in ægrotante, recognoſcuntur autem ſenſu, ita vt non opus ſit argumentis ex quibus conijciantur: id quod patebit ſi omnia tria genera percurramus, & primo actiones læſas, vt [a] mutationem pulſus ac reſpirationis, dolorem, ſomnum, vigiliam, difficultatem reſpirandi, morſum in ore ventriculi, ſitim, ſingultum, anxietatem, horrorem, rigorem: omnia enim ſub ſenſum cadunt, ſicuti & qualitates corporis præter naturam, veluti frigus partiũ extremarum, inęqualitas frigoris & caloris in vniuerſo corpore, nigrities & aſperitas linguę, tumor & durities præcordiorũ. Senſu etiam accipiuntur quæcumque præter naturam aut retinentur, aut expelluntur, vt deiectio, vel retenta vel mutata, vrina, ſudor, vomitus, fluxus ſanguinis, aut eiuſmodi aliud præternaturam.

a Supra in cap. ant ec.

De recognoſcendis differentijs febrium in humorum putredine conſiſtentium. Cap. VIII.

SVPERSVNT ex preſentibus recognoſcendis in homine qui laborat febrem ab humorum putredine orta, differentiæ quas [b] ſupra pro poſuimus, recognoſcuntur autem ferè omnes ſenſu, ſed colliguntur etiam ex ijſdem ex quibus indicatur ipſa febris, vt ex cauſis, ex iuuantibus & lædentibus, ex effectis aſſumentibus aliam differentiam aperte vel latenter ſimilem, id quod vberrime docuimus cũ de morborũ differentijs in vniuerſum recognoſcendis locuti [c] ſumus: nunc autem valere eamdem regulam monſtrabimus in differentijs propoſitæ febris, vnamquamque ſeorſum percurrentes. Illæ quæ ſpectant ad ſubiectam materiam hoc eſt ad corpus ægrotantis quod pueriles, iuueniles, aut ſeniles ſint, tum viriles, & muliebres, indicantur primo à cauſis, hoc eſt ab eiuſmodi ętate vel ſexu, vel à temperatione qua aut ætas aut ſexus continetur, tum ab his quæ huic vel illi ętati aut ſexui prodeſſe vel obeſſe conſueuerunt, & tandem ab effectis hoc eſt à ſymptomatibus quæ ſuperuenire ſolent cuiuis ętati ac ſexui; quod autem febres congruę ſint vel non congruę, intelliges ex ipſa habilitate ægrotantis quę ad cauſam refertur, ſiquidem calidioribus corporibus, congruunt ardentiores febres, quæ frigidioribus non conueniunt. Deprehenduntur ſimiliter ex habilitate corporis ægrotantis febres magnæ & paruæ ad vires collatæ, quas ſiquis cognoſcat imbecillas, mediocrem febrem iudicabit magnã, eamdemque paruam exiſtimabit vbi vires validæ videbuntur. Quo pacto autem virium robur quale ſit percipiatur, in pronoſtico docuimus, quod in [d] ſuperioribus libris in vniuerſum perſequuti ſumus. Differentiæ quæ à modo quo forma in ſubiecta materia reſidet depromũtur, vt quod propoſitæ febres ſint ſtabiles vel inſtabiles, percipiuntur ex ſimili

b In hoc lib. cap. 4.

c Vidus l. 8. de cur. gener. ca. p. par. p.

d Vidus l. x. de Curat. gener. c p. par. p.

differen-

differentia addita & cauſis & effectis, quę vbi ſtabilia ſint, ſtabilem formam demonſtrant, vbi inſtabilia inſtabilem: ſed cum quæuis ex propoſitis febribus inæqualis ſit, non eſt quod inquiramus ſigna per quæ diſcernantur æquales ab inęqualibus, ſed potius diſcernere oportet eas quæ morbi ſunt, ab his quæ ſymptomata dicuntur, diſcernẽtur autem ex cauſa hoc eſt, ex putredine quę ſi diffuſa ſit febrem efficit morbum, ſi concluſa, quemadmodum in inflammationibus, efficit febrem [a] ſymptoma. Sumuntur differentię pertinentes ad conſequentia formam in ſubiecta materia, & primo à quantitate, quod aliæ febres magnæ ſint, alię paruæ, ob maiorem vel minorẽ exceſſum caloris. Diſcernuntur autem primo ex cauſis, vt ex putredine, quę ſi magna fuerit in humore calido ac multo magnam febrem efficit, ac demõſtrat, paruam in contrario, effecta etiam hoc eſt ſymptomata ſi magna ſunt magnam febrem denunciant, ſi parua, paruam, quę proſunt etiã magnæ febri auxilia, neceſſe eſt magna ſint, quæ paruæ non item. A numero depromi diximus differẽtias, quod febres aut ſimplices ſunt aut multiplices, ſeu compoſitæ tantum, ſeu etiam confuſæ: depræhenduntur autem ex ſimili differentia: nam cauſæ, iuuantia & lædentia, atque effecta ſimplicia, ſimplicem demonſtrant, multiplicia multiplicem, compoſitæ compoſitam, confuſæ confuſam. In motu diximus attendi qualitatem & modum: qualitas motus eas ſuppeditat differentias quod aliæ febres celeres ſunt & idcirco breues, aut etiam acutæ, alię tardæ & idcirco longæ: monſtrantur hæ differẽtiæ primo à cauſis quæ quales efficiunt, tales demonſtrãt, deinde ab his quæ vel tarde vel celeriter proſunt, aut obſunt, & tandem ab effectis quæ celeriter, vel tarde apparent, plurimum autem valent ad celeritatem & tarditatem demonſtrãdam quę deteguntur, quæ ſi diu cruda permanẽt tarditatẽ ſignificant, ſi celeriter mutãtur, itaut vel concoquantur vel deteriora fiant monſtrant celeritatem. A modo motus ſumuntur febrium differentiæ quod aliæ febres carent circuitibus, aliquæ circuitibus diſtinguũtur, illę ſunt totæ ſimul, & idcirco colliguntur ex cauſis, ex iuuantibus & lædentibus, ex effectis quę tota ſimul ſint, hæ partitæ ſunt, & certis temporibus redeunt. Quamobrem conijciuntur ex cauſis, ex iuuantibus & lędentibus, ex effectis partitis, & non totis ſimul. Rurſus quæ circuitibus diſtinguuntur, ſi ordinatæ ſunt, ex ijſdem ſignis colliguntur ordinatis; ſi inordinatę, inordinatis. Sunt autem ordinatę febres quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quę deprehenduntur ex ijſdem ſignis, per quotidianos, tertianos, quartanos circuitus redeuntibus, vel eadem hora, vel tardius, vel citius prout & febres aut eadem hora reuertuntur, aut anteuertunt, aut tardan-

[a] Gal. p. ad Glauc. c. 3.

tur . Eadem ſigna prout magna, vel à principio,vel proceſſu tem poris apparent , ita febrem , vel primo , vel proceſſu temporis vehementem denunciant : eadem prout continua ſunt vel intermittunt , ita continentem vel intermittentem febrem demonſtrant : tempus prout ad breuitatem vel longitudinem refertur , eas efficit differentias , quod aliæ febres longæ ſunt aliæ breues,ſunt autem eędem ac celeres & tardę, & ideo ex ijſdem ſignis colliguntur paulo [a] ſuperius oſtenſis , ſed complectitur tempus etiam ſub sè vetuſtatem , & nouitatem , quæ differentię febris colliguntur ex cauſis & effectis ſimilibus , hoc eſt nouis ac vetuſtis . Differentiæ quæ ſumuntur à quatuor temporibus , quod aliæ febres incipiant , aliæ increſcant , aliæ vigeant , aliæ remittantur , deprænduntur ex ſignis habentibus in ſe vim principij , incrementi, vigoris, aut remiſsionis,& primo ex cauſa hoc eſt ex putredine quæ prout ſuo motu facit, ita etiam demonſtrat principium incrementum , vigorem , & remiſsionem . Iuuantium & lædentium hęc ratio eſt , quod alia alijs temporibus proſunt aut obſunt: incipientibus mor bis inquit Hippocrates [b] ſi quid tibi videtur mouendum moue , in vigore quieſcendum eſt. Quæ igitur ſolent aut prodeſſe,aut obeſſe , hoc vel illo tempore , prout proſunt , vel obſunt , ita ipſum ſignificant . Effecta etiam hoc eſt ſymptomata, prout incipiunt au gentur , vigent , remittuntur , ita indicant principium, incremen tum,vigorem aut remiſsionem: circa principia & fines ſcribit Hip pocrates [c] omnia imbecilliora, in vigore omnia fortiora : indican tur & quatuor hæc tempora febris ab his quę expelluntur crudis aut coctis , cruditas monſtrat [d] principium , coctio verò vbi mani feſta incipit incrementum vbi perficitur , vigorem , vbi iam perfecta eſt remiſsionem : quò tempore autem maxime perficitur ſymptomata [e] validiora ſunt , & propterea febris viget , quod perpetuum eſt in febribus morbis, nam in illis quæ ſymptomata nominari diximus, cum inflammationis materia paulatim effluit [f] proceſſu temporis cũ perfecte coquitur , quamuis ſymptomata tunc ob feruorem augeantur , minora tamen ſunt quam ante,quod lon ge minor ſit materiæ copia quam ante fuit, nam plus eſt,quod ino pia materiæ detrahitur , quam quod adijcitur feruore coctionis : vbi verò materia non effluat paulatim , tunc quando maxime coquitur , maxima etiam ſunt [g] ſymptomata . Eadem quatuor tem pora quę in tota febre animaduertimus , animaduertuntur in ſingulis circuitibus , cum ſimiliter incipiant , augeantur , vigeant,re mittantur : quibus quatuor temporibus in intermittente febre ac cedit inæqualitas , & intermiſsio . deprænduntur hæc omnia, primo ex cauſis ſimilem differentiam in ſe habentibus, deinde ex his

a In hoc eodem.

b Hippoc.2. aphor 29.

c Hippoc.2. aphor. 30.

d Gale.l. de totius morbi tempor. c.3. & l.p. criſ.cap.9. cap. x.

e Hipp.2.aphori. 30.

f Gal.3. acutorum . com.: vlt.

g Hipp.2. aphoriſ.47.

his quæ prosunt aut obsunt, alia enim alijs temporibus, vt totius morbi, ita etiam cuiuslibet circuitus commoda sunt, vel incommoda. Somnus exempligratia cum incipit accessio incommodus [a] est, cum remittitur commodus: quò nomine demonstrant illud tempus, cui commoda, vel incommoda esse consueuerunt, sed maxime deprehenduntur tempora circuituum ex symptomatibus, quæ prout incipiunt, augentur; vigent, remittuntur, intermittunt, inæqualia sunt, ita monstrant singula hæc tempora seu partes circuitus. A causis suppetere monstrauimus differentias, & primo ab externis quod hæ febres sunt hyemales, vernæ, æstiuæ, autumnales; præterea diurnæ, nocturnæ: indicantur autem primo à causis, vt à tali aere, qualis esse solet his temporibus: ab his quę tunc obesse, aut prodesse solent. Æstate exempli gratia magis conferunt refrigerantia & madefacientia, hyeme extenuantia & incidentia. Ab effectis denique, quæ talia appareant qualia solent his temporibus apparere. Ob eamdem externam causam quatenus cõmunis vel propria est, febres aliæ communes sunt, aliæ propriæ: cognoscuntur autem ex signis communibus vel proprijs; siue sint causæ siue effecta, siue iuuãtia & lædentia. Quod si communia sunt & simul praua [b] pestilentem febrem denũciant. Causa interna suppeditat differentias pro qualitate, motu, exitu: nam pro specie humoris putrescentis, fiunt diuersæ species febriũ vt in sequentibus apparebit: quę species si humor purus sit, dicuntur exquisitę, si mixtus [c] cum altero spuriæ. Colliguntur sinceræ & exquisitæ, ex sinceris, & exquisitis causis, ex iuuantibus & lædentibus, atque effectis: sicuti spuriæ ac mixtæ ex spurijs ac mixtis. Qualitas verò humoris prout cocta vel cruda est, ita efficit febres vel coctas, vel crudas: ad cognoscendam coctionem vel cruditatem, spectabimus ea quæ expelluntur, & potissimum vrinam, quę cocta, coctam febrem, cruda, crudam significat ad qualitatem referuntur & illæ differentiæ quod febris aut mitis est aut praua: demonstratur autem ex simili causa quò spectant etiam symptomata [d] leuiora aut grauiora: quod attinet ad motum aliæ febres turgent, aliæ sunt quietæ, turgentes deprehenduntur ex causa quæ varie per corpus [e] mouetur, & non occupat certam sedem: prosunt his quæ turgent purgantia [f] medicamenta, quamuis materia cruda sit. Effecta etiam, vt varietas symptomatum, & anxietas, demonstrant turgentem febrem: sicuti quietam contraria signa. Differentiæ quæ ab exitu vel retentione materiæ suppeditantur, vt quod alię febres humidæ sint, aliæ siccę, vel ex solis expulsis ac retentis conijciuntur: Si multus exeat sudor à principio, febris est humida; si nullus sicca. Quod si vapor exeat glutinosus

a Gale. 2. aphoris. 6. p.

b Gale. p. de diff. febr. cap. 4.

c Gale. 2. de diff. febr. cap. 8.

d Gale. l. de const. art. c. 18. & l. 2. de crisi. cap. 13.

e Gale. p. aphorism. com. 22.

f Gal. ibidẽ & 4. aphorism. x. & Hippoc in contextu.

febrem

febrem efficit quæ contage proximos contaminat, quod non euenit vbi non sit glutinosus: deprehenduntur hæ differentiæ sensu, quamquam si quis nouerit causas, possunt ex ipsis quoque deprehendi. Restant differentiæ quę ducuntur à symptomatibus, vt quod aliæ febres mites sint, aliæ prauæ, indicantur autem à similibus tam causis quam effectis. A grauissimis item symptomatibus febres pernicioſę dicuntur, sicuti salubres à leuibus, sed quia dignoscere salubrem vel pernicioſam febrem spectat ad futurum tractabitur à nobis in prognostico. Explicatis præsentibus recognoscendis in ęgrotante sequuntur præterita, huiusmodi sunt causæ quæ præterierunt, referuntur autem ab ægrotante, vel à familiaribus: sed possunt etiam arte conijci ex effectis, quod quo pacto fiat, cum [a] ante abunde exposuerimus in tractandis febribus diarijs, nunc prętermittentes transibimus ad futurorū prędagitionem.

a Supra l. 2. cap. 6.

De futuris prędagiendis in febre ab humorum putredine orta, & primum de euentu. Cap. VIIII.

FVTVRA quę præsagire oportet, spectant [b] vel ad euentum, vel ad tempus & modum, quę sunt differentiæ ipsius: duplex autem euentus in proposita febre expectari potest, salus videlicet, & interitus, nã neuter status non potest in hoc morbo vt in quibusdam alijs vsu venire, cum necesse tandem sit hominem aut interire, aut sanari: nequit .n. cum hac febre consenescere. tempus quò expectãdus est euentus, longum & breue esse potest, lateque patet tam longitudo quam breuitas. Via euentus varia est, cum aliquando febris hæc subito finiatur, aliquando paulatim; & si subito vel cum pugna, vel sine pugna: cum pugna autem vel educta, vel translata materia quæ febrem accendit. Hæc sunt quæ præuidere oportet: latent autem sensum, qui tantum [c] percipit quæ præsentia sunt, quamobrem mente conijci debent: at non potest coniectura duci ab effectis, cum non dum sint: non ab his quę prosunt aut obsunt, neque enim ei quod non est, aliquid prodesse potest aut obesse: relinquitur ergo vt solis causis conijciantur quæ futura sunt, vt in superioribus [d] libris ostensum est qua de prognostico in vniuersum: causæ autem rerum futurarum præsentes [e] sunt, & iam ad efficiendum aggrediuntur, præseferuntque quam habent vim. Sunt causæ futuri euentus natura [f] & morbus inter se pugnantes, si videatur natura in eo certamine [g] validior, superabit febrem, & erit causa salutis: contra si febris validior appareat, vincet naturam, & interitum afferet. Intueri tamen oportet vt in gestando onere, itineris longitudinem, ita in substinendo morbum,

b Gale. 4. de prędag pul suum c. xi.

c Arist. 2. de Anima & Gale. p de loc. affect. ab initio.

d Vidus l. xi de curat. gen. cap. p. par. p.

e Gal. p. prognost. com 3. & 4.

f Gal. de constitut. artis cap. 18.

g Gal. ibidē & 4. de prędagit. pulſ cap. xi.

bum, eius [a] diuturnitatem: natura enim quamuis valida videatur, diuturnitate temporis interdum succubent: quare cum extimatur naturæ robur, conferturque cum robore morbi, primo perpendere diuturnitatem oportet. Spectemus ante illa indicia à quibus patefiat robur naturæ, deinde transibimus ad ea quæ indicant vim morbi, & proprie febris, quam diximus consistere in humoribus putrescentibus. Naturam [b] intelligimus facultatem gubernantem corpus nostrum, & non modo naturalem, sed etiam vitalem & animalem, quas omnes facultates expedit validas esse in quouis morbo, sed aliæ in alijs magis necessariæ sunt, exempli causa vbi humor ex aspera arteria educendus sit, necessarium est robur facultatis animalis ad arbitrium nostrum mouentis, quod non ita requiritur in proposita febre, magis enim opus est facultate naturali concoquente & expellente [c] putrescentes humores. Non cadit sub sensum naturæ robur, sed mente colligitur ex causis, ex his quæ prosunt aut obsunt, ex effectis. Causæ cur natura valida sit sunt moderata qualitas & quantitas spirituum, [d] humorum, & partium solidarum: sed cum febricitantibus non possint esse hæc moderata, extimabimus qualia esse naturaliter soleant, nam hoc patefaciet etiam dum homo febricitat, naturæ robur. Videbimus item quantum recedant à naturali statu, siquidem cum paruo recessu seruatur adhuc magnum. Iuuantium & lędentium hecratio est quod ea quę parum prodesse solent, si multum prosint quæ multum obesse si obsunt parum, magnum monstrant naturæ robur, sin contrario modo se habeant paruum. Effecta in vniuersum siue sint actiones, siue qualitates corporis, siue expulsa & retẽta quanto magis similia sunt naturalibus, tanto maius indicant naturæ robur, quanto magis dissimilia, tanto minus, maxime autem ex actionibus attendere naturales oportet & proprie [e] coctionem quę vbi adsit monstrat, naturam omnino validam esse & superaturã febrem. Indicant coctionem ea quæ expelluntur, & potissimũ vrina cum ex venis [f] emanet, vbi residet humores à quibus subinde putrescentibus hæc febris accenditur: tanti autem ponderis est si vrina bene cocta perseueret, vt veteres [g] medici cum hac nullum febricitantem scribant interijsse: sed quia facultas naturalis fouetur à vitali tentare arterias oportet: validus enim earum pulsus validam ostendit facultatem vitalem quæ plurimum conducit ad naturalem: hactenus de robore naturæ. Morbi nempe putridæ febris robur colligitur similiter ex causis, ex his quæ prosunt aut obsunt, ex effectis. Causæ non tantum sunt illæ quæ morbum faciunt sed etiam differentiæ pro quarum varietate morbus interdum adeo validus est vt naturam superet & interitum afferat:

a Gal. 3. crisium. ca. 5.

b Gale. 2. de cauſ. ſymptom. cap. 9.

c Gal. xi. methodi. cap. 9.

d Gale. l. x. meth. ca. 9

e Gal. xi. methodi. cap. 9.

f Gale. 2. 3. epid. com. 6. & 4. aphoriſm. com. 77. & 3 criſ. c. 3.

g Gale. 9 de diebus decretorijs cap. 11.

ferat: interdum adeo imbecillus vt ſoluatur & ab ea ſuperetur: Species verò febris humorum putredinem cõſequentis ob cauſam hoc eſt, ob humorem putreſcentem mitiorem vel deteriorem, validior eſt aut imbecillior. Intueamur primo differentias, deinde cauſas perpendemus tam externas quam internas tum iuuantia & lędentia & tandem effecta, ex quibus intelligere poſsimus robur morbi paruum aut magnum. Ordiamur à differentijs quæ ſumuntur à ſubiecta materia, hoc eſt à corpore ęgrotantis: pertinent autem aut ad vim naturæ quam proxime tractauimus, aut ad temperationem ob quam febres congruę ſunt aut non congruę: quæ non ſunt congruæ, vt ardentes ſenibus, [a] validiores ſunt quod à validiori cauſa fiant: quæ congruæ, imbecilliores. Modo quò forma reſidet in ſubiecta materia propoſitæ febres differunt, quod alię ſtabiles ſunt alię facile remouentur, & non dum hærent, conſtat autem has eſſe imbecillas, illas verò firmas: quod verò non ſequantur alium morbum, ſed dicantur ipſę morbi, aut exiſtimentur ſymptomata inflammationum, non propterea ſunt imbecilliores aut validiores. ſed quatenus ſequuntur grauiorem vel leuiorem cauſam, hoc eſt putredinem humorũ. Plurimum autem poſſunt illę differentiæ quę ſumuntur ab his quæ conſequuntur formam in ſubiecta materia, & primum à quantitate, aliæ enim magnę ſunt, aliæ paruæ: quæ magnæ ſunt, præſeferunt robur, quæ paruæ imbecillitatem. Numero diſtant inter ſe quod aliæ ſimplices ſint, aliæ multiplices: ſimplices imbecilliores ſunt, multiplices validiores, ſiue tantum compoſitæ ſunt, ſiue etiam confuſæ. In motu animaduerti diximus qualitatem, & modum: qualitas conſiſtit in celeritate & tarditate, quò fit vt alię febres celeres ſint, & idcirco breues, aliæ tardæ, & idcirco longæ: [b] longitudo, vbi par ſit magnitudo, febris robur demonſtrat, breuitas imbecillitatem: efficiens enim cauſa, quò diuturnior eſt, plus efficit, & idcirco validior eſt quam quæ breuior; modo alioquin æquales ſint, nam ſæpe breuiores morbi vehementiores ac peracuti ſunt deteriores quam longi, & idcirco etiam validiores. Ad modum motus pertinet primum, quod aliæ febres totæ ſimul ſunt, aliæ circuitibus diſtinguuntur: quę totæ ſimul ſunt, validę ſunt ob aſsiduitatem, ſed non propterea validiores quam illæ quæ circuitibus diſtinguuntur: Oriuntur enim à ſanguine putri, qui mitior [c] eſt quam ille humor qui febrem cum circuitibus accendit: Differentiæ verò illius febris quæ circuitibus caret quam ſynocham dicũt, quod aliæ ſemper augeri videantur, aliæ ſemper minui, aliæ in eodem ſtatu perſeuerare à principio ad finem, validiorem & imbecilliorem febrem denunciant: validior enim eſt, quæ ſemper [d] augeri videtur;

a Gale. p. aphoriſ. com. 14.

b Hippoc. 2. aphor. 25

c Gale. 2. de diff. feb. cap. 9.

d Hippoc. aphoriſ. 43

videtur; imbecillior quę ſemper minui: quæ in eodem ſtatu perſeuerat, media eſt inter vtramque: vbi ſint circuitus, ſi inordinati ſunt, imbecilliorem febrem demonſtrant, cum ab externa cauſa, & a prauitate [a] victus proficiſcantur: ordinati, validiores ſunt, cum cauſam internam, & ſtabilem ſequantur. Sunt autem circuitus ordinati, quotidiani, tertiani, quartani: robur quod demonſtrant & imbecillitas, ad cauſam refertur, quæ ſi multa eſt vt pituita in quotidiano, monſtrat morbum validum, id quod facit etiam vbi acris ſit veluti flauabilis in tertiano. Quæ autem neque ita multa, neque ita acris eſt, circuitum imbecilliorem reddit, vt quartanum, humor melancholicus. Poſſunt autem ordinati circuitus quicumque ſint, & eadem hora reuerti, & anteuertere, & tardari: qui eadem hora reuertuntur, validiorem febrem ob magis ſtabilem [b] cauſam denunciant, qui verò anteuertunt, ex quadam proprietate, [c] non ex vi incrementi, validiorem febris vim monſtrant quã qui tardantur: Ex magnitudine febris ſtatim apparẽte in principio quam paulo poſt ſequatur leuitas, indicatur minus robur febris, quam ex leuitate à principio quam ſequatur magnitudo: ſi autem vt pleriſque euenit, paulatim febris augeatur, dein minuatur, non monſtrant propterea robur aut imbecillitatem vbi motus inconſtans eſt: cæteris paribus, febris validior eſt quam vbi conſtans: quæ mouentur diebus imparibus imbecilliores ſunt quã quæ paribus, quod non tantum proficiſcitur à vi dierum, ſed etiã ab humore, vt à pituita quæ mouetur diebus paribus, & quia multa craſſa & glutinoſa validiorem efficit febrem quã flauabilis quæ diebus imparibus mouetur, quamuis hæc magis ardẽtem febrem efficiat, & hoc nomine etiam validiorem. Pertinet quoque ad modum motus, quod aliæ febres continuæ ſunt, aliæ intermittentes; quæ continuæ, ſunt validiores; quæ intermittunt, [d] imbecilliores, itaut periculo vacent: quæ plus temporis intermittunt, imbecilliores ſunt veluti quartana. Sequuntur differentię attinentes ad tempus, ad quod ſpectat, quod aliæ febres diuturniores ſunt alię breuiores, de quibus ſupra locuti ſumus cum egimus de celeritate & tarditate. Refertur etiam ad tempus, quod febris aut vetuſta aut recẽs: videtur imbecillior, quæ recẽs eſt quod nõ dum hæreat, vetuſta validior quod valde hæreat, & ſtabilem cauſam ſequatur: nouitas [e] & vetuſtas perſe nihil requirunt. Quatuor verò tempora totius febris, monſtrant quandoidem morbus ſit validior, quando imbecillior; id quod faciunt etiam quatuor tempora totius circuitus, febris enim cum incipit imbecilla eſt; cum creſcit, validior; cum viget validiſsima; cum minuitur deinde, maxime imbecilla. Circa initia & fines inquit Hippocrates [f] omnia imbecilliora, in ſtatu

a Gale. 2. de diff. febr. cap. 11.

b Hippo 1. 2. aphor 30.

c Gale p. de crisyb c. 3.

d Hippoc. 4. aphor. 43.

e Gal. 4. meth. cap. 5.

f Hippoc. 2. aphor. 30.

ATENEO VENETO BIBLIOTECA VENEZIA

ſtatu omnia validiora: non tamen monſtrant quatuor tempora,& totius febris,& cuiuſlibet circuitus,robur & imbecillitatem abſolute.Superſunt differẽtiæ quę ſumũtur à cauſis & ab effectis à quibus per ſe ſumemus etiam indicia:intuebimur primum quo pacto cauſę tam internę quã externæ,deinde iuuantia & lædentia,poſtremo effecta,hoceſt ipſa ſymptomata mõſtrent robur & imbecillitatem febris.Cauſæ aut externæ ſunt,aut internæ ſunt,autẽ externæ quę extrinſecus incidunt vt aer,quę offeruntur;vt cibi & potiones: ſub externis compræhendi poſſunt quęcumq; euidentia ſunt,veluti quæ excernuntur ac retinentur,motus quies,ſomnus,vigilia,animi tranquillitas;omnia hæc vbi valida ſint, febrem vt efficiunt,ita etiam demõſtrant validam;vbi imbecilla, imbecillam:non tamen proxime & per ſe,ſed per internam atq; abditam cauſam, hoc eſt humorum putredinem quam mouent,præclare enim ſcriptum eſt

a Gale. p. de cauſ. pulſuum c. p.

á veteribus [a] medicis cauſas euidẽtes mouere eas quę abditæ ſunt: quatenus verò externę atq; euidentes cauſę cõmunes ſunt vel proprię,nihil faciunt ad ſignificandũ robur aut imbecillitatem febris, niſi cum prauitate quadam iungantur,quemadmodum aer putris ac peſtilens,ſic.n notant magnũ febris robur:interna cauſa eſt humorum [b] putredo.Poteſt tam putredo quam humor putreſcens,& validam,& imbecillam febrem afferre:putredo .n. interdũ magna eſt,interdum parua: quæ magna eſt,magnam febrem indicat,paruam quæ parua:veluti cum humores ſunt [c] ſemiputres. Differunt etiam inter ſe humores putreſcentes,ſpecie,quãtitate, qualitate, motu,exitu; pro quorũ varietate efficiunt ac denunciant febrem nunc validam,nunc imbecillam. Species quidem humorum refertur ad qualitatẽ, alijs .n.præditi ſunt qualitatibus tam primis quã ſecundis alię humorum ſpecies,quamobrem de ſpecie paulo poſt agemus cum qualitatem perpendemus.Miſcentur interdum inter ſe humores [d] & efficiunt febres ſpurias,interdum ſinceri ſunt & faciunt exquiſitas : ſinceri validiorem febrem afferunt quam mixti, propterea quod qualitas quę in ſinceris excedit,mixtura contrarij humoris nõ remittitur,quo nomine Hippocrates [e] malum eſſe ait, cum ex corpore ſincerum aliquod educitur,notat .n. humorem à quò morbus proficiſcitur ſincerum eſſe:expedit autem magis eſſe mixtum,cum(vt diximus)ſic remittatur eius vis à contrario; non tamen expedit vitioſos plures humores ſeparatos eodem tempore in ægrotãte verſari,qui multiplicem morbum efficiant: eiuſmodi enim validior eſt,& maiori negocio aufertur.Sed ſi humor vnus duntaxat morbũ excitet, expedit tunc mixtum eſſe magis quam ſincerũ:quamuis vbi ſimul plures humores putreſcant validior [f] eatione interdum febris ſit, quia ijdem difficilius concoquuntur.

b Gal.xi. methodi c. 4.

c Gal. l. de diff. febr. cap.6. & l. artis. medi.c.89.

d Gale. 2. de diff.feb.c.8

e Hippoc. 2. prognoſt. c.de ſputo

f Gale. p. de criſiũ. cap. 11.

Illud

Illud tamen obliuiſci non oportet quod ſanguis qui maxime naturę conuenit, minus nocet cum putreſcit vbi ſincerus eſt quam vbi miſcetur cum alio humore, veluti cum flauabile: quantitas putreſcentis humoris vbi maior eſt validiorem reddit febrem, vbi parua imbecilliorem quicumque ille humor ſit: ſequuntur .n. validiores cauſas effecta validiora: qualitas conſiſtit & in primis & in ſecundis qualitatibus quod attinet ad primas, quò humor calidior eſt, eo maiorem febrem & validiorem accendit, quò frigidior, eo imbecilliorem. Siccitas humoris reddit acriorem calorem, & propterea validiorem febrem, ſed humida qualitas magis eſt obnoxia putredini quæ maior effecta validiorem ipſa quoque reddit febrem: ex ſecundis qualitatibus craſsitudo [a] humorum cum difficilius ſuperetur quam tenuitas maius propterea robur demoſtrat, verum humores non tantũ qualitate nocent, ſed interdum etiam tota [b] ſubſtantia pugnant cum natura noſtra quod vbi accidit vires addunt morbo quem efficiũt, ſi humor qui febrem accendit moueatur & non occupet certam ſedem efficit [c] turgentem quę longe validior eſt quã quieta, nam prętерquã quod poteſt quę mouetur materia occupare præcipuam aliquã partem & interitũ afferre, non ita facile cõcoquitur ſicuti quæ quieſcit quamuis facilius expellatur. Retinetur materia ex toto interdũ in febribus itaut ſiccæ ſint, interdum à principio incipit euidenter effluere itaut ſint humidę vtræque validæ ſunt, admodum humidę propter copiã materiæ valde ſiccę propter craſsitudinem atq; exitũ intercluſum præſtat autem neq; omnino humidam eſſe febrem neq; omnino ſiccam, ſic.n. imbecillior eſt & facile ſuperatur, quod attinet ad vapores expirãtes ſi glutinoſi ſint quemadmodum in febre illa quæ contagione proximos contaminat, robur demonſtrat, quod non euenit vbi non ſint glutinoſi. Hoc pacto igitur colligitur robur, & imbecillitas febris. Accedunt iuuantia & lædentia, quæ ſimiliter poſſunt vim febris ſignificare: vbi ea quæ plurimum iuuare ſolent, aut parum iuuent, aut etiam noceãt, quemadmodum de ſomno tradidit Hippocrates [d] malum eſt, morbus enim tunc videtur naturam ſuperare, quod ſi ea quę parum lædere ſolent valde noceant, monſtrant ſimiliter robur febris validum: lædit ægrotantem præcipue ipſa febris; quę cum facile toleratur, imbecillior eſt: cum ægrum maxime vexat, itaut vix eam ferre poſsit, valida eſt, & naturam vincit. Vxor Dromedai quam deſcribit Hippocrates, [e] non facile morbum ferebat, ſexto autem die interijt. Heropytus qui ſimiliter non facile morbum ſuſtinebat, ſed alioquin validus erat, centeſimo tandem die ſanatus ab Hippocrate [f] commemoratur. Effecta reſtant, hoc eſt ſymptomata, quæ maxime [g] demon-

a Galen. de conſt. art. c. 15.
b Gale. 3. 3. epid. com. 75.
c Gale. p. aphoriſm. com. 22.
d Hippoc. 2. aphoriſm. p. & 3. 3. epid. 76.
e Hippo 3. p. epid. 28.
f Hippo. 3. 3. epid. 80.
g Gal. de conſtitutione art. cap. 18.

demonſtrant qualis ſit febris, valida ne an imbecilla: nam vt in ſu
a Vidus l. 10. de cur. gen. c. 5. par. p. perioribus [a] libris oſtenſum eſt, vbi prognoſticum tractaurimus in vniuerſum, ſymptomata quanto plura & grauiora ſunt, tanto validiorem morbum denunciant: quanto pauciora & leuiora, tanto imbecilliorem: proprie autem cum læduntur actiones illæ quę magis neceſſariæ ad vitam ſunt, maius robur febris denunciant, quam vbi offenduntur alię quæ minus neceſſarię ſunt: illę actiones quæ proxime proficiſcuntur a parte præcipua, vt à corde à iecinore, vbi grauiter lædantur, validam eſſe febrem ſignificant. Animales actiones, aut ad prędipuas facultates attinent, vt ad intelligentiam, rationem & memoriam: aut ad ſenſum: aut ad motū voluntariū. Vbi grauiter lædatur intelligentia, atque immaginum compræhenſio, vt in his qui floccos [b] carpunt, & fæſtucas legunt, ne
b Hippocr. & Gal. p. prognoſt. 23. ceſſe eſt cerebrū male affectū ſit, & idcirco febrem eſſe validam cū
c Hippocr. & Galen. 6. aphoriſm. Tex. com. 53. lædituratio. minus graue delirium eſt cum [c] riſu, quam ſerio: minus item cum cerebrum alijs partibus ægrotantibus [d] congruit, quam cum per ſe ægrotat: vbi lædiur memoria, ſiquidem grauiter, [e] extingui caloremin cerebro denunciat, & propterea febrem
d Gal. p. proritic. com. 8. validam. Senſus verò, aut communis eſt, aut proprius: ad ſenſum [f] communem pertinet ſomnus & vigilia, quæ vbi modum val
e Gal. 2. proritic. com. 30. de excedant, [g] malum: immoderata .n. vigilia ab immoderato calore ac ſiccitate cerebri proficiſcitur, ſicuti immoderatus ſomnus ab immoderato frigore & humore eiuſdem: quamobrem neceſſe eſt tunc febrem eſſe validā, ſiue ferueat calor in cerebro, ſiue
f Galę. p. de cauſ. ſympt. cap. 8. etiam extinguatur. Senſus proprij, ſiue ablati, ſiue grauiter læſi, grauem febrem denunciant, præſertim illi qui prope cerebrum reſident, vt viſus & auditus: quare grauiſsimum ſignum eſt tam cecitas quam ſurditas [h] ſuperueniens. Ad ſenſum tactus refertur do
g Hipp. 2. aphoriſ. 3. lor, qui vbi vehemens ſit circa ventriculum, vt docuit Hippocra-
h Hip. p. pro ritic. 32. tes [i] in febre, malum eſt: malum etiam ſi ſtatim dolor ceſſet manente adhuc cauſa. Motus voluntarius ſi in toto corpore auferatur, quemadmodum in attonitis febris aut pernicioſa eſt, aut ſanatu difficilis: minus graue eſt vbi motus minuatur duntaxat. Vbi
i Hipp. 4. aphoriſm. 65. depraauetur motus voluntarius, ſuperueniatque neruorum diſtentio ob febris calorem exſiccantem, ſignificatur febris validiſsima: quod ſi homo ſuſtinere [k] membra non poteſt, neque iacere cruribus paulum reductis, ſed ſubinde ad pedes delabitur, febrem adeo validam demonſtrat, vt labefactet facultatem ad arbitrium mo-
k Hip. p. prognoſt. 14. & 15. uentem: quæ ſi non ita deſideratur [l] valida in propoſita febre vt coctrix, eſt tamen neceſſaria propter reſpirationem, quæ in morbis
l Gale. l 11. meth. c. 9. acutis vbi ſecūdum [m] naturam fiat imbecillam febrem denunciat,
m Hippoc. p. prognoſt. 25. vbi auferatur, minuatur, deprauetur, grauem, præſertim ſi auferatur,

ratur:malus eſt & anhelitus ſubſiſtẽs; grauis etiã eſt difficultas magna ſpirandi:anhelitus magnus & rarus, notat [a] delirium: ſi exeat frigidus,extinctionem [b] caloris. Ad vitalem facultatem ſpectat animæ defectio & læſio pulſus; docet autem Hippocrates [c] eos repente mori quibus ſine cauſa manifeſta magna & frequẽs accidat animæ defectio. Pulſus verò,magnum febris robur demõſtrat, non ſolum vbi valde prẹter naturam augetur, ſed multo magis vbi valde minuitur,itaut fiat rarus,tardus, vel etiam intermittens : notat .n. extinctionem [d] caloris innati. Ad facultates naturales, referuntur quatuor miniſtræ,attractrix,retentrix, concoctrix, expultrix,quæ ſunt ad alẽdum neceſſariẹ : quibus accedit etiam appetitio cibi & potionis,vt fames,& ſitis. Vbi appetitio cibi vehemẽter augeatur, notat frigus ventriculi,[e] magnum,quod deinde ſequitur animẹ defectio: vbi auferatur,niſi homo fortis ſit, coneturque omnibus modis cibum ſumere,vires deficiunt, vt ſæpe in peſtilentia [f] vſuuenit. Sitis vehemens ardẽtem febrem denunciat, ſed ſi prẹter rationem [g] ſubito ceſſet,notat extinctionẽ caloris innati. Attractio & retentio,quãto grauius læduntur, tanto validiorem febrem oſtendunt : coctio,ſicuti cum perficitur denunciat [h] naturæ victoriam ita cum corrumpitur morbum validiorem ſignificat : quẹ autem aufertur indicat morbum non ſuperari à natura:hæ læſiones deprehenduntur ex his quẹ excernũtur,potiſsimum ex vrina,quæ paulo poſt ſubijciemus. Expulſio vbi auferatur ex toto ,aut extinctionẽ ſenſus & caloris ſignificat, aut calorem valde vrentem aut exſiccantem, quod non ſit ſine magno febris robore. Ad expulſionem pertinet rigor, qui ſi in febribus intermittentibus principio acceſsionum fiat, bonus eſt : quibus .n. quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur inquit [i] Hippocrates : idem ſi ſuperueniat continuis, & potiſsimum [k] ardentibus, monſtrat magnum naturæ robur, quæ deinde per ſudorem expellit bilem, à quò eiuſmodi febris proficiſcitur : vbi non ſequatur ſudor aut non incaleſcat poſt rigorem homo, aut adſit virium imbecillitas, [l] obliuio, ſtupor, depraua-tio oculorum malum : notat enim febris robur à quo natura ſuperatur, quamuis tentet pugnare : malum autem ſi ſexto [m] die ſuperueniat rigor, quoniam eiuſmodi motus non eſt ordinatus, ſed irritatur natura ante tempus, id quod febrem validam denunciat. In ſecundo genere ſymptomatum ſunt ea quæ prẹter naturam apparent mutata in corpore noſtro, ſiue vni, ſiue pluribus ſenſibus : quò magis autem recedent à ſtatu naturali, eò validiorem febrem indicant : ordiamur ab hjs quæ ſub aſpectum cadunt; colores cutis [n] monſtrãt quales ſint ſubiecti humores qui febrem accendunt, prout autem vel boni ſunt vel praui,ita imbecillitatem, vel robur

a Hippoc. p. progn. 24.
b Hipp. ibidem.
c Hippoc. 2. aphoriſm. 41.
d Gale.p. de cauſ. pulſ. cap. 6.
e Gal.de arte medic. cap. 63.
f Hippoc. & Gale.3.3. epid. 58.
g Hippoc. 2. proritico-rum. 22.
h Hipp. 2.p. epid. 45.
i Hippoc. 4. aphoriſm. 63.
k Hippoc.4. aphoriſm. 58.
l Hippoc. 4. aphoriſm. 46.
m Hippoc.4 aphoriſm. 29.
n Galen. p. aphoriſm. com. 2.

febris denunciant: qui ſuffuſa bile arquati fiunt ante ſeptimum [a] diem, his natura ob validam morbi vim cogitur intempeſtiue tranſferre ad partes externas ea quæ lædunt internas, ſed ſi tales reddantur poſt [b] ſeptimum diem, natura ſuperat morbum. Color niger [c] innati caloris extinctionem denunciat: extinguitur autem, vel à cauſa vrente, & tunc præcedit [d] color viridis, vel refrigerante, & præcedit liuor: vtrouis modo maximum febris robur demonſtratur, interdum nigreſcunt externæ partes humore melancholico ad ipſas tranſmiſſo, quod vbi tempeſtiue [e] fiat magis eſt opus naturæ quam ſymptoma, & maius demonſtrat robur naturę quam morbi. Sub auditum cadit vox & [f] crepitus ex inteſtinis æditus: notat vox mutata delirium, vbi non mutetur vitio inſtrumentorum & facultatis mouentis: idem notat & crepitus vbi non ædatur ad ſedandum dolorem: at delirium (vt in ſuperioribus oſtenſum eſt) cum læſo cerebro ſequatur, ſignificat magnum eſſe febris robur. Quod ſpectat ad odoratum, fætor ex corpore febricitantis exhalans, magnæ putredinis [g] eſt indicium, & ideo validam febrem demonſtrat. Guſtu percipitur qualis ſit ſaliua aut ſudor à fronte [h] deſtillans in os, ræpręſentat ſapor humoris redundantis ſpeciem, & propterea qualis ſit febris cauſa, ex quâ robur vel imbecillitatem colligi ſupra demonſtrauimus. Tactu depræhenduntur & primę qualitates, & quædam etiam ex ſecundis: præſtat æqualiter totum corpus calidum eſſe vt docuit Hippocrates: [i] validus ęſtus circa ventriculum in febre continua malum, monſtrat .n. focum febris in principali parte reſidere: malum & frigus [k] extremarum partium, quoniam ſignificat internarum inflammationem quæ cucurbitulæ modo attrahat ad ſe ſpiritum & ſanguinem. Inęqualitas etiam frigoris & caloris per vniuerſum corpus, mala, cum nequeat morbus à natura ſuperari: malum etiam ſi frigus ſit in aliqua parte, ve luti in [l] veſica, notat .n. illam emortuam eſſe.

Humor & ſiccitas ex mollitie & duritie percipiuntur quæ ſunt ſecundæ qualitates: expedit vniuerſum corpus [m] molle eſſe, malum eſt ſi præcordia dura ſint, duros enim tumores denunciant: ſed longe deterius ſi totum corpus reddatur durum; ſummum enim frigus denunciat & caloris extinctionem. Ex his quæ pluribus ſenſibus accipiuntur, ſunt magnitudo numerus, figura, vbi augeantur, minuantur, vel à naturali ſtatu mutentur. Si craſſa & glutinoſa materia [n] circa dentes concreſcat in febre, malum eſt, ob materiam quę non facile ſuperatur, & calorem exſiccantem. Si partes corporis tabeſcant, neque id ab euidenti cauſa proficiſcatur, ſignificatur febris liquans ob quam efficitur cadaueroſa illa facies quam Hippocrates [o] in prognoſticis enarrat. Abſceſſus qui febrem ſequuntur

a Hippoc. & Gale. 4. aphoriſm. Tex. com. 61.
b Hippoc. 4. aphoriſm. 64.
c Hippoc. p. progn. 7.
d Gal. p. criſium c. 13.
e Hippoc. & Gal. 2. progno. Tex. com. 9.
f Hippoc. 2. prognoſt. 24.
g Gal. 8. methodi c. 7.
h Gal x. ſimplicium c. de ſudore.
i Hippoc. 2. progn. 56. & Tex. 5.
k Hippoc. 7. aphoriſm. p. & 2. prognoſt. 4. & Gal. dictis comentis.
l Hippoc. 2. proritic. com. 16.
m Hippoc. 2 prognoſt. 5. & 56.
n Hippoc. 4. aphoriſm. 53.
o Hippoc. p. progn. 5.

quuntur, vbi non ſint opera naturæ transferentis tempeſtiue ad ex ternas partes quæ ſuperant in internis, validam febrem denunciãt. Supereſt tertium genus ſymptomatũ quod pertinet ad ea quæ pre-ter naturam expelluntur: ſunt autem ea quæ naturaliter expelli ſo lent, ſed mutata, vt deiectio, vrina, ſudor, vel noua aliqua, vt cum effluit ſanguis ex naribus. Animaduertimus autem mutationem ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, habitus, temporis, loci: quæ communiter in omnibus expulſis attenduntur: ſed maxime nunc à nobis animaduertentur in vrina, quam maximum eſſe diximus in-dicium in propoſitis febribus: in vniuerſum autem quę à naturali ſtatu mutata expelluntur, ſi facta coctione detrudantur, conferat-que eiuſmodi expulſio, ac facile tolleretur, opus naturæ exiſtiman da ſunt & non ſymptoma, magiſque ſignificãt robur naturæ quam morbi: quod cõtra accidit vbi ante coctionem, detrudantur & æger debilitetur, ac magis à febre opprimatur. Subſtantia vrinæ debet eſſe aquoſus humor, ac veluti ſerum ſanguinis, in qua reſideat cru-dum [a] id quod in venis concoqui nullomodo potuit. Exit inter-dum cum vrina, adeps, caruncula, ſquamma aliqua, à quibus in-dicatur febris calor vrens, ac liquans nõ ſolum adipem & carnem ſed etiam [b] ſolidas partes; quod vbi euenit, febris omnino valida indicatur. Quantitas vrinæ reſpondere naturaliter debet quanti-tati eorum quę bibuntur: Si copioſior eiiciatur, aut eſt naturæ opus & ſignificat febrem imbecillam, aut ſymptoma, & validam notat: diſcernes ex ſignis proxime dictis quando ſit ſymptoma, quando nature opus: malum autem eſt vbi pauca reddantur quæcumque expulluntur, monſtrant enim naturam tentare expulſionem eius quod morbum facit, ſed victam deſiſtere ab opere: quare deterri-mum etiam eſt, cum paucæ admodum guttæ [c] ſanguinis ex nari-bus exeunt. Ad qualitatem vrinæ ſpectat primo color, tum odor, pręterea calor & frigus: color tam humoris aquoſi, quam eorum quæ in ipſo continentur, quanto magis ſecundum naturam eſt, tan to notat febrem imbecilliorem: ſed tanto validiorem, quanto ma gis à natura recedit. Deterrimus eſt [d] color niger, qui extinctio-nem caloris ſignificat: fætor, magnæ putredinis indicium eſt; ca-lor [e] & acrimonia, cum vrina exit, acres ſuccos denunciat; deterio ra ſunt quæ frigida exeunt, veluti ſudor, [f] nam aut ſummam cru-ditatem, aut extinctionem caloris ſignificant: habitus vrinæ, [g] de-bet eſſe mediocris, nam tenuis, magnam cruditatem demon-ſtrat, craſſus concretionem materiæ, aut mixturam aliquam prę ter naturam, aut feruorem ac perturbationem: quæ autem crudita-tem notant, veluti concretio, aut ſunt opus naturæ, ſi tempeſtiue fiant: aut ſymptoma, ſi intempeſtiue, & eatenus indicant febrem

a Gal. p. prognoſt. vlt.

b Hippoc. & Gal. 2. prognoſt. Tex. 35

c Gal p. prognoſt. com. p.

d Hippoc. 2. prognoſt. Tex. 32. & 33.

e Hippoc. & Galen. ibidem.

f Hippoc. p. prognoſt. 26. & 4. aphoriſ. 37.

g Gal. p. criſium ca. 12.

imbecilliorem aut validiorem. Tempus quò vrina expelli debet, est id quod vsitatum est cum homo bene valet, sed tempus quò expellitur copia vrinę prętęr naturā, si post coctionem sit, notat opus naturę & febrem imbecillam: si ante coctionem, symptoma, & robur febris. Locus quo expellitur vrina, vnus & idem est, sed materia quæ redūdat & febrem facit potest & per vrinam, & per aliam viam excerni: malum est vbi per plures excernatur, quod natura valde oppressa plures vias tentet, nec possit suum opus perficere: tētat autem interdum sanguinem[a] ex naribus, vomitum, deiectionem, sudorem, quæ omnes viæ oportunæ sunt si seperatim tententur à natura: nam vbi simul plures, magnum monstrant morbi robur. Hactenus exposita sunt signa monstrantia robur naturæ & morbi, & idcirco euentum salubrem vel pernicioſum. Oportet autem omnia inter se[b] conferre, & intueri, non solum numerum, sed magnitudinem ac vim, & inde æstimare maius ne sit robur naturæ an morbi.

a Gale. 2. p. epid. 79. & Hippoc. in Textu.

b Galen. de constitut. artis c. 18.

De præcognoscendis differentijs euentus temporiſs. modi, & ſtabilitatis in febre à putribus ſuccis profecta. Cap. X.

PERSPECTO euentu futuro, prouidere differentias oportet: tempus videlicet & modum quò expectandus est. Præstat autem vtramque differentiam[c] cognoscere, non solum vt ex prædictione futurorum, auctoritas artis cōparetur, sed etiam vt facilius succurratur & tutius ægrotanti. Si prouideatur[d] tempus, non difficile est idoneam rationem victus instituere. Si prouideatur modus, non auertetur natura à suo munere: confert autem prouisio temporis perspecta ad prouidendum modum, sicuti prouisio modi ad tempus præsagiendum. varium est tempus pro vario modo; varius modus, pro vario tempore: tractabimus ergò vtrumque simul: ostendemus tamen primo varietatem temporis deinde modi. Tempus, quo futurus euentus expectari debet, aut longum est, aut breue: vtrumque spatium patet. Quadragesimo die (vt in superioribus[e] ostensum est) incipit morbus esse longus; sed 60. etiam. 80. 100. 120. & post sextum mensem quoque dicitur longus. At breuis trahi potest vsque ad quadragesimum diem, quamuis finiatur. 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. & tandem vsque ad 40. prædicere autem oportet quo tempore, & non solum longo ne an breui, sed etiam quota die euentus sit futurus, præsertim vbi debeat esse subito: modus enim, ad quem iam pergimus varius est, cum euentus aut[f] paulatim fiat, aut subito: & si subito, vel cū pugna, vel sine pugna; vbi pugna fiat, vel educitur ex corpore materia

c Gale. 4. de pręsag. pul suum c 11

d Gal. 3 crisium ca. 5.

e In hoc libro cap. 4.

f Gal. 3. crisium cap. p.

teria faciens febrem, vel transfertur ad aliquam partem, vel subito coquitur, quemadmodum in infantibus [a] per longum somnum. Vbi paulatim sequatur euentus, bonus quidem fit per coctionem materiæ, malus per tabem. Quadruplex autem proponitur euentus ab Hippocrate, [b] ad salutem, ad interitum, ad melius ad deterius spectans: potest quilibet & paulatim sequi & subito; qui subito sequitur, vel ad salutem, vel ad melius spectet, necesse est fiat cum pugna quam sequatur eductio materiæ, vel abscessus aut longus somnus cum valida coctione, quemadmodum infantibus. Mutatio ad deterius spectans vel ad interitum, potest similiter subito sequi, vel paulatim: si subito sequatur, potest fieri, vel cum pugna, & simul cum eductione aut abscessu, vel sine pugna; quod homo vel [c] initio accessionis à multa materia cruda stranguletur, vel à vi symptomatum in incremento aut vigore accessionis obruatur, vel cum remittitur accessio, deficiant vires exhalantes vnà cum calore. Mutatio quę fit paulatim, vt ante dictum est, si salubris sit, per coctionem sequitur: si perniciosa, per tabem. Ex propositis mutationibus videre oportet quò tempore febris quæuis accidere possit, vt intelligamus quod tempus sit prædicendum. Illa mutatio, quæ optima est, subita scilicet ad salutem, fit cum materia cocta [d] est, & id circo in fine vigoris: quæ verò ante hoc tempus fit, si multum distet, deterior, quam si parum. Mutatio ad melius fit paulo ante perfectam coctionem; sed mutatio ad deterius multo ante, veluti in incremento, nam non potest esse principium vbi est mutatio vel ad deterius, vel ad interitum, sed vtraque necessario erit aut in incremento, aut in vigore: non in remissione, quia [e] cum natura tunc superauerit febrem, non potest neque mori homo, neque deterior fieri, quæ autem fit subita mutatio sine pugna ad interitum, vel in incremento, vel in vigore totius febris accidit, numquam in principio aut in remissione [f] totius febris: quamuis sequi possit in principio, aut in remissione vnius accessionis, quemadmodū paulo supra ostensum fuit. Expositis mutationibus seu modis euentus, illi qui subito fiunt & cum pugna, crisis [g] nomen apud græcos inuenerunt; quod vocabulum transtulerunt vulgares ab his [h] qui coram iudice, capite damnandi iudicium timent, ad ægrotantes, cum maxime agitantur pugnante natura cum morbo. Medicus autem [i] ab Hippocrate edoctus, non timet valde, mala quæ præter rationem euenient: definitur ergo crisis, subita mutatio cum pugna, sed quæ ad salutem spectat, dicitur simpliciter [k] crisis sine adiectione quæ ad interitum crisis mala: quæ ad melius, crisis bona imperfecta: quæ ad deterius crisis mala imperfecta. Est autem opus naturæ pugnantis

a Gal. p. pro ritic. com. 29.

b Hipp. 3 p. epid. 16.

c Gale. 3. crisium. c. 9.

d Gal. 3. crisium. ca. x.

e Gal. 3. crisium ca. 9.

f Gal. ibidē.

g Gal. p. crisium. ca. 20

h Gal. 2 crisium. ca 2.

i Hippoc. 2. aphorism. 27.

k Gal. 3. crisium. cap. 2.

gnantis cum materia faciente morbum, quæ prout vincit, aut vincitur, vel ex toto, vel ex parte diuersas efficit mutationes subiectas cum pugna, quæcumque verò, vel sine pugna fiunt, vel paulatim, non appellantur nomine crisis.

Dies autem crisimi, sunt quibus fiunt crises, hoc est eiusmodi mutationes subitæ cum pugna: quorum vim in superioribus [a] libris fusius explicatam paucis nunc repetere oportet, vt ea perspecta, possimus venari signa non solum temporis, sed etiam diei quò futurus euentus expectatur. Dies pro spacio accipitur xxiiii. horarum: [b] non omnes autem dicuntur crisimi, quamuis omnibus possit fieri crisis, hoc est subita mutatio cum pugna, sed illi duntaxat in quibus ea fieri frequenter [c] solet, & bona. Comprobatur dierum crisimorum vis experimento, & ratione, quemadmodum in superioribus [d] libris monstrauimus, vbi soluimus argumenta eorum qui eiusmodi dies tollebant: ibi etiam in ternas species ipsos distribuimus, cum aliqui iudicent, aliqui indicent, aliqui intercidāt: iudicantes dicuntur illi in quibus fit eiusmodi mutatio quemadmodum 7. & 14. indicantes sunt illi a quibus indicatur subita mutatio futura 4. dies indicat mutationem futuram in primo septenario 11. in 14. & ita deinceps, quartus dies præcedens septimum, semper eius [e] index est. Sequuntur autem motum [f] lunæ hæ mutationes, quæ septimo quoque die insignem accipit luminis mutationem, sed in medio spacio monstratur quod futurū est: dies verò intercidentes non sunt ex numero indicantium, sed habentur in iudicantibus, cumque non sequantur lunæ motum, sed fiant à natura [g] coacta, vel ob vim accessionis, vel ob errorem aliquem, dicuntur intercidentes: intercidunt autem ante diem 20. cum validior est accessio: huiusmodi est 3. dies 5. 9. sed post 14. cum non numerentur dies integri 17. est index [h] 20. & non 18. vigesimi primi. Similiter vigesimus quartus, est index 27. trigesimus, trigesimiquarti: trigesimus septimus quadragesimi. Dignissimus inter dies iudicantes est [i] septimus, tum decimus quartus, postea vigesimus: deterrimus omnium est sextus, seuoque tirano [k] similis, vt septimus optimo principi: est sextus dies in intercidentibus, quò die febris terminari ad interitum solet. Sexti diei nullus ex toto prauitatem imitatur, octauo tamen, & decimo die fieri etiam mutationes praux solent: post quadragesimum [l] soluitur vis dierum crisimorum, & longe imbecillior redditur: fiunt autem mutationes subitæ cum pugna, non septimo, sed vigesimo quoque die, vt sexagesimo, vel [m] octagesimo, vel centesimo, vel centesimo & vigesimo.

His ita constitutis, transeundum est ad signa quæ differentias futu-

a Vidus l. 9. de cur. gen varijs cap. par. p.
b Gal. 2. crisium ca. 2.
c Gale. p. de diebus decret. ca. 3.
d Vidus l. 9. de curat gen. cap. 6. par. p.
e Galen. & Hipp. 2. aphoris. 24.
f Gale. 3. de diebus criticis ca. p. & cap. 12.
g Gale 3. de dieb. crit. cap. 8.
h Galen. ibidem ca. 9.
i Gale p. de diebus critic. cap. 4.
k Gal. ibidē.
l Gale. p de dieb. criti. cap. 10.
m Gal. 2 de dieb. crit. cap 9.

turi euentus patefaciant: & primo tempus, deinde modum. De monſtrãtur [a] differentiæ ab ijſdem ſignis, à quibus demonſtratur euentus, ſed aſſumentibus differentiam ſimilem, ſiue aperte ſiue implicite: oſtendimus [b] autem euentum demonſtrari à cauſis: à robore videlicet maiore vel minore naturæ & morbi: ædem cauſæ aſſumentes differentias longitudinis, aut breuitatis, patefacient nobis differentias temporis longi aut breuis. Proficiſcitur longitudo & breuitas temporis (vt in ſuperioribus oſtenſum eſt) à celeritate & tarditate motus, quamobrem robur naturæ & morbi, prout præditum eſt vi mouendi celeriter aut tarde, ita etiam vi longitudinis & breuitatis temporis, ſiue ſuperare natura debeat, ſiue morbus: ſequetur euentus poſt breue tempus ſi illi inſit vis celeritatis: poſt longum, ſi tarditatis: cauſæ enim hoc pacto monſtrant effectum. Conſtat autem efficientem vim, eo celerius efficere, quò validior [c] fuerit, eò tardius quo minus valida: vteruis effectus ſequatur, ſiue bonus, ſiue malus, debet aut natura, aut morbus ſuperare, & ideo validior eſſe: ſed huiuſmodi exceſſus roboris magnus & paruus eſſe poteſt: ſi magnus ſit, celeriter & poſt breue tempus ſequetur euentus, ſi paruus, tarde & poſt longum. Sed roget quis ex quibus cognoſcatur maius vel minus robur naturæ vel morbi, cui reſpondendum eſt, ex ijſdem ſignis ex quibus ſupra diximus [d] indicari robur ipſorum monſtrari etiam maiorem vel minorem exceſſum eiuſmodi roboris. Depromebantur ea ſigna à cauſis, à iuuantibus, ab effectis: cauſam roboris naturę poſuimus bonam temperationem, ad quam refertur ætas: ea quanto melior fuerit, & magis moderata, tanto validiorem naturam demonſtrat. Cauſam roboris morbi monſtrauimus eſſe, non tantum ſpecies, ſed etiam differentias: vbi plures concurrant & magnæ differentiæ indicantes robur morbi, denunciabunt ipſum maius. Cauſæ etiam morbi, prout validiores, vel imbeciliores ſunt, maius, vel minus robur patefaciunt: ſunt tamen quædam cauſę morbum efficientes, prædite vi celeritatis & tarditatis, quemadmodum humores: nam flauabilis celeriter mouetur, pituita tarde. Iuuantia & lædentia quanto magis id habent, per quod demonſtrari diximus morbi vel naturæ robur, tanto maius ipſum denunciant. Effecta quę naturalibus ſimilia ſunt, denunciant naturam validiorem: quę diſſimilia, [e] morbum: verum maior ſimilitudo maius naturæ robur oſtendit, ſicut maior diſſimilitudo, maius morbi robur. Illa autem ſigna quæ poſt apparent poſita ab Hippocrate, [f] conſiſtunt in his quę excernuntur: quanto celerius apparent ſigna coctionis, tanto validiorem & celeriorem eſſe indicant naturam. Quod ſi pro coctione prauitas

a Gale. 4. de præſag. pulſuum c. xi.

b In hoc libro cap. 9.

c Ariſto. l. 5. de gener. anim. c. 7. & 6. l. phiſicorum. Tex. 14.

d In hoc libro cap. 9.

e Hippoc. p. prognoſt. Tex. 5.

f Hippoc. p. aphoriſm. 12. & 2. p. epid. 45.

appareat,tanto maiorem vim morbi & celeriorem significat:vtra-
a Hippoc.p. aphor. 12. que autem & coctio & prauitas, si tarde appareat [a] imbecilliorem vim,& tardiorem motum naturę vel morbi denunciant:ex his colligi potest longum vel breue tempus futuri euentus; sed quo die futurus sit, ex quibus indicijs colligatur nunc videndum superest.
b Gal.l.3.crisium c.4. Colligetur autem primo [b] ex die indice, deinde ex die quo fit accessio, vt par vel impari; ex celeritate motus, & tandem ex erroribus si qui accidant: sequitur .n. euentus & subita mutatio cum pugna vbi indicetur à die indice, proxime die iudicante, potissimum si in eo fit accessio: nam maxime fit in die accessionis: vel ante diem iudicantē vbi motus celerior sit, vel post diem iudican-
c Hippoc.2. aphor. 24. tem vbi tardior. Dies quartus [c] (vt in superioribus ostensum est) index est septimi: vndecimus decimi quarti: & decimus septimus vigesimi: apparent in die indice signa coctionis aut signa prauitatis, vel grauia quædam symptomata quæ monstrant euentum futurum in proximo die iudicante: à quarto indicatur septimus, si
d Gale.p.de dieb.criticis cap. 4. euentus futurus sit salubris: sin [d] pernicios̃us,sextus. Error si accidat, efficit vt bonus euentus tardetur, malus anteuertat:sed magis aut minus, prout maior vel minor fuerit [e] error. Instans iam
e Gale.p.de dieb.criticis cap.11. euentus, & mutatio subita cum pugna, cognoscitur ex grauitate symptomatum superuenientium nocte [f] præcedente diem quò futurus est euentus,aut die [g] præcedente noctem quà similiter idem
f Hippoc. 2. aphor 13. futurus est: plerumque autem deteriori parte accessionis fit subi-
g Gal.3.crisium.ca.2. ta mutatio, præsertim illa quæ spectat ad interitum:hic .n. vt in superioribus ostensum est,principio accessionis sequitur cum homo
h Gal.3.crisium c.9. strangulatur à multa materia [h] cruda: in incremento vel vigore, cum obruitur vi symptomatum: in remissione, cum debilis calor
i Ibidem. [i] exhalat & vnà vires deficiunt. Modus quò euentus in febre siue salubris siue pernicios̃us sequi potest, varius [k] est: cum & subito
k Gal.3. crisium c.7. accidat, & paulatim, præterea cum pugna, & sine pugna: tum effusa, vel ad alias partes translata materia quę febrem accendit. Quicumque futurus sit, diximus esse præsagiendum, & vt maior comparetur auctoritas arti, & ne auertatur natura ab opere suo.
l Gale. 4.de præsag.pulsum c.11 Intelligetur modus futuri [l] euentus ex signis demonstrantibus euentum, assummentibus tamen differentiam modi, si non aperte, saltem latenter similem. Significari euentum monstrauimus à causis, hoc est à natura & morbo: si subito futurus sit,inest tam naturæ quam morbo vis subitæ mutationis: si paulatim sequi debeat inest ijsdem contraria vis. Videre igitur oportet, qualis natura, & qualis morbus habeat vim vtriusque mutationis, & subi-
m Gal.3.crisium c.x. tæ, & lentæ. Natura quò validior [m] est, eo magis subitam efficit mutationem: quò imbecillior eò magis lentam. Consistit robur

naturæ

naturæ in ipſa temperie moderata ad quam refertur ætas: iunioribus fit mutatio ſubita; ſenioribus paulatim. Morbus itidem [a] validus habet vim ſubitæ mutationis; imbecillus lentæ: auget morbi robur, magnitudo, prauitas, & celeritas; quæ differentiæ vbi concurrant, fit ſubita mutatio: ex contrario lenta vbi morbus contrarijs differentijs diſtinguatur. Ad celeritatem motus refertur breuitas temporis, ſicut ad tarditatem longitudo. Non fit ſubita mutatio aut raro in morbis poſt quadrageſimum [b] diem; ſed maxime vſque ad vigeſimum: quamquam non rarò fit à vigeſimo ad quadrageſimum. Cauſæ etiam quæ febrem faciunt, ipſæ quoque vim afferunt ſubitæ vel lentæ mutationis: aer calidus, ſiue ob regionem, ſiue ob anni tempus, ſiue ob præſentem cœli cõſtitutionem, ad ſubitam mutationem confert, ſicut frigidus ad eam quæ fit paulatim. Eadem ratio eſt cauſæ internæ; humor [c] calidus & tenuis ſubitam excitat mutationem, vt flauabilis, craſſus & frigidus, lentam, vt pituita, & humor melancholicus. Symptomata illa grauia, quę ſuperuenire ſolent vbi maxime natura pugnat cum morbo, mutationem ſubitam denunciant: abſunt enim illa vbi hæc paulatim fiat: hoc pacto igitur deprehendere licet modũ futuri euentus, paulatim vel ſubito: verum diſtinguere oportet eum qui ſubitò fit an cum pugna ſequi debeat, an ſine: vbi ſubitus euentus ad ſalutem ſpectat, ſemper fit cum pugna: vbi ad interitum, poteſt etiam fieri [d] ſine pugna. Diſcernes vtromodo expectandus ſit, ex ſignis mõſtrantibus euentum ex natura videlicet & morbo vim habentibus pugnandi vel non pugnandi: cum natura valde imbecilla [e] eſt, non audet pugnare cum morbo qui grauiſsimus ſit; quamobrem expectandus eſt interitus ſine pugna: veluti in principio acceſsionis, vbi materia [f] cruda eſt; aut in incremento & vigore, vbi grauiſsima ſunt ſymptomata: aut in remiſsione vbi calor imbecillus vnà cum [g] viribus totus exhalat. Quod ſi natura validior fuerit, non tamen itaut non ſuperetur à morbo, audet pugnare cum eo, ſequiturque tunc interitus cum pugna: vbi fit ſubita mutatio cũ pugna poteſt ad ſalutem fieri per longum [h] ſomnum, per exitum humoris noxij ex corpore, per abſceſſum. Si euentus futurus ſit perniciosus, neceſſe eſt ſequatur ſubitam mutationem cum pugna vel expulſio materiæ, vel abſceſſus. Declarantur hi [i] modi, ſomnus, expulſio, abſceſſus, ſimiliter à ſignis monſtrantibus euentum, à natura videlicet & morbo prędictis vi huius vel illius modi. Somno duorum dierum in ſubita mutatione cum pugna ſequitur coctio, & propterea ſalus, ſi natura & morbus habiles fuerint ad eiuſmodi ſomnum, & coctionem: habiles ſunt natura infantes [k] ad coctionem & ſomnum longum præſertim hieme

a Gal. ibidẽ.

b Gale. p. de diebus critic. cap. x.

c Gal. 2. criſium c. 11.

d Gal. 3. criſium. c. x.

e Gal. ibidẽ.

f Gal. 3. criſium. c. 9.

g Ibidem.

h Gal. 2. proritic. com. 29.

i Gal. 3. criſium c. 11.

k Galen. 2. proritic. com. 29.

hieme[a] & vere: habilis est ad eadem febris orta ab humoribus semiputribus, concoqui .n. illi possunt longiori somno: quod non eueniret si ex toto essent putres. At debeat ne febris quæ non finitur per somnum, finiri per expulsionem, an per abscessum, intelliges itidem ex natura & morbo, hac vel illa vi prędītis: natura validior qualis esse in iuuentut solet, magis materiam expellit, quam efficiat abscessum: pulsus vehemens & sublimis notat vim concoctricem, & propterea ex pultricem validam, & idcirco expulsionem, nō abscessum: quem efficit materia si non ex toto cruda, certè non cocta: quamobrem febris quæ à materia frigida & crassa orta est per abscessum terminatur, & vrina multa crassa significat abscessum inquit Hippocrates,[b] præsertim si vires fuerint imbeciliores. Illa verò febris quam affert materia calida & tenuis[c] per expulsionem terminatur, præsertim vbi celer sit motus: nam vbi tardus, magis fit abscessus. Ex symptomatibus rigor[d] mōstrat naturā tentare expulsionem, quamobrem in tertianis & quartanis vbi validi rigores[e] fiunt effunditur noxius humor ex corpore, non transfertur ad alias partes neque facit abscessum. Potest tam expulsio quam abscessus varie fieri quò verò pacto expectari debeat, nunc exponendū supereſt: sumemus initiū ab expulsione. Expellitur humor febrem accendens varie, nam alijs effluit sanguis ex naribus, ex vtero, ex venis ani: alijs mouetur vomitus; alijs deiectio; alijs vrina: alijs sudor. Quid horum sequuturū sit prædices spectans ad naturam[f] & morbū ex quibus vt colligitur euentus, ita etiam modus. Sanguinem ex naribus fluxurum expectabis, vbi multo sanguine natura redundet, quemadmodū adolescētibus & iuuenibus vsque ad trigesimum quintū annum, siue maribus, siue fœminis inquit Hippocrates. Ad naturam[g] refertur tempus anni: verno[h] .n. tempore ob copiam sanguinis, æstiuo ob acrimoniam, magis accidit sanguinis fluxus ex naribus, per quem maxime terminatur morbus ille qui proficiscitur à sanguine[i] multo, vel acri: quemadmodum febris synocha, & ardens: tunc autem potissimum expectabitur, cum materia morbum faciens ad superiores partes feretur: indicant hoc prȩcordia[k] contracta, difficultas anhelitus, grauitas pulsus, & palpitatio capitis: splendor oculorum: rubor genarum & faciei: lachrimæ prȩter voluntatem fluentes. Admotio autem frequens manus ad nares iam instantem hunc fluxum sanguinis ex naribus denunciat. Ex vtero etiam effluens sanguis finit aliquando febrem: hunc[l] significat natura, vt mulierū à decimoquarto ad quadragesimum quartum annum, quibus abunde menstrua respondere consueuerint, & quæ plurimo redundent sanguine, aut etiam acriori: morbus autem qui menstruorum fluxu facile

ter-

a Hipp. p. aphorism. 15.

b Hipp. 4. aphorism. 74.

c Gal. 3. crisium c. 11.

d Gal ibidē.

e Hippoc. & Gale. p. 6. epid. Tex. com. 11.

f Gal. 4. de prȩsag. pulsuum c. 11

g Hippoc. 3. prognost. 12. & 33.

h Hippoc. 3. aphorism. 20.

i P. p. epid. Tex. com. 9.

k Gal. 3. crisium ca. 11.

l Hippoc. 3. prognost. Tex 50 & 51. & Gal. in com.

terminatur,eſt ille idem quem diximus finiri per ſanguinem ex naribus, nempe qui oritur à multo vel acri ſanguine, quemadmodũ ſynocha & ardens febris. Quod ſi materia febrem faciens deorſum feratur, itaut mulieres ſentiant grauitatem lumborum,multo magis hac via finiendam febrem iudicabis. Venis etiam in ano ſanguinem fundentibus quibuſdam febris finitur,quod rarius accidit,conijciturque ſimiliter ex natura & morbo vim habente eiuſmodi fluxus: natura non omnium idonea eſt ad ipſum, ſed paucorum, & eorum duntaxat, quibus ſiue maribus, ſiue fœminis, cõſueuerint certis temporibus venę ani ſanguinem fundere: nam in alijs, non magis hic expectari debet, quam fluxus menſtruorũ in viris:maxime autem accidere ſolet ętate conſtante,& cum atra bilis plurima [a] redundat. Inſpicies etiam morbum, qui ſi à melancholico [b] ſanguine proficiſcatur, eiuſmodi fluxu facile terminari poterit: melancholia, vel affectus renum, ſi cum febre iungantur, ſignificant hunc fluxum, præſertim vbi materia morbum faciens deorſum feratur, ſentiaturque circa lumbos grauitas. Vomitu ſæpe finiuntur febres:monſtrant hunc natura hominis facile [c] vomentis,cuiue fuerit vomitus vſitatus: huc ſpectat bilis multitudo,bilioſi enim ſucci facile euomũtur:quamobrem Hippocrates [d] iubet vt æſtate homines vomitu purgemus. Morbus etiam ſi fuerit bilioſus, veluti tertiana febris, facile vomitu purgatur: quamobrem bilioſis magis prædicendus eſt futurus vomitus quam pituitoſis: quamquam ob facilitatem vomendi pituitoſæ febres quibuſdam vomitu ſoluantur. Quod ſi materia ſurſum feratur,multo magis futurum vomitum indicabit: tunc autem ſuperueniet morſus [e] in ore ventriculi, nauſea, frigus & contractio prę cordiorum, dolor totius capitis cum quodam morſu, vertigo, tenebræ oculis offundentur. Deiectionem futuram monſtrat natura idonea:quidam .n. ab alui profluuio maxime capiuntur,quemadmodum balbi, [f] in quibus expectare deiectionem oportet, præſertim ſi redundent pituita, aut humore melancholico,qui humores deijciantur magis quam euomantur: quod ſi febris ab ipſis proficiſcatur, magis deiectionem expectabimus præſertim vbi contineantur in caua [g] parte iecinoris, aut in primis venis:vbi ſentiatur ilia ſuſpenſa, murmurantia, materia vitioſa tendit ad inteſtina & deiectionem monſtrat, præſertim ſi retineatur [h] vrina. Contra ſi retineatur deiectio, monſtratur copia vrinę fluxura quà febris terminabitur, præſertim ſi natura & morbus habiles fuerint ad eiuſmodi expulſionem: his quibus natura vrinę canales laxiores fuerint, quiue conſueuerint facile & large vrinam reddere expectanda eſt vrinæ copia, præſertim ſi morbus à bilioſis ſuccis &

a Hippoc.6. aphoriſm. 11.

b Hippoc.6. aphoriſm. 21.

c Gal.3. criſium ca.11

d Hippoc.4. aphoriſm. 4.

e Gale. p. ad Glauc.cap. 15.& 3.criſium c.11.

f Hippoc. 6. aphoriſm. 32.

g Gal.3.criſium cap. 3.& Hip. 4.aphoriſmor.73.

h Hippoc.4. aphoriſm. vlt. & Galen.3. criſium ca. 11.

tenuibus

tenuibus oriatur, aut si aquosus humor cum vitiosis succis plurimum admixtus sit: quamquam interdum etiam pituitosi & crassiores succi cum vrina expelluntur. Plurimum etiam confert ad vrinę copiam demonstrandā, grauitas & dolor circa vesicam. Restat sudor quò sæpe finiuntur febres, præsertim vbi homo secundū naturam facile sudet: quod euenit his quibus redundāt tenues succi, & foramina cutis patefacta[a] sunt, nam vbi illi crassi fuerint & hæc clausa, non est quod sudorem expectes. Febres si longę fuerint, cum proficiscantur ab humoribus crassis, non ita terminantur per sudorem, sicut acutæ quę à tenuibus oriuntur: quamquam interdum pituitosę febres sudore finiuntur, sed multo sæpius quartanæ, quod melancholicus humor concoquatur & extenuetur: quod si materia feratur ad cutim educitur per sudorem. Indicat eiusmodi motū rigor[b] superueniens tam intermittentibus, quam continuis febribus; præterea exitus vaporum cum rubore cutis.

a Gale. 3. de caus. sympt. cap. 2.

b Galen. 4. aphoris. 58

Abscessus varius sequi potest subitam mutationem cum pugna: humor.n. qui febrem accendit interdum transfertur ad cutem, in qua colorem mutat quemadmodum in arquatis, vel pustulas excitat: interdum ad glandulas quę iuxta aures sunt, aut sub alis, aut in inguinibus: interdum ad articulos, qui[c] cum laxiores sint, & moueantur, facile admittunt quod aliunde transfertur, sicut & glandulę quia laxiores[d] sunt, & cutis quia facta est imbecilla à natura, & solummodo ad tegendum, non ad aliud munus obeundum: prædicere autem oportet non solum futurum abscessum, vbi natura media sit inter validam & imbecillam, media item materia morbi inter crudam & coctam; sed qui abscessus proprie futurus sit colligere oportet ex natura & morbo vim habente huius vel illius abscessus. Cōmuniter quidem omnibus tam cutis quam glandulæ & articuli, facile admittunt quod aliunde transfertur: sed proprie alijs imbecilliores sunt articuli, alijs glandulæ, alijs cutis, quæ quibusdam mollis est & rara: expectandus est abscessus in eo loco qui maxime imbecillus sit, & potissimum consueuerit accipere quod superat in partibus nobilioribus. Demonstrat etiam morbus locum abscessus, tum genere humoris vitiosi, tum loco in quò versatur: genere quidem humor tenuis facile ad cutim transmittitur, crassior ad glandulas[e] & ad articulos inferiores, minus crassus ad superiores glandulas. Quod attinet ad locum, si materia vitiosa diffusa sit per habitum corporis, facile transfertur ad cutem: si contineatur in cerebro, ad glandulas post aures: si in thorace, ad eas quæ sunt sub alis: si in vētre, ad eas quę in inguinibus, aut ad inferiores articulos. Plurimum etiam confert ad præsagitionem huius vel illius abscessus, intueri quò feratur

c Hipp. 2. aphoris. 44.

d Gale. 2. de diff. feb. ca. vlt.

e Hip. & Galen. 3. prognost. Tex com. 23.

tur impetus humoris; mutatur enim color & intumescit locus ad quem vergit: vbi etiam morbus diuturnior [a] sit, & tardius moueatur, magis fit abscessus [a] in partibus inferioribus, sed ante vigesimum diem in superioribus.

a Galen. ibidem & 3. l. de crisibus ca. vlt.

Præter differentiam temporis & modi euentus operæ pręcium est etiam pręsagire num euentus qui fit, aut iam factus est, futurus sit stabilis: nam interdum sequitur [b] recidiua salutem, aut mutationem ad melius. Comparabit auctoritatem arti huius differentiæ prædictio, & securitatem homini, qui vbi non timeatur recidiua liberius viuet, vbi timeatur magis se continebit & magis exquisita ratione viuendi vtetur. Colligetur hæc differentia stabilitatis & recidiuæ ex natura & morbo. Natura validior qualis est adolescentium, & eorum qui moderata temperatione continętur, stabilitatem efficit. In ea quę imbecilla est, magis timeri debet recidiua. Morbi qui ab humoribus tenuibus & calidis proficiscatur euentus stabilis est, contra timenda recidiua in eo quem excitauerunt crassi ac frigidi succi. Monstrant etiam iuuantia & lędentia stabilitatem vel recidiuam, nam vbi subita mutatio cum pugna plurimum cõtulerit & facile feratur denunciat stabilem futurum euentum, vbi minus [c] toleretur, aut non ita prosit, recidiuam timere oportet. Postremo ex effectis naturæ & morbi colligitur stabilitas vel recidiua: si eiusmodi naturæ motus fuerit in diebus crisimis à prędecedente indice indicatus, speranda est stabilitas euentus: vbi neque in die [d] crisimo sequatur euentus, neque antea fuerit indicatus à die indice, timenda est recidiua: magis tamen vbi sequatur abscessus quam vbi materia vitiosa ex corpore educatur: magis item vbi materia pauca quam vbi multa transferatur aut educatur; quæ.n. relinquuntur in corpore noxia [e] recidiuam facere consueuerunt. Indicat relictam materiam esse in corpore sitis, fastidium, aut aliud eiusmodi symptoma remanens in ęgrotante: non difficile est igitur conijcere quando sperare stabilitatem debeamus, & quando timere recidiuam: inest.n. vis stabilitatis aut recidiuę tam naturę quam morbi, quam demonstrant causæ, iuuantia & lędentia, atque effecta, quemadmodum docuimus. Quæ cognoscenda erant in vniuersum de febre ab humorum putredine orta habeant hunc terminum.

b Gale. p. de diebus criticis cap. 2

c Gale. p. aphorism. com. 20.

d Hippoc. 4. aphorism. 36 & 3. prognost. 9. & 22.

e Hippoc. 2. aphorism. 12.

Finis libri tertij de Febribus.

VIDI

VIDI VIDII DE FEBRIBVS.

LIBER QVARTVS.

QVI EST DE RATIONE CVRANDI febres ab humorum putredine ortas.

De operibus, & instrumentis, in vniuersum requisitis, ad curandam febrem in humorum putredine consistentem. Cap. I.

EXPOSITIS his quæ cognoscenda erant in vniuersũm, de febre in humoribus putribus consistente, proximum est vt ad rationem curandi aggrediamur: continetur hæc operibus & instrumentis, quæ primo inuestigabimus vnà cum animaduersionibus ad rectum ipsorum vsum requisitis: deinde seorsum tractabimus vnumquodque. Opera quę in curanda febre proposita requiruntur, varia sunt, prout & illa à quibus sumuntur: versantur .n. in homine febricitante tria præter naturam, morbus, causa, & symptomata: quæ [a] contrarijs operibus tollere oportet: quibus accedunt, res [b] secundũ naturam, vt vires, & temperatio corporis, quæ conseruandæ sunt opere simili: neq; .n. maneret vita, nisi defenderetur, neq; restitueretur vera sanitas, nisi naturalis temperatio seruaretur: postulant igitur vires, & naturalis temperatio, conseruationem per opera similia: sicut & res prẹter naturam, febres, causæ symptomata, curationem per [c] contraria. Sed cũ animaduertendæ sint etiam differentiæ rerum, cuiusmodi sunt plurimę illæ, quas in febribus ab humorum putredine profectis inuestigauimus: habenda quoque est illarum ratio. Similem autem desiderant differentiam in opere quod requiritur: siue similitudo aperta sit, siue implicita: sed cum multæ sint res præter naturam, prẹstat venari quę opera ab vnaquaque requirantur: sumpto initio à morbo: hic cum sit febris, & propterea calor ad igneum vergens refri-

a Gale. l. xi. meth. c. 12
b Galen. l. 9. meth. cap. 14. & c. 15
c Gal. l. 11. meth. c. 12

refrigerantibus [a] æget,& madefacientibus:quod ſupra[b] cum de cu
ratione febrium communiter egimus,commune eſſe diximus om
nium febrium.Duplex igitur eſt opus,quod ipſa febris poſtulat,vt
refrigeremus ſcilicet, & madefaciamus. Sed cum ea quæ in humo
ribus putribus conſiſtit, ad huc [c] fiat, neque ſit ex toto facta, ne-
ceſſe eſt quoque proximam cauſam adimere, quam diximus eſſe
humorum [d] putredinem. Opus quod à putredine requiritur du-
plex eſſe debet, prout humores qui febrem accendunt, vel ſemi-
putres [e] ſunt, vel ex toto putruerunt: qui ſemiputres ſunt,aut co-
ctione corrigendi ſunt, aut educendi ex corpore: qui ex toto pu-
truerunt, omnino neceſſe eſt educantur. At putredo, cum aſsi-
due fiat,neque ſolum facta ſit,non tantum curanda eſt,[f] ſed etiam
propulſanda ne amplius fiat, id quod ſuccedet remota cauſa pro
xima,quam diximus eſſe prohibitũ perſpiratum: hũc igitur remo
uere oportet ne putredinem efficiat:remouebitur [g] autem ablata
cauſa, quam oſtendimus eſſe obſtructionem vel adſtrictionem:au
feruntur hę ſublatis cauſis.obſtructio quidem ſi humoribus multis
occurramus per detrahentia,craſsis per extenuãtia,glutinoſis per
incidentia & detergentia: adſtrictio verò,ſi vtamur relaxantibus:
multa igitur ſunt opera quę à cauſa febris & proxima & remota re
quiruntur, Symptomata etiam, plurima ſuperueniunt huic fe-
bri, quæ quamuis ceſſent, vbi hæc remoueatur vna cum cauſa,ſę-
pe tamen interea adeò moleſta [h] ſunt, vt cogamur ea lenire: le-
niuntur autem contrario [i] opere, vi vigilia, per ea quæ ſomnum
faciunt: alui profluuium: per adſtringentia. Differentię rerum
à quibus opera deſiderantur, ſimilem vt diximus differentiam po
ſtulant in opere requiſito: illæ.n. differentię, quas ſupra animad
uertimus in his febribus, ſimilem deſiderant differentiam in ope-
re requiſito, ſiue ſimilitudo expreſſa ſit, ſiue implicita, vt in ſe-
quentibus patefiet.Ex operibus & differentijs ad hãc curationem
requiſitis, vbi inter ſe conferantur, alia eadem inuenientur, alia
diſsimilia, alia etiam contraria: vbi eadem requirantur, non eſt
cunctandum [k] ea efficere, cum nihil ſit quod repugnet: vbi diuer
ſa ſint quæ requiruntur, aut opera aut differentię operum, ſi poſ-
ſunt omnes ſimul fieri:effici ſimul debent:ſi non licet eodem tem
pore plura efficere, primum efficiendum eſt id, quod à re[l] magis
vrgente requiritur, deinde id, quod debet eſſe cauſa reliquorum
quę efficienda ſunt:tum id,ſine quò nequeunt cætera effici. At vbi
quę indicantur contraria ſunt,inſpicere oportet an vnum aliquod
ex ipſis pręter cætera maxime deſideret an plura æqualiter, an
vnam magis quã alia,non tamen itaut & ipſa[m] non magnopere re
quirantur:id quod pręter cætera,maxime deſideratur,ſolũ efficien
dum

a Galen. l.x. met.cap.x.
b Supra l. p. cap. 7.
c Gale.l. 11. meth.c. 2.
d Gale.l. 11 meth.c. 4.
e Gal de arte medic cap. 89. & p.acutor. com. 18.
f Galen. 11. meth. c.x.
g Gale.l.11. meth.ca.4 & cap.x.
h Galen.12. meth. cap. p. & p. ad ad Glauc. cap.14.
i Gale. l.11. meth.c.12
k Galen. 10. meth. c.p.
l Gal.3.meth.ca.9.
m Gal. p.ad Glauc c.x. &l.11.meth.cap.9.

dum est, cæteris omissis: quæ æqualiter requiruntur, æqualiter facienda sunt: quæ magis requiruntur, magis efficienda: magis autem requiruntur, quæ à pluribus [a] rebus, & maiorem vim habentibus desiderantur: neque .n. solum oportet inspicere numerum, sed etiam vim requirentium: consistit vis non solum in magnitudine sed etiam in qualitate requirentiũ. Dignissimæ [b] sunt vires quibus vita continetur, quamobrem eò primum spectare oportet vt conseruentur, neque inedia, aut detractione humorum vtendum est, vbi sint imbecillæ: sed magis refectione [c] per cibum & potionem. Symptomata vbi grauia sunt, & vires conuellant, aut nimis molesta [d] sint, rapiunt consilium curantis, & quod magna sint & quod referantur ad vires, quæ dignissimæ sunt: quod si morbum, hoc est febrem, cum causa conferamus, siquidem pares sint, præstat remouere causam, quâ remota simul remouebitur & febris: sed si febris sit ardens, qualis est quæ à flauabile putrescente proficiscitur, superat magnitudo caloris magnitudinem causę, itaut magis incumbendum sit in ea quæ refrigerant, & madefaciunt, quam in ea quæ tollunt putredinem aut putredinis causam. Opera quæ proposuimus, satisfaciunt rebus requirentibus: sed differentiæ operum debent satisfacere differentijs rerum à quibus requiruntur. Attenditur in operibus facultas, per quam aut conseruetur quod secũdum naturam est, aut tollatur quod præter naturam: sed attenduntur in operibus etiam differentiæ, & veluti animaduersiones quædam, per quas satisfaciunt [e] differentijs rerum requirentium: non sunt autem animaduersiones quæ in operibus attenduntur, quot differentię rerum à quibus opera desiderantur: cum eadem [f] animaduersio interdum pluribus respondeat: rediguntur omnes ad qualitatem, quantitatem, numerum, tempus, locum, modum, ordinem, quas obseruare oportet vbi statuerimus opus aliquod efficiendum esse: respondere [g] debent animaduersiones operum similibus differentijs rerum requirentium, vt qualitas qualitati, quantitas quantitati, numerus numero, tempus tempori, locus loco, modus modo, ordo ordini. Instrumenta necessaria sunt cuilibet facultati, siue à natura, siue ab arte proficiscatur ad opera [h] efficienda: quamobrem medicus, vt efficiat quę requiri diximus ad curationem propositæ febris, necesse est vtatur instrumentis ea facultate præditis, vt possint requisitũ opus efficere: vt autem opus non tantum debet respondere requirenti, sed etiam differentijs per animaduersiones iam dictas, ita instrumenta [i] non tantum debent opus perficere quod desideratur, sed respondere etiam animaduersionibus dictis: id quod facient, si eædem in ipsis attendentur quę dictę sunt in operibus, vtraque

.n.

a Gale. 8 methodi ca. 9 & l. 11. meth. c. 3.

b Galen. 11. meth. c. 3.

c Gale. 9. methodi c. 13

d Galen. 12. meth. c. p.

e Vidus l. 3. de curat. gener cap. 4. par. p.

f Vidus ibidem.

g Gale. 5. de Tuen. val. cap. 2. & x.

h Arist. l. 2. de partib. animal. cap. 4.

i Vidus l. 14 de Curat. gener. cap. 5. par. p. & Gale. 1 de Constitutione artis cap. 14.

.n. materia sunt auxiliorum: efficiuntur autem auxilia per animaduersiones propositas, vt per qualitatem, quantitatem, numerum, locum, modum, tempus, ordinem. sed satis de operibus & instrumentis attinentibus ad febrem ex humorum putredine ortam in vniuersum locuti sumus: nunc supereſt vt videamus à quibus proprie instrumentis perficiatur vnumquodque opus, atque hoc pacto simul cum opere vim instrumenti perpendemus: vbi verò idem aptabitur pluribus operibus, semel tantum tractabitur, vbi agetur de eo opere cui maxime conuenit, sed simul etiam omnis eius facultas explicabitur per quam possit alijs operibus satisfacere, ne ad idem instrumentum sæpius redeundum sit, ordiemur à viribus conseruandis, quibus maxime aptatur ratio victus, quam simul cum conseruatione virium persequemur: nam de temperatione agemus cum veniemus ad instrumenta refrigerantia, & madefacientia febrem.

De conseruatione virium, & ratione victus in febre ab humorum putredine orta. Cap. II.

VIRES in quibus [a] vita consistit, tam sanis quam ægris conseruandæ sunt; nam vbi deficiant, neque defendere amplius sanitatem oportet, neque morbum sanare, cum homo intereat. Continentur vires, moderata [b] qualitate & quantitate partium ex quibus cõstamus, spirituum videlicet, humorum, & partium solidarum: quamobrem conseruãtur, vbi eiusmodi moderatio qualitatis & quãtitatis retineatur, retinetur autem vbi assidue reficitur id quod absumitur, remittiturque qualitatis excessus, neque aliquod adhibetur remedium, quod qualitatis, vel quantitatis immoderationem afferat: ergo vires vt conseruentur postulant ea à quibus temperetur substantia & qualitas; repudiant ea à quibus exhauriarntu, vt inediam venę sectionem, purgationem: quæ instrumenta quo pacto repudientur à viribus, declarabimus cum ad ea veniemus: nunc insistemus in illis quæ à viribus proprie requiruntur. Vt remittatur qualitas caloris, requiritur aer, qui per os, & nares [c] fertur ad pulmonem & cor: frigidior .n. est quam qui in his partibus continetur, & idcirco temperat caloris excessum: substantia verò quà vires retinentur, quo pacto reficiatur, nunc videndum est. Sed quia continetur spiritibus, humoribus, & partibus solidis, in quibus consistit substantia nostri corporis; necesse est reficiantur [d] similibus, vt spiritus aere, humores potionibus, solidæ partes cibis: quamquam potione reficiuntur etiam spiritus & partes solidæ, sicuti cibis spiritus & humores: oſtẽdere igitur oportet quales debeant esse aer, cibus & potio ad vires conseruandas.

a Gal. 9. meth. ca 13.
b Gal. l. 11. meth. c. p. & cap. 3.
c Gal l. x. meth c. 7. & 8
d Gale. l. 11. meth. ca. 3

Sed quia ſub victu continẽtur, præſtat ſimul etiam explicare reliquas res, quæ ſub eodem comprehenduntur, cum & ipſæ nonnihil ad conſeruandas vires pertineant, & omnes etiam accomodentur ad alia opera quæ ad curandam propoſitam febrem deſiderantur. Complectitur [a] ratio victus, ea quæ quotidiana ſunt & vſitata cum homo ſanus eſt: ſunt autem ſex res quas nominant [b] non naturales, aer nimirum, cibus & potio, ſomnus & vigilia, motus & quies, animi perturbatio & tranquillitas, ea quæ expelluntur ac retinentur: quæ omnia ſeorſum perſequemur exorſi ab aere. Aer vt proxime monſtrauimus ad vires conſeruandas pertinet duplici nomine, & quod ſubſtantia reficiat ſpiritus, & quod qualitate temperet immoderationem caloris: quamobrem eligi debet ſubſtãtia pura, & qualitas moderate frigida dum homo ſanus eſt: dum febricitat, accomodatur aer, non ſolum ad conſeruandas vires, ſed etiam ad ſummouendam [c] febrem: idoneum .n. eſt auxilium, cum aſsidue feratur ad cor, vbi maxime reſidet febris: talem igitur eligere oportet, qualis ſatisfaciat operi quod deſideratur à febre, hoc eſt refrigeret, & madefaciat: neque ſolum eligatur moderate frigidus, ſed adeo vt queat exceſſum caloris temperare: quod ſi non habetur talis, paretur [d] arte in cubiculo aliquo frigidiore, vbi frigidæ ſtirpes ſternantur: perfundatur aqua frigida, prohibeatur hominum frequentia, quemadmodum docuimus [e] quà de curatione febris in vniuerſum: ſed cum in ea quæ oritur ab humorum putredine, præcipue periculum ſit ne retineatur calida expiratio, ſi ab aere frigido claudantur foramina cutis, danda opera eſt vt reliquæ partes [f] capite excepto tegantur: ſic .n. percipietur vtilitas frigidi aeris citra omnem noxam: hoc pacto accomodatur aer, & ad conſeruandas vires, & ad curandam febrem, neque neceſſariæ ſunt animaduerſiones omnes quas in multis inſtrumentis obſeruamus, tantum talis eſt ſubſtantia & qualitas eligenda ipſius aeris, qualis perficere poſsit, quæ tradidimus ab eo deſiderari. Cibus requiritur à viribus, vt reficiatur quod aſsidue [g] abſumitur, & potiſsimum ſubſtantia ſolida, [h] tam in homine ſano, quam in ęgrotante: ſed cum homo ſanus eſt, nihil eſt quod cibum repudiet, ita vt tuto dari poſsit: cum ægrotat poteſt quod præter naturam eſt cibum repudiare, id quod euenit in ea febre quam nunc tractamus ab humorum putredine profectam: cauſa enim continens, inediam [i] poſtulat & cibum reijcit, ſi quidem humor qui putreſcit, partim concoqui, partim educi à natura debet: quę ſi occupetur in cibo, ab vtroque munere auertetur: ſed cum cibus ſimul & requiratur à viribus, & reijciatur à cauſa febris, hoc eſt ab humorum putredine, videndum eſt, vt impugnan-

a Galen. de Tu. val. ad Traſyb. ca. 35.
b Gal. de arte medic. cap. 85.
c Gale. x. meth. cap. 7. 8.
d Galen. ibidem & l. 9 meth. c. 14
e Supra l. p. cap. 8.
f Gal. l. 10. meth. c. 8.
g Gale. p. de Tuen. val. cap. 2.
h Gal. x1. meth. c 3.
i Gale p. ad Glauc. c. x. & Hipp. 7 aphor. 79.

pugnantibus operibus ante demonſtrauimus, vtrum plus poſsit id quod requirit cibum, an id quod poſtulat inediam: ſi æqualiter poſ ſint, medium quedammodum tenere oportet, inter cibum & inediam, quod fiet minuendo quãtitatem: [a] ſi plus poſsit vnum quam alterum, vbi exceſſus magnus ſit, ſolũ in id incumbẽdum eſt, quod maioris eſt momenti; & ita vel ſolũ adhibenda eſt inedia propter cauſam morbi, vel ſolum dandus eſt cibus propter vires: ſi non ita magnus eſt exceſſus, & dari cibus debet, & adhiberi inedia: ſed magis in his ſpectandum ad id quod plus poteſt. Vires vbi imbecillæ ſunt, nõ tolerant inediam, quamuis requiratur à cauſa morbi: ſunt autem digniſsimæ, [b] cum in illis conſiſtat vita. quare tunc etiam ſi morbi cauſa maxime inediam deſideret, cibo reficiendæ ſunt. Si vires ſint validæ tolerant inediam: quod ſi parua fuerit febris cauſa inediam poſtulans, ſiuæ vires validæ ſint, ſiue imbecilliæ, non eſt quod inedia vtaris, ſed dare cibum oportet quem vires poſtulant. At cum in alimento ſit vis medicamenti teſte Hippocrate, [c] cibus requiri à morbo poteſt vt medicamentum, veluti frigidus & humidus [d] à febre. Cum datur cibus plura animaduertenda ſunt, vt qualitas, quantitas, modus, tempus, ordo, quæ ſunt veluti differentiæ ipſius, quas oportet reſpondere differentijs eorum quæ requirunt aut tolerant cibum. Quantitas vt ab hac ordiamur, tanta eſſe debet, quanta requiritur à viribus, & toleratur à cauſa febris. Vires quò maiores fuerint, eo plus cibi deſiderant, non tantum in homine ſano, ſed etiam in febricitante: quò minores, eo contentæ ſunt pauciore cibo. Cauſa febris hoc eſt humorum putredo, quò maior fuerit, eò magis vt requirit inædiam, ita reijcit maiorem cibi copiam: quò minor fuerit, minorem deſiderat inediam, & idcirco plus cibi admittit. Minor cibi copia loco inediæ eſt: ſi vires valeant, ferre poterunt minorem cibi copiam quã ſuſtineri non poſſent, ſi imbecilliores eſſent: quare, vt in dando cibum ita etiam in quantitate imperanda, ſi morbi cauſa validior ſit, ad ipſam magis ſpectandum eſt, modo vires ferre poſsint, vt inediam, ita paucitatem cibi ab ea requiſitam: quod eueniet, vbi validiores erunt nam vbi infirmiores cõuellerentur: ſpectare autem oportet, non tantum quales ſint vires præſentes, ſed quales [e] futuræ ſint in vigore febris: qui ſi multum diſtet, plus cibi dándum eſt, cum non poſsint tandiù vires ſuſtineri: ſed ſi celeriter expectetur, poterunt vires pauciori cibo ſeruari vſque ad vigorem, neque interea deficient: quamobrem obſeruatio futuri vigoris neceſſaria ad quantitatem cibi imperandam, ad vires refertur, ſi non ad præſentes, certe ad futuras: cum febris per acuta eſt, ob breuitatem temporis ſufficit [f] ſola potio, velut in illis quæ quarto die finiendæ

a Gal. ibidẽ.

b Gale. lx1. meth. ca. 3 & 9. meth. cap. 13.

c Hippoc. & Ga. p. acut. 18. & Gal. 3 de Temper. 2.

d Hippoc. p. aphoriſmorum 16.

e Hippoc. p. aphor. 9. & x. & Gale. 3. criſ. c. 5.

f Gale. 2. de diebus criticis c. 11.

niendæ ſunt aut cremore ptiſanæ, veluti in his quæ ſeptimo; ſed ſi acuta ſit & terminari debeat decimo quarto, dabitur maior cibi copia, & tota ptiſſana, [a] quæ magis vires reficit quam cremor. In febribus longioribus opus eſt pleniori [b] victu, ſed vbi vires imbecilliores ſint, etiam in acutis febribus, alere vberius hominem oportet, vt vires ſuſtineantur ad quas referuntur regio, tempus anni, præſens cæli ſtatus, ætas, pituitoſa vel bilioſa temperatio, conſuetudo ſumendi plures vel pauciores cibos: cuncta .n. eatenus maiorem vel minorem copiam cibi dandam eſſe demonſtrant, quatenus vires reddunt validiores, vel imbecilliores. Qualitas cibi pro ſubſtantia etiam accipitur, nam cum medici oſtendunt quales cibi conueniant, intelligunt qui cibi, & ita vſurpant qualitatis nomen ad ſubſtantiam ſimul & qualitatem notandam: homini igitur qui laborat febre ab humorum putredine orta, illi cibi conueniunt, qui aptantur viribus, & admittuntur à febre ſimul & putredine. Quod attinet ad ſubſtantiam, debet cibus qui ſumitur eſſe boni ſucci, & idoneus [c] qui facile concoquatur ac diſtribuatur; eiuſmodi ſubſtantia vt requiritur à viribus, ita etiam fertur à febre ac putredine, modo cibum non recuſent: id tamen cauere oportet, ne ille cibus ſumatur, qui quamuis alioquin boni ſucci ſit, & coctù ac diſtributu facilis, plurimù alimenti ſuppeditat, quemadmodum caro ſuilla, quam Petronas [d] Medicus febricitantibus non prohibebat: ſed hoc refertur magis ad alimenti quantitatem. Qualitas verò, ſi proprie accipiatur, & non pro ſubſtantia, ſiue ex primis ſit, vt calor, humor, frigus, ſiccitas: ſiue ex ſecundis, vt mollities, durities, craſsitudo, tenuitas ſimilis eſſe [e] debet viribus hoc eſt ſubſtantiæ noſtræ quà vires continentur, talis enim requiritur ad eam reficiendam: ſed videndum an toleretur à morbo & cauſa. Morbus mediam, ac moderatam qualitatem tolerat; ſimilem reijcit à quà augetur: contrariam deſiderat [f] tanquam medicamentum: eadem ratio eſt cauſæ, putres .n. humores ſimili qualitate augentur, contraria diſsipantur, aut corriguntur: vbi qualitas eadem à viribus, à morbo, à cauſa deſideretur, audacter accipienda eſt: ſed ſi quod deſideratur ab vno, repudietur ab altero; veluti calor & ſiccitas, quæ interdum deſideratur à viribus, ſed repudiatur à febre: veluti etiam frigus quod requiritur [g] à febre, ſed reijcitur à cauſa febris, & putredinis, vt à prohibito perſpiratu. Conuenit igitur tunc ſpectare ad id quod magis vrget, vt ad vires, aut ad morbum, aut ad cauſam, alijs non neglectis: quod ſi reperire liceat aliquem cibum, qui his omnibus aptetur, eo maxime vtendum eſt, quemadmodum ptiſſana hordeacea, quam Hippocrates [i] mirum in modum probat in morbis acutis: refrigerat .n.

a Galen. ibidem.
b Hippoc. p. aphor. 4.
c Hippoc. & Gal. p. acutorum 18.
d Cor. Celſ. l. 3. cap. 9.
e Gale. l. xi. meth. c. 5.
f Gal. p. acutor. com. 18. & Hippoc. & Galen. p. l. aphoriſ. 16.
g Gal. 8. meth. cap 9.
h Gal. p. acuto com. 18
i Hippoc. p. acutor. 18. & Gale. in com. & l. p. ad Glauc cap. 13.

&

& madefacit; ſine aſperitate detergit;non obſtruit aut adſtringit: quare accomodatur & ad vires ſuſtinendas,& ad febrem & ad cauſam. Pro cremore ptiſſanæ,licet cremorem auenæ ſumere,aut panem elotum,vel decoctum ex aqua:tum ex oleribus cucurbitam, lactucã. Pepones madefaciunt & modice refrigerãt,& detergunt, ſed vertuntur [a] in bilem & perturbant ventriculum. Arborum fructus æſtiui ac dulces modice guſtari poſſunt,nam large ſumpti nocent,ſed modice guſtati madefaciunt,refrigerant,& nauſeæ aduerſantur:mala verò vt punica,& cotonea adſtringunt, prohibent perſpiratum,& putredinem augent,quamobrem non debent dari niſi vbi pugnandum [b] eſt contra alui profluuium, aut contra aliquem affectum in ore ventriculi: vbi febris diuturnior eſt, vtiliter etiam petũtur cibi ab animalibus,vt piſces ſaxatiles,oua [c] ſorbilia,teſtes gallorum,alæ gallinarũ,pedes ſuilli. Recentiores contundunt carnem gallinarum,& ex iuſculo dilutam potui dant febricitantibus: non nulli exprimunt ſuccum ex carne aſſa, vel auium vel quadrupedum,quem ſimiliter dant potui: alij vtuntur iure in quo elixus tabuerit pullus gallinaceus: maxime autem ad rem pertinet quò cibo magis delectetur ęger,nam Hippocrate [d] auctore,etiam ſi paulo deterior fuerit,eligẽdus eſt. Non eſt autem quod cibos refrigeres niue,aut aqua,quia diutius manẽt in viſceribus, & canales claudunt: quod non euenit potioni quæ celeriter per venas permeat, ita vt magis liceat refrigerare potionem,quam cibum:æſtate præſertim & vbi timeatur febris ardens: fructus autem illi dulces æſtiui quos poſſe [e] guſtari diximus à febricitante, refrigerati minus nocent quam alij cibi, cum celeriter attrahantur ad iecur,& concoquantur. (Modus in eo conſiſtit, vt id cibi quod requiritur, vel totum ſimul detur, vel diuidatur, ſumaturque eodem die ſępius: dandum autem eſt,quemadmodum maxime requiritur à viribus, & toleratur à morbo vnà cum cauſa;vbi datur vt alimentum(nam vt medicamentum ,requiri diximus à morbo, & tolerari à viribus.) Vires eo modo cibum poſtulant, quò refici poſſint:at reficiuntur cocto cibo,quare eo modo dandus eſt,quò concoqui poſſit: ſi vires validæ ſunt, poſſunt totum ſimul concoquere, ſi infirmę, aut extinguérentur [f] à multo cibo ſimul dato, aut certe non poſſent ipſum concoquere: quamobrem diuidi tunc debet, vt bipartito,aut tripartito ſumatur quod ſumendum eſt: huc ſpectant conualeſcentes,& ſenio propè cõfecti,qui ſæpius [g] reficiendi ſunt. Iuuenes verò ,& qui in ætate conſtante, aut in prima ſenectute ſunt, cum vires habeant adhuc validas, poſſunt totum ſimul concoquere: ſed pueris multum cibi datur, & ſæpius, quod vires habeant validas,& plurimum exhauriatur ex eorum ſubſtantia.Con

a Gale. l. de ſuccorum bonit.& vitio cap. 8.

b Gale. ibidem & p. acutorum com.20.

c Gal.p. acutorũ com. 27.& p ad Glauc. c.9

d Hippoc.2. aphoriſmorum 38.

e Gale. p·ad Glauc.c.9.

f Hippoc. p. aphoriſmorum 14.

g Gal.l.artis medic. ca. 100.& l.5. de Tu.val. cap.4.

suetudo etiam ad vires refertur: qui totum cibum simul capere so
a Hippoc.2. scutorum a 24.ad 29 Textus. lent, totum etiam [a] simul concoquere possunt: contra qui ipsum diuidere, & sæpius sumere consueuerunt. Ad vires quoque refe-
b Hippoc.p. aphor. 15. 17. & 18. runtur tempora anni, nam æstate & autumno, cum vires sunt im becilliores, præcipit Hippocrates, [b] vt sæpius detur cibus: hyeme, & vere, cum valeant, licet dare totum simul: sed cum debeat to-
c Hippoc. p. aphor. 11. lerari à morbo, cauendum est ne cum diuiditur, incurrat cibus in accessionem, nam tunc Hippocrates [c] abstinendum esse arbitra-
d Gal. 9. me th. cap. 13 tur: vbi tamen summa esset virium imbecillitas, ad conseruandam vitam [d] cogeremur etiam in accessione ipsas reficere, & cibum da re. Tempus dandi cibum est, cum requiritur à viribus, & tole-
de tempore / ratur à morbo: vires tunc cibum desiderant, cum coctus est, & ex ventriculo ad intestina descendit ille, qui prius absumptus erat,
e Hippoc. 3. aphorism. Tex. 56. modo non sint externę partes balneo [e] ira aut exercitatione [f] plu-
f Gal. & Hippoc. l. de salubri dieta 12. rimum calefactæ: nam sic crudus cibus attraheretur à venis, & ip-
g Gale. l. 11. meth. c. 5. sas obstrueret: idcirco differendus est dum calor ille conquiescat, ac sedetur: id quod tam ad sanos pertinet, quam ad ęgrotantes;
h Gal. ibidē. sed proprie in his qui laborant febre ex humorum putredine orta, eò tempore fertur [g] facile cibus, quò leuior est febris. In sy-
nocha, cum à principio ad finem eadem ferè sit, æque toleratur ci bus quauis hora: illa autem [h] eligenda est, quæ vsitata est & quo-
tidiana: contra si febris circuitibus distinguatur, non est æqualiter homo affectus qualibet hora; sed si sit ex numero intermittentium, in intermissione cum homo minus affligatur, sumere cibum
i Gale. l. 11. meth. c. 21 debet: in continentibus autem oportet quam maxime ipsum re-
ducere à vigore prędcedentis accessionis, & ab initio [i] sequentis; namque hoc tempore facilius feretur, præsertim si longum sit eiusmodi spacium: sin breue non ita facile: deligendum itaque est tempus remissionis, quæ quidem est altera pars circuitus, nam altera est accessio, quæ compræhendit principium, incrementum, & vigorem: quibus temporibus, cum homo magis affligatur, de-
k Hippoc. p. aphor. 11. bet à cibo abstinere: quod Hippocrates [k] voluit cum dixit, in accessionibus subtrahere oportet. Quod si vires ob imbecillitatem cibum desiderent, periculumque sit, ne si expectetur remissio, in terea deficiant, nutriendus est homo antequā febris remittatur; sed cum quidam magis afflictentur initio accessionis ob copiam, & cruditatem succorum, quidam in incremento & vigore, propter vim symptomatum: si vires permittant, id tempus accessionis eligendum est, quó minus vrgetur ægrotans: alioquin præferre vires morbo oportet, & nè deficiant, quouis tempore cibum dare, etiam in principio cum homo obruitur multitudine, & cruditate humorum: datur .n. tunc aliquid panis ex vino, vt recreentur vi-

Nota /

res:

res: sed vt diximus si fieri potest expectanda est remissio; & vt tradidit Hippocrates, [a] dum calor ex thorace ad pedes diffundatur, ita vt non solum æque calidi, sed etiam calidiores, atque ipse thorax sentiantur: cum validus manet calor febris in visceribus, cibus summopere nocet, implet caput, & viscera, & febrem ac putredinem auget. Quod si consideres cibum, vt medicamentum requisitum à febre, quouis tempore æque desideratur: sed videndum quo maxime feratur à viribus: maxime autē fertur quò tempore maxime desideratur, id autem est, cum præcedens iam coctus ex ventriculo delapsus est ad intestina. Ordo supersest ex animaduersionibus ad cibum attinentibus: attenditur autem vbi plures ac varij cibi dentur; dari autem prius debēt, qui prius requiruntur ac tolerantur: huiusmodi sunt molles, tenues, atque aluum [b] laxantes: post verò duri, crassi, aut adstringentes, si ob aliquam necessitatem tales dentur febricitantibus: sic .n. & opera quibus respondent postulant, & facilius tolerantur. Potio similiter ad reficiendas vires necessaria est, potissimum autem accommodatur ad [c] recreandos humores, qui assidue absumuntur: quamquam necessaria etiam est ad cibi coctionem, ac digestionem: facilius .n. concoquitur ac distribuitur, cum [d] dilutus est potione in ventriculo: quamobrem valet potio ad reficiendas vires, & per se, & per opem quam affert cibo concoquendo, ac distribuendo. Dedit natura sitim, hoc est [e] appetitionem potionis, sicuti famem, hoc est appetitionem cibi, cum vtroque opus sit: at debet potio tolerari à rebus præter naturam, & proprie ab humorum putredine, quæ desiderat inediam, & ideo reijcit potius potionem, ne auertatur natura à suo munere: minus tamen auertitur à potione quam à cibo, cum facilius [f] concoquatur, ac distribuatur: à morbo autem non repudiatur potio, feruor enim febris remittitur ab humore, à quò si frigidus fuerit, etiam extinguitur. Quamobrem, vt medicamentū requiritur potio [g] à morbo: quamquam potest etiam talis eligi quę medeatur causis, vt detergens extenuans, incidens, vrinam vel sudorem euocans. Vbi autem causa febris valida sit, abstinendum à porione erit, nisi vires adeo langueant, vt periculum sit, ne sine ipsa deficiant: tunc .n. maxime spectandū est ad vires, quibus vita continetur. Ex animaduersionibus in potione obseruandis, cum datur ad reficiendas vires, tanta esse debet, quantam illę desiderant, & quantam consueuit sumere homo dum sanus est: modo causa eam pati possit; quę vbi validior sit, largam potionem reicit: sed tunc ea moderatione vtendum, vt & viribus, & causę aliquid tribuamus: plus tamen ei quod magis vrget. Sed vbi sumitur potio vt medicamentum aduersus morbum, libe-

[a] Hippoc. p. acutorum 46 & 42. acut. 39.

de ordine

[b] Gale. l. de aliment. facul. c. 31.

[c] Gale. l. 11. meth. c. 3.

[d] Auic. l. p. f. p. doct. 4. cap. 2.

[e] Arist. l. 2. anim. Tex. 28.

[f] Hipp. l. 2. aphor. 11.

[g] Galen. 11. meth. ca. 9

ralius ſumpta efficacior eſt, ſicut & aduerſus cauſam, modo tole-
a Gal.9 me- retur à viribus: quæ vbi exiguæ [a] ſunt, periculum eſt ne calor de-
th.cap. 5. bilis à multitudine potionis ſtranguletur. At videndum eſt qua
lis potio conueniat, hoc eſt quæ potio, vt de cibo diximus. Sub-
ſtantia debet eſſe boni ſucci, & nullo pacto aliena naturæ noſtrę.
Qualitas verò ſiue prima ſiue ſecunda, ſimilis qualitati noſtrarũ
partium: quod ſi detur potio vt medicamentum contra morbum,
qualitas conuenit frigida & humida; contra cauſam, incidens,
extenuans, detergens, vrinam, vel ſudorem euocans, vt proxime
monſtrauimus. Sed pugnant ſępe inter ſe qualitates requiſitę, tam
à rebus præter naturam, quam à rebus ſecundum uaturam: neceſ
ſe autem eſt ei plus tribuere, quod plus poteſt, vt ſæpe dictum eſt.
Ex potionibus autem vſitatis apud veteres in febribus, & proprie
b Hippoc. l. ab Hippocrate [b] in morbis acutis, ſunt vinum, mulſa, oximel,
3. acutor. aqua. Valet vinum, quod in primis reficiat vires, conferat ad con
per totum librum. coquendos humores ſemiputres, & ad euocandum ſudorem, &
vrinam: ſed nocet quod cum calidum ſit, febrem augeat, & cum
tenue ac facile penetret, ſuo calore ſecum trahat multos, craſſos,
c Gale.3. a- & glutinoſos ſuccos; & propterea prohibeat [c] perſpiratũ, & putre
cut.com.2 dinem augeat: tamen ſi, & quale conuenit, & quò tẽpore, & in qua
febre, bibatur, citra noxam proderit: eligendum tenue eſt & aquo
ſum, non dulce craſſum, aut vehemens: ſumendum cum apparent
d Gal. l. 11. [d] ſigna coctionis, & non ante: & vbi febris nõ ſit ardens, ſed leuior.
meth. cap. Mulſa etiam, vires reficit, & cõtra cauſam febris vt contra [e] obſtruc
9. & p. ad tionem valet: habet enim vim detergendi, ſed febrem auget: qua
Glauc. c. 9 re, hæc vbi ardens ſit, vitanda eſt, quamuis minus lædat bilioſos,
e Gale. l. 11. teſte Hippocrate, [f] quam aqua, quoniam facilius penetrat: magis
meth. c. 11 autem idoneum eſt apomeli, quod fit ex aqua & fauis mellis, mi-
f Hippoc. l. nus enim calorem auget. Oximel obſtructioni [g] medetur, quæ fit
3. acutor. c. de mulſa & cap. de Aqua. ab humoribus craſsis ac glutinoſis, prædituin eſt enim facultate
incidendi, ſed non reficit vires, fermentat [h] atrambilem, ac læ-
g Gale. l. 11. dit neruos, quas noxas minus affert vbi dilutum eſt: quamobrem
meth. c. 11 vbi in ptopoſita febre craſsi & glutinoſi ſucci obſtructionem fa-
h Hippoc. l. ciant, vtemur oximelle, quod eò tutius erit, quò magis diluetur.
3. acutor. de oximel le. Aqua parum vires reficit: prodeſt tamen quatenus non ſinit ita
exſiccari corpus noſtrum, & quatenus per ipſam cibus coquitur,
i Gale. l. 11. ac digeritur: eſt tamen idoneum medicamentum [i] febri, cum fri
meth. c. 9. gida ſit, & humida: monet tamen Hippocrates [k] ne detur bilioſis,
k Hippoc. l. nam cum diutius moretur in viſceribus, conuertitur in flauambi-
3. acutor. c. de aqua lem: neque .n. purum elementum eſt, & mixta in ventriculo &
iecinore cum flauabile poteſt in illam degenerare, quod non eue
nit mulſę quę celeriter per venas permeat, & idcircò minus nocet

quam

quam aqua. Quod attinet ad modum dandæ potionis, eò modo, requiritur à viribus, quò & cibum requiri diximus: si validæ sint, tota simul, si infirmæ partita: [a] tolerabitur autem à morbo vtrouis modo tantum vitanda est in accessione præsertim in principio & incremento. Cum datur vt medicamentum, potio magis proficit si tota simul detur, modo non sit calor valde [b] imbecillus: tunc autem danda est potio, cum præcedens iam educta est à ventriculo: vitare tamen oportet, quantum per vires [c] licet accessionem: vbi autem potio sumitur vt medicamentum ad euocandum sudorem, maxime conuenit in vigore accessionis, quò [d] tempore sequi solet somnus & exire sudor. Ordo autem in danda potione ille tenendus est, vt sequatur [e] cibum: siue totum, siue partem, itaut vicissim detur. Somnus & vigilia sub victu continẽtur, attenduntur-que & in viribus conseruandis, & in tollendis rebus prẽter naturam, siue quod requirantur, siue quod repudientur. Quò pacto autem illis vtendum sit, intelliget qui vtriusque facultatem cognouerit. Vigilia instituta [f] est à natura propter munera quæ in ipsa exercentur, vt propter sensum & motum, quæ quia non possunt esse assidua, cum defatigentur instrumenta, necessaria fuit quies, quam præbet somnus quem efficiunt vapores [g] cibi & potionis excitati dum in ventriculo cõcoquuntur: confert tam somnus quam vigilia ad vires reficiendas, quoniam in somno contrahitur [h] calor à quò alimentum concoquitur: idem distribuitur concoctum in vigilia, cum calor ad externas partes euocatur: ad recreandas autem vires opus est alimento non tantum cocto, sed etiam distributo: quamobrem vtendum est & somno, & vigilia vicissim, prout consueuit homo cum bene valet: metitur .n. natura ipsa spacium somni, tuncque expergiscitur homo cum non amplius opus est somno: cauendum ab excessu [i] tam somni quam vigiliæ, nocet .n. cum hæc qnasi hominem asset, [k] ille elixet. Ex rebus præter naturam, morbus, nempe febris ipsa, similiter moderatione gaudet: sed cum madefacientibus ægeat, magis illi aptatur somnus, qui madefaciendi vim habet, quam vigilia, [l] quę siccandi: refrigerat somnus partes externas, cum calorem contrahat [m] ad internas quas calefacit: refrigerat vigilia partes internas, cum calorem euocet ad externas, quas calidas reddit, adeo vt quod ad calorem spectat, vtriusq; excessus alienus sit: sed quod ad siccitatem, diuturnior conuenit somnus: causa verò febris, hoc est humor putris, coctionem & expulsionem desiderat: coctioni aptatur somnus, concoquuntur [n] .n. humores in somno calore ad interiores partes contracto: expulsioni magis confert vigilia, siquidem in somno retinentur omnia quæ expellenda [o] sunt excepto

a Galen. l. 7. meth. ca. 6
b Gale. l. 9. meth. ca. 5
c Hippo. l. 4. acutor. 39.
d Gal. l. 1. de crisib. c. 3.
e Hippoc. l. 6. epidemiorum & Galen. l. 2. de Tu. valet ca. 2.
f Arist. l. de somno & vigilia.
g Aristot. ibidem.
h Hippoc. & Gale. 4. 5. epid. Tex. com. 14. & Gale. 3. de caus. puls. cap. 9.
i Hipp. 2. l. aphor. 3.
k Hippoc. & Gael. 2. l. acut. Tex. com. vlt.
l Galen. 4. 6. epidem. com. 17.
m Hipp. 4 6. epid. 14. & l. 3. de causa puls. c. 9
n Gale. 4 6. epid. com. 17.
o Hippoc. & Galen. 4. aphorism. Tex. 15.

cepto ſudore. Quare confert ſomnus & ad concoquendum humorem putrem, & ad ſudorem educendum: nocet tamen quatenus noxios ſuccos ad viſcera [a] allicit, & caput implet. Quo nomine ſemper alienus eſſet, niſi plus proficeret coctione. Multum autem detrahitur de noxa quam afferre ſolet, ſi febricitans eo tempeſtiue vtatur, vt dum viget acceſsio, & ad remiſsionem iam intendit: non in principio, cum humores contrahuntur ad partes internas, vel in incremento, cum adhuc contracti ſunt. Lenitur & vis quam ſomnus habet calefaciendi partes internas, ſi homo dormiat in aere frigido, veſtibus tamen tectus, vt præcipit Hippocrates [b] in his qui caloré acrem habent: ſic.n. refrigeratur cor, & non clauduntur à frigore foramina cutis: vt autem fit, ita etiam conuenit poſt cibum [c] & coctionem ſomnus. Prębet cibus [d] materiã facientem ſomnum, & ſomnus ipſum concoquit, itaut ſi bi mutuo auxilientur. Motus & quietis eadem ratio eſt quæ ſomni & vigilię: reſpondet quies ſomno: (reuocat enim calorem ad partes internas & coctionem perficit,) motus vigilię: (elicit.n. calorem ad externas partes & alimentum diſtribuit:) quò nomine accommodantur ad vires reficiendas. Conuelluntur autem vires nimio motu; quiete potius recreantur: febri autem alienus [e] eſt motus, cum calefaciendi vim habeat: aptatur quies, cum refrigeret & madefaciat. Laudat Hippocrates [e] in calida natura quietem, reprænheditque Prodicum, qui febricitantes vehementer exercebat. Humor putris qui febrem accendit, vt concoquatur, maxime quietem [f] expetit, magis.n. aſsidue ſic attingitur quod concoquendum eſt à partibus ſolidis: ſed vt per ſudorem expellatur aliquid, confert motus, veluti frictio mollis, cum febris iam incipit remitti. Perturbationum ac tranquillitatis animi eadem ſimiliter ratio eſt: reſpondet tranquillitas [g] quieti: perturbatio, motui. Quamobrem viribus reficiendis, febri, & cauſæ, magis conuenit tranquillitas, quam perturbatio: ſicuti magis quies, quam motus: quæuis perturbatio, propter motum ſanguinis, alie na eſt: ſed potiſsimum ira, in qua non ſolum mouetur, ſed etiam feruet ſanguis: minus nocet ſpes & gaudium, ſub quibus calor ab internis partibus effunditur ad externas.

Reſtant ex his quę ſub victu continentur, ea quæ expelluntur, ac retinentur, quorum moderationem vires deſiderant: nam vbi retineantur quę expelli ſolent, ſtrangulant calorem innatum, & idcircò vires labefactant: vbi expellantur quæ retinenda ſunt, vires exhauriunt: quamobrem danda opera eſt vt educantur quæ naturaliter redundant, veluti deiectio, ſudor, vrina & vt retineatur ſi quid nimis profluat, quod, quò pacto fiat, docebimus cum

ad

a Galen. 4. aphoriſm. 67. com.

b Hipp. 4 6. epid. 16.

c Hippoc. 6. epid. 8.

d Ariſt. l. de ſomno & vigilia

e Hippoc. 4. 6 epid. 15. & 3 6. epi. Tex. com. 31.

f Hippoc. & Gal. 4. acutorũ. Tex com. 44.

g Galen. 4. 6. epid. co mento 15.

ad curationem symptomatum veniemus. hactenus de victu, & de opere à viribus requisito.

De refrigerantibus & madefacientibus ad febrem adhibendis. Cap. III.

MORBVS, hoc est febris, id opus desiderat, [a] vt hominem refrigeremus, & madefaciamus. Instrumenta quæ hoc præstant, partim ad victum, partim ad medicamenta, partim ad chirurgiam referuntur. Ratio victus qualis requiratur aut tolleretur à febre, proxime declarauimus: sequuntur medicamenta, quę differunt ab his quæ sub victu continentur, quod non sint vsitata [b] sanis: requiruntur hæc frigida & humida, siue tactu [c] talia sentiantur, siue facultatem [c] habeant refrigerandi, & madefaciendi, quamuis talia non videantur: possunt tam hæc, quam illa & intus dari, [d] & extrinsecus adhiberi. Ordiamur ab his quę intus dantur; omnium efficacissimum est aqua frigida potui data, quæ non solum refrigerandi, & madefaciẽdi vim habet, sed tangitur etiam frigida & humida, & idcirco cuiuslibet [e] febris remedium est: sed cum magnum sit auxilium, non conuenit nisi magnis febribus, vt [f] continentibus, synochis, ardentibus, quarum proprium est medicamentum, præsertim si homo non assueuerit [g] ipsam bibere cũ sanus est: adde quod nemo ferè solet ex his qui eam bibunt, affatim ipsam haurire cum sani sunt, sicuti quando datur febricitantibus medicamenti loco; omnibus ergò ferè medicamentum est; refrigerat.n. & madefacit & propterea febrem extinguit, temperat feruorem, & tenuitatem bilis, & reddit solidas partes validiores, itaut expellant [h] deiectione, sudore, vrina, vomitu id quod noxium est; præter quam quod imminentem [i] tabem propulsat, refrigerando ac madefaciendo. Videndum tamen an repudietur ab alijs rebus siue secundum naturam, siue præter naturam, siue medijs. Ex rebus secundum naturam si homo gracilis [k] sit & exigui caloris, non assuetus potioni aquæ frigidæ, summopere lædi-tur, interdum [l] enim extinguitur calor, superuenit singultus, neruorum distentio, difficultas deglutiendi, & tandem interitus. Ex rebus præter naturam reijcit aquæ frigidæ potum, humorum cruditas, obstructio, inflammatio, [m] quæ augentur aquæ frigidę potu; ærisipelas tamen exquisitum hoc solo remedio curatur. Aer autem, qui medius est inter res naturales & prȩter naturam, si frigidus est, prohibet potionem aquæ frigidæ, cum periculum sit ne refrigeratum [n] corpus ab aere, non possit deinde sustinere aquam frigidam, quod non euenit ęstate, confert.n. calor aeris

a Gale.l.11. meth. c.9.

b Gal.p. actor. com.6

c Gale.l.11. meth.ca.2

d Galen.l.x. meth.c.7.

e Gale.l.11. met. ca.9.

f Gal.9.meth.cap.5.

g Galen ibidem.

h Galen. ibidem.

i Gale l. de marasm.c.7

x Galen.l.9. meth. ca 5

l Galen. ibidem.

m Galen.ibidem.

n Gal.l.11. meth.c.9.

ad

ad remittendum frigori aquæ. Sed fac requiri à morbo potum aquæ frigidæ, repudiari verò ab aliqua alia rè, præferre tunc oportet vt sepe diximus id quod magis vrget. Alexander [a] Trallianus, tunc pro aqua frigida dat potui calidam, quæ paulatim deponens calidos vapores, reuertitur ad naturam suam frigidam: & ita refrigerat simul & madefacit temperatque ardorem bilis: quam nos sępe vsu comperimus plurimum profeciſſe. Venit in mentem Thommæ Cornacchini Medici clariſsimi, quo cum mihi ſumma neceſsitudo intercedit, hic annum agens trigeſimum ſextum incidit in febrem bilioſam ſatis ardentem; cumque non cederet feruor flauæ bilis alijs medicamentis, neque liceret ob viſcerum obſtructionem aquam frigidam dare, dedimus calidam largè, quà ſumpta ſtatim remiſſa eſt febris, & anxietas incredibilis, quam flauabilis afferebat in ventriculo. ſunt qui cum aqua frigida miſceant aliquid aceti, vel puri, vel cum ſaccharo mixti, per quod aut euomitur, aut facilius penetrat, & diſtribuitur per corpus. Liberaliter autem danda eſt, itaut homo quantum vuult bibat. quod Hippocrates etiam in febre ardente prȩcepit non ſolum de aqua, ſed etiam de mulſa [b] loquens. At non quouis tempore conuenit, ſed tantum vbi apparet [c] coctio: quod non accidit venæ ſectioni, licet .n. ſanguinem mittere etiam vbi cauſa febrem faciens cruda eſt. Præter potum aquæ frigidæ licet etiam vti medicamentis quę non tactu, ſed facultate frigida ſint, cuiuſmodi ſunt quæ à pharmacopolis nunc ſyrupi nominantur, vt acetoſus, violatus, de endiuia, de Cicorio, de Acetoſitate citri, de omphacio; miſcentur autem cum aqua, in qua fuerit incocta frigida aliqua herba; velut i lactuca, cucurbita, nimphea, oxalis, endiuia, cicorium. Sunt [d] qui eiuſmodi aquam per clyſterem in aluum demittant, quod comodiſsimum eſt, vbi materia putreſcens, & focus ipſe febris reſidet in ventre. Sumitur etiam vtiliter ad refrigerandum & madefaciendum confectio diacodion, ſaccarum viola, vel roſa conditum. Ex medicamentis externis maxime præſens eſt balneum [e] aquæ frigidæ: eſt autem medicamentum illis, quibus non eſt vſitatum dum ſani ſunt: cauendum tamen ne detur vbi naturalis calor debilis ſit, & homo gracilis, hyeme, ſed vt præcepit Hippocrates [f] in ſanando neruorum rigore per frigidæ aquę perfuſionem elegit .n. iuuenem bene carnoſum, media æſtate. vbi tamen periculum ſit ne homo ex febre ardente in tabem incidat, licet homo gracilis ſit, prȩſtat experiri anceps hoc auxilium, ſiquidem vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem. Valet etiam ceratum [g] liquidum, quo thorax & præcordia inunguntur; idonei ſunt & ſucci herbarum frigidarum, vt lactucæ, ſemper viuij, vmbilici veneris

quibus

a Trallian. l. p. cap. 13.

b Hippoc. 4. acutor. 5.

c Gal. 9. meth. c. 5.

d Auic. l. 4. ſen. p.

e Galen. l. x. meth. c. x.

f Hippo. l. 5. aphor. 21.

g Galen. l. x. meth. c. 9.

quibus inſpergitur aliquid polentæ. proprie autem ad caput refrigerandum accommodatur oleum roſa conditum, cui aceti aliquid adiectum ſit. Tertium inſtrumentum, quò ad refrigerandum vtimur, eſt chirurgia, cum ſecatur vena, ſanguinis enim miſſio [a] non per ſe & quatenus res frigida febricitantem refrigerat, ſed quatenus adimuit materiam calidam, eo modo quo refrigeratur conclaue aliquod ſubtractis lignis, quæ incendebantur.

a Gal. 11. methcap. 11.

De ſuccis ſemiputribus per coctionem curandis. Cap. IIII.

PVTREDO, quam diximus eſſe proximam cauſam propoſitæ febris, quatenus facta eſt remoueri [b] debet, quatenus adhuc fit, poſtulat vt remoueatur cauſa quę eſt prohibitus perſpiratus, de quo in ſequentibus agemus; nunc .n. tractabimus putredinem factam, quæ adimenda eſt; adimitur autem detractis humoribus putribus. interdum tamen euenit vt non ſint ex toto putres, ſed relicti in corpore corrigi poſsint, & tunc poſſunt exinaniri; non tamen neceſſe eſt cum reduci poſsint ad naturalem ſtatum per coctionem: [c] quod opus nunc nobis proponitur vnà cum inſtrumentis per quę perficiatur. Definiuit Ariſtoteles [d] coctionem, perfectionem à naturali & proprio calore, in humido & ſicco, in quâ definitione genus ſumitur à forma, differentia à cauſis, videlicet ab efficiente & materia; forma eſt perfectio quam acquirunt ea quæ concoquuntur, mutantur .n. & fiunt perfectiora, neque ſolum apparent mutata vt volebat Aſclepiades, [e] ſed rè ipſa [f] mutationem accipiunt; quod intelliges ſi intuearis genera eorum, quę concoquuntur, vt arborum fructus, alimentum in animalibus, & cibos, qui ad ignem admouentur, mutationes quæ fiunt alimenti in nobis vt prima in ventriculo, ſecunda in venis, tertia in partibus ſolidis cum iam aluntur, omnes ad coctionem ſpectant. perfectio, quę per coctionem acquiritur, aut dat ipſum eſſe quemadmodum in his quæ gignuntur, aut vſum aliquem his quæ genita ſunt, vt odorem, colorem, ſaporem, craſsitudinem, & ita vel ſubſtantiam vt in ſemine fructus, vel accidens vt in pericarpio, vtriuſque .n. coctionem ponit Theophraſtus [g] in fructu, ſeminis quidem ad procreandum, pericarpij ad vſum. perfectio, quam acquirunt quę concoquuntur in animali, eſt vt reddantur ſimilia partibus [h] à quibus concoquuntur; quę cruda manent non mutantur, neque reddantur ſimilia: id quod patebit ſi tres ſpecies [i] crudorum inſpicias, quæ opponuntur totidem coctis, maturis videlicet, elixis, aſsis, in nullis .n. deprehenditur perfectio acquiſita. Cauſa efficiens ponitur ab Ariſtotele [k] internus ac proprius calor, hunc primus poſuit

b Gale. l. 11. meth. c. 1.

c Gal. l. artis med. c. 89.

d Ariſt. l. 4. metheororum ca. 2.

e Galen. l. p. de natur. fac. cap. 2.

f Ariſt. l. 2. de anima Tex. 43.

g Theophraſtus l. p. de cauſ. plantarũ c. 18.

h Gal. l. 2. de natur. facul. cap. 7. & l. 4. acutorum commento 44.

i Ariſto. l. 4. metheor. cap. 2. & 3

k Ariſtot. ibidem ca. 2.

posuit Hippocrates[a] auctorem coctionis, frigus autem eatenus ad concoquendum confert, quatenus calorem contrahit, qui efficacior[b] redditus perficit coctionem: debet tamen calor esse moderatus, nimius .n. magis vrit quam concoquat: debet item calor concoquens, magis esse humidus quam siccus in corpore nostro, nam quæ concoquuntur in nobis magis elixantur quam assentur, quamuis contra senserit Ærasistratus;[c] quamobrem pueri quibus calor humidus inest, magis[d] valent ad concoquendum quam iuuenes, qui calidi sunt & sicci: hunc calorem moderatur[e] anima & in his quæ gignuntur, & in his quæ aluntur, adeo vt non referendus sit ex toto ad elementa, sed etiam ad cœlum. Materia, quæ coctionem accipit, est humor vnà cum siccitate, aqua .n. & quę aquosa[f] sunt coctionem non admittunt: difficilius autem coquuntur quæ magna,[g] quam quæ parua, quę mollia, quam quæ dura, quæ calida[h] quam quæ frigida, magis enim ab interno calore superantur. hæc quę dicta sunt de coctione in corpore nostro proprie pertinent ad alimentum, quod verè concoquitur & simile redditur, pertinent tamen & aliquomodo[i] ad ea quę redundant & detrudenda sunt, neque possunt conuerti ad substantiam nostram; dicuntur autem concoqui, quod reddãtur similia partibus, à quibus concoquuntur, quantum fert eorum natura: perfectio, quam acquirunt, est quidam vsus, minus .n. lędunt odore, acrimonia, tenuitate, concretione: in vniuersum .n. tam alimenta quam quæ ex ipsis superant & detrudenda sunt, cum concoquuntur crassitudinem[k] aliquam acquirunt, quod absumantur partes magis aquosæ à calore concoquente; sed quæ frigore concreta sunt, cum concoqui incipiunt, liquescunt, & ideo apparent tenuiora, quamuis vbi liquata sunt & concoqui ceperunt ipsa quoque crassiora reddantur; coctio .n. quęlibet crassitudinem addit; cum verò sanguis in sinistro ventriculo cordis vertitur in spiritum tenuior redditur, hæc tamen mutatio *σένσις*, quasi[l] ebulitio, magis nominanda est quam coctio, separatur .n. ibi spiritus à sanguine vt in intestinis à deiectione succus, quem primæ venæ alliciunt. Exposita natura coctionis eorum, quæ vel vertuntur in alimentũ, vel expellenda sunt, videndum est quibus instrumentis perficiatur, quibusue vtendum sit ad semiputres succos, qui febrem accendunt. cum à calore interno fieri coctionem dixerimus, videtur esse ex toto opus naturæ & non artis, cum nihil videantur posse proficere externa, verum aliter res se habet; nam cum calor concoquens debeat esse moderatus, & qui validior est vrat, qui imbecillior non satis coctionem perficiat, medicus potest remittere calorem vbi immoderatus sit, & augere vbi imbecillus; remittet per instru-

a Hipp. l. p. aphorism. 14. & 15.
b Galen. l. p. aphorism. com. 15.
c Gal. l. 2. de natur. fac. cap. 6.
d Gal. l. 3. de caus. symptom. c. 3.
e Arist. l. 2. de anim. Tex. 42.
f Aristot. l. 4. metheor. cap. 3.
g Arist. l. 3. de par. animal. cap. 5.
h Galc. 2 l. epid. com. 6.
i Arist. l. 4. metheor. cap. 2.
k Arist. l. 4. metheor. c. 2. & l. 3. de part. animal. c. 5
l Arist. l. de respirat. cap. 8.

inſtrumenta refrigerantia ſuperius poſita cum de victu, & medicamentis febris calorem refrigerantibus locuti ſumus; augebit per ea, quæ vel tactu calida ſentiuntur vel facultatem habeant calefaciendi ſiue proxime, ſiue alio interiecto medio. quę tactu calida ſentiuntur externa conferunt ad coctionem, vt balneum aquę dulcis, & fomenta, veluti etiam [a] catuli, aut pueruli admoti aduentriculum: nonnihil etiam confert calor ſolis vt ad maturitatem fructuum, ita etiam ad concoquendos in nobis humores, qui hyeme ex appulſu aeris frigidi magis crudos ſe oſtendunt. cauendum [b] tamen balneum eſt vbi ſit multitudo & cruditas humorum, ne fuſi ferantur ad vaſa anguſtiora & obſtructionem augeant. Facultatem habent calefaciendi complura, quæ & intus ſumuntur & extrinſecus dantur, intus quidem alimenta & præcipue [c] vinum, quod conuertitur in ſubſtantiam calidam, à quà no ſter calor auctus melius concoquit quę cruda aut ſemiputria ſunt; nocet tamen, cum permeans per venas, ſecum trahit craſsiores ſuccos & obſtructionem affert; quare non eſt quod prius bibatur, quam appareant [d] ſigna coctionis, tunc .n. non ita periculum eſt ne fiat obſtructio. extrinſecus imponitur ad maturandum pus cataplaſma [e] ex tritico & ſaliua, vel ex farina triticea, auget .n. ſubſtantiam caloris noſtri cum ab ipſo calefactum eſt. Alio interiecto medio augetur calor, vel cum intro compellitur, vel cum retinetur calida expiratio, vel cum non euocatur extra. Compellitur autem intro à frigore aeris circumfuſi, quamobrem hyeme melior fit coctio, quò tempore Hippocrates [f] ventres eſſe calidiſsimos natura poſuit, & plurimum cibi voluit dari. retinetur calida expiratio obſtructis foraminibus cutis, vt à cataplaſmate aliquo, quod tamen tentandum non eſt, vbi magna ſit putredo; augeretur .n. prohibito perſpiratu. Non euocatur calor ad partes externas, ſi homo quieſcat præſertim ſi dormiat; nam ſomnus non ſolum non euocat, ſed magis contrahit calorem ad partes internas; quò nomine quies [g] & ſomnus ad coctionem conducunt. frictio verò, [h] quamuis quieti opponatur & propterea videatur obeſſe coctioni, prodeſt tamen ſi moderata ſit, quod calorem excitet, & id circo augeat non ſolum in partibus externis vbi perficitur tertia coctio, & alimentum redditur ex toto ſimile ſubſtantiæ noſtræ, ſed etiam in internis. At non tantum iuuant coctionem quę pertinent ad vim effectricem, ſed ea quoq; quæ materiam concoquendam præparant extenuando, [i] incidendo, madefaciendo; quæ tenuiora, minus glutinoſa, & magis humida facilius concoquuntur quam contraria: pluuia etiam confert ad maturitatem fructuum, facilius .n. concoquuntur quæ madent quam quæ arida ſunt.

a Gal. 7. meth. cap. 7.

b Gale. l. 11. meth. c. 9

c Gal. ibidē & l. p. ad Glauc. c. 9

d Gale. locis dictis.

e Galen. l. 5. ſimplic. c.

f Hippo. l. p. aphor. 15.

g Galen. & Hipp. l. 4. acut. Tex. com. 44.

h Gale. l. 12. meth. ca. 3

i Gal. ibidē.

De

De putredine ex corpore educenda. *Cap. V.*

PVTREDO, quam proximam febris cauſam eſſe diximus, vbi ex toto facta ſit, non poteſt amplius corrigi per coctionem, ſed neceſſe eſt putres [a] ſucci educantur, quod opus quo pacto fiat & quibus inſtrumentis nunc oſtendendum eſt. primo autem ſtatuere oportet an exinanire corpus cõueniat, deinde quæ animaduertenda ſint in eiuſmodi opere. Intelligemus exinaniendum nè ſit ſi intueamur requirentia & tolerantia, hoc .n. non ſecus atque alia opera effici debet cum requiritur & toleratur. in febre nobis propoſita requiritur hoc opus à cauſa proxima hoc eſt, à putredine [b] humorum, qui corrigi non poſſunt, tum [c] à multitudine obſtruente quam ſequitur prohibitus perſpiratus & putredo; quamquam vtiliter etiam exinanitur interdum corpus febricitantis vt refrigeretur, veluti vbi eſt magna copia [d] ſanguinis; loquor autem de exinaniendis humoribus & non de his quæ naturaliter ſuperant, vt de vrina, deiectione, ſudore, quæ ſupra [e] ſub victu tractauimus cum de conſeruandis viribus loqueremur. At non ſtatim exinanire corpus febricitantis oportet cum hoc opus requiritur, ſed videndum an toleretur à rebus naturalibus, præter naturam & medijs: ad res naturales pertinent vires & temperatio corporis: vbi vires [f] validæ ſunt ferunt eductionem humorum, neque .n. refert ſi paulum debilitentur, vbi imbecillæ non admittunt hoc auxilium, quia periculum eſt ne conuellantur, prẽterquam [g] vbi opprimuntur à multitudine; tunc .n. exinanito corpore validiores fiunt; quod ſi multitudo cum imbecillitate copuletur, viciſſim exinanire [h] multitudinem, & reficere vires oportet. ad vires refertur temperatio, ætas, habitus corporis, quę vbi talia ſunt, vt exinanito corpore debilitentur vires, vt in pueris & in his qui molliores ſunt, reijciunt hoc remedium; contra, vbi tales redeant vires vt reniti poſsint, ipſum admittunt, ad vires etiam refertur aer, qui vbi [i] calidus eſt, non permittit corpus exinaniri, quod periculum ſit ne vires deficiant ſub æſtu debilitate. Ex rebus præter naturam morbus, vt ardor ipſe febris, non ſinit exinaniri [k] corpus quod vires debilitet; ſicuti dolor, neruorum diſtentio, aut aliud eiuſmodi ſymptoma, quamquam etiam ob inſtrumenta quibus vtendum eſt aut ad purgandum, aut ad vrinam mouendam, quod nimis calefaciant, non ſinitur corpus exinaniri. vbi controuerſa [m] ſint quæ requirunt aut requiruntur, tribuendum, vt in alijs ita in hoc plus ei quod magis vrget. Vbi ſtatuerimus exinaniendum eſſe corpus, obſeruare oportet animaduerſiones neceſſarias,

a Gal. de arte medic. cap. 89. & l. 11. meth. cap. 8.

b Gale. l. 11. meth. c. 8.

c Gale. l. 11. meth. c. x.

d Gal. l. 10. meth. c. x.

e Supra cap. 2. huius libri.

f Gale. l. 9. met. ca. x.

g Galen. ibidem.

h Galen ibidem.

i Hipp. l. 4. aphor. 5.

k Hippoc. & Gale. 4. aphor. 1ex. com. 24.

l Galen. 11 meth. ca 9

m Galen. ibidem.

vt

vt qualitatem, tempus, modum, ordinem. Qualitas in eo consistit vt intelligamus quos humores exinanire oporteat; illi autem exhauriendi sunt, qui febrem, putredinem, vel obstructionem efficiunt: nam vt præclare monuit Hippocrates,[a] si qualia oportet purgare purgentur confert & bene ferunt; quod præceptum comuniter pertinet ad omnia quę ex corpore nostro quouis modo exhariuntur. Quantitas effusionis respondere debet quantitati succorum eam requirentium modo vires ferre possint, nam vbi imbecilliores sunt[b] non licet exquisite corpus exhaurire. Modus educendi eò pertinet vt quod exinaniendum est, vel totum simul educatur, vel iteretur detractio, materia quæ tota simul morbum facit vt sanguis in febre synocha,[c] tota simul exhaurienda est, quę verò subinde putrescit, subinde educenda est, veluti per sudorem in febre intermittente. Vires magis ferunt partitam detractionem quam totam simul, quamobrem iterare[d] tunc oportet vbi illæ infirmæ sunt; quamuis alioquin tota simul requiratur, veluti ad febris ardorem extinguendum. Tempus est educere eiusmodi succos cum febrem, putredinem & obstructionem efficiunt, modo vires ferre possint, quæ tunc ferunt facilius hoc auxilium cum minus homo affligitur ab accessione; quamobrem eligere diem & horam magis quietam oportet. Ordo vbi plura auxilia requirantur idem teneri debet quem constat esse inter requirentia, ad id ergò prius spectandum est, quod vel dignius est vt ad vires[e] reficiendas, vel causa futurorum, vt ad extenuandum & ad humores educendos. Via quà exhaurire corpus oportet, ea ipsa est ad quam natura[f] materiam superantem impellit, modo nihil fit quod prohibeat, veluti gracilitas[g] vomitum: varię autem sunt viæ vt per sanguinis missionem vrinam, sudorem, quæ varia instrumenta desiderant, de quibus sigillatim dicemus exorsi à sanguinis missione.

a Hipp. l. p. aphorism. Tex. 2. & 25.

b Gale. l. 9. met. ca. 8.

c Gal. 9. meth. cap. 4.

d Galen. l. 9. meth. c. x.

e Gal. l. 9. met. c. 13.

f Hippoc. p. aphor. 21.

g Hipp. l. 4. aphor. 8.

Sanguinis missio requiritur, vbi sanguis aut nimia copia aut qualitate nocet, & idcirco in proposita[h] febre ad detrahendam putredinem & multitudinem inminuendam; præterea ad ardorem ipsum[i] febris extinguendum: cessat .n. detracto sanguine quemadmodum ignis ademptis lignis. neque obstat, quod non omnes febres, quæ putredinem sequuntur, consistant in sanguine putri, sed plæręque à flaua, vel atrabile aut pituita putrescente oriantur, nam in his, quæ assiduæ sunt, humores putrescunt in venis mixti cum sanguine & simul cum eo effunduntur; [k] in intermittentibus verò incipiunt putrescere in venis, vbi & obstructionem efficiunt: quamuis statim ex[k] venis transferantur ad partes exteriores vbi perseuerat putredo & febrem accendit, dum quasi in cinerem,

h Gal. l. xi. met. c. 15.

i Gal. l. 10. met. c. x.

k Gal. l. 2. de dift. febr. cap. 11.

rem, veluti ea quæ vruntur, conuertantur, quamobrem in his etiã si mittatur ſanguis detrahitur ſimul humor ille qui ſi maneret in corpore putreſceret & nouas febres accenderet. Scire tamen licet ſanguinis miſsionem eſſe magnum remedium, & idcirco non neceſſarium eſſe niſi vbi magna [a] ſit febris, aut magna expectetur: in tertiana exquiſita quæ neque eſt neque expectatur talis, vt in ſequentibus patefiet, non eſt [b] quod ſanguinem mittas. At non ſatis eſt ſi requiratur ſed debet ferri ſanguinis miſsio potiſsimum à viribus, [c] ad quas refertur ætas non modo ſenum, ſed etiam puerorum quibus non licet ante decimũ quartum annum ſanguinem mittere ob vires, quæ licet validæ appareant debilitarentur; quoniam eorum corpora plurimum digeruntur: refertur etiam ad vires aer valde [d] calidus vt æſtiuus, qui vbi eas debilitet non permittit ſanguinem detrahi, vt dolor, morſus in ore ventriculi, alui [e] profluuium: hęc .n. omnia non alio nomine reijciunt venæ ſectionem quam quod reddunt vires inbecillas: vbi requiratur ſanguinis miſsio, & non toleretur à viribus, omittenda eſt, ne cum ipſis vita deficiat, aut paululum [f] detrahendum eſt, & iteranda detractio aperiendaque vena admodum exilis, ſiue exaſperando cutim ſcalpello, ſiue ad mouendo ſanguiſugas ad anum. Cum vero ſtatueris non ſolum requiri, ſed etiam ſuſtineri poſſe ſanguinis miſsionem non neceſſe eſt qualitatem animaduertere, veluti in dando catarctico, cum ſecta vena qualiſcumque ſit ſanguis educatur; ſed magis videre oportet ex quà vena mittendus ſit. cum febris ſit morbus [g] comunis totius corporis æqualiter ex quauis parte videtur ſanguis mitti poſſe; ita vt liceat quamuis venam ſecare: eligimus autem magnam aliquam veluti in cubito, vt celerius ſuccurramus: vbi vires imbecilliores ſint pręſtat, vt paulo ſupradiximus, ſecare exilem aliquam, vt in pede, aut manu, vel ſanguiſugas adhibere ad venas in ano ſanguinem fundentes. Tantum autem detrahendum ſanguinis eſt, quantum copia recedit à moderatione; non tamen educendus eſt ille vniuerſus qui qualitate vitioſus eſt, nam dempta aliqua parte [h] qui relinquitur ſatis vel corrigitur vel expellitur à natura: in magnis tamen febribus vſque ad animi defectionem detrahendus eſt ſi vires valeant; quod ſi infirmæ ſint neque ſinant tantum detrahi quantum res poſtulat, ipſis potius conſulendum eſt, & parcius mittere oportet. Expedit etiam in febribus vbi vires valeãt totum ſimul detrahere eum quem detrahendũ eſſe conſtituimus, vt ſtatim remittatur feruor febris, & putredo, atque obſtructio ceſſet; vbi non ita valeant neceſſe eſt miſsionem [k] iterare. Tunc verò mittendus eſt cum copia vel qualitate nocet modo ferri poſsit à viribus, ob quas eligere

a Hippo. l. 4. acutorũ 19.
b Gal. l. p. ad Glauc. c. 9.
c Hippoc. & Gal. 4. acut. 19 & Galen. l. 11. meth. c. 14
d Gal. ibidẽ.
e Gale. p. ad Glauc. c. 14
f Gal l. 9. meth. c. x.
g Galen. l. de curat. per venę ſect. cap. 19.
h Gale. l. xi. met. c. 15.
i Gal. l. 9. meth. cap 14. & l. p. aph. com. 23.
k Galen. l de curat per venæ ſect. cap. 21.

gere diem & horam minus moleſtam conuenit; magis enim tunc renitentur, & ſuſtinebunt hoc auxilium. Quod ſi plura alia ſimul requirantur ille ordo tenendus eſt in operibus perficiendis qui eſt inter res à quibus requiruntur, primo exempli gratia reficiendæ [a] vires ſunt, deinde mittendus [b] ſanguis, poſtea extenuandi humores craſsi, & tandem vtendum catarctico vbi hæc omnia requirantur. Inſtrumenta quibus ſanguis mittitur ad chirurgiam ſpectant quæ ſcalpello venam aperit aut adhibet ſanguiſugas.

Purgatione educuntur humores [c] ſua qualitate peccantes, veluti pituita, flaua atque atra bilis, quæ immoderatione frigoris, caloris, humoris vel ſiccitatis nocent; requiritur purgatio ab illis febribus, quæ ſequuntur putredinem eorum humorum quos diximus ſua qualitate peccare, vt pituitæ, flauæ vel atræbilis: videndum tamen eſt vbi requiritur, toleretur nè à rebus naturalibus, præter naturam, & medijs, ad res naturales refertur temperatio, ætas, conſuetudo, ac [d] ratio victus quæ omnia ſpectant ad vires; hę verò ſi validæ [e] ſunt ferunt, ſi imbecillę reijciunt purgationem. ex rebus præter naturam morbus, hoc eſt febris ipſa, non videtur purgationem admittere, cum fiat per catharctica, quæ calida [f] ſunt, neque. n. tuto additur calor calori: ſed hoc potiſsimum accidit febribus [g] acutis, nam in alijs non ita febricitantem lædunt catharctica, quare in acutis, aut eligentur imbecilla & valde lenia, aut ſi cogamur quemadmodum vbi materia turget præferemus minorem noxam, quam catharctica afferre poſſunt maiori, quam afferrent humores turgentes, ſi tenderent ad partem aliquam nobilem. Ex rebus medijs aer valde calidus non ſinit corpus purgari, ſub cane inquit Hippocrates [h] moleſtæ ſunt purgationes, quoniam & additur calor calori, & vires debiles ſunt neque poſſunt ferre eiuſmodi auxilium. Cum purgatio requiritur & toleratur, eum humorem purgare conuenit, qui eſt cauſa febris, vt flauam bilem in tertiana, atram in quartana, pituitam in quotidiana: nam ſi qualia oportet purgare purgentur, inquit Hippocrates, [i] confert & bene ferunt: quamobrem neceſſe eſt vitioſum humorem internoſcere & idoneo catharctico exinanire. Quantitas purgationis reſpondere debet quantitati humoris purgandi, qui vbi multus ſit, ſi vires minus valeant conuellentur priuſquam vniuerſus fuerit exinanitus, atque idcirco neceſſe eſt tunc purgationem iterare, & non educere [k] totum ſimul quod educendum eſt, quemadmodum febris deſiderat, ſed magis ſpectandum eſt ad vires Tunc autem requiritur purgatio cum humor ſua qualitate peccans putreſcit & febrem excitat; non tamen ſuſtinetur toto hoc tempore, ſed tantum cum ille coctus [l] eſt, natura. n. vbi concoxit allicit ſi

a Gal. 9. meth. c. 13.
b Gal. de curat. per venę ſectionem c. 12.
c Galen. p. aphoriſm. com. 2.
d Hippoc. 2. aphor. 36
e Gal. 4. meth. c. 6.
f Gale. l. 11. meth. ca. 9. & l. contra Iulianum, cap. 7.
g Hippo. l. p aphor. 24.
h Hippo. l. 4. aphor. 5.
i Hippoc. p. aphoriſmorũ 2. & 25.
k Gal. 9. meth. cap. 10.
l Hippoc. p. aphor. 22.

quid boni est & quod reliquum est detrudit; iuuabunt igitur tunc mutuo se medicus & natura, si detur catharcticum vbi humor coctus est, hoc est in fine vigoris: in vigore maxime perficitur coctio & tunc, auctore Hippocrate, [a] quiescendum est: in principio, & incremento materia cruda est, neque facile sequitur, neque naturam habet impellentem. hoc autem pertinet non solum ad humores crassos, sed etiam ad tenues, qui cum cocti sunt à natura ipsa detruduntur & non dilabuntur huc atque illuc; sed sequuntur catharctica attrahentia; excipit tamen, Hippocrates [b] humores turgentes, hoc est qui impetu quodam per corpus mouentur neque certam sedem occupant: hos.n. à principio purgare oportet & quia facile educuntur à catharctico cum sponte moueantur, & quia sic euitatur periculum ne perniciose ferantur ad partem aliquam nobilem: vbi humor non turgeat expectare [c] coctionem oportet, neque vbi multus est minuendus est nisi per sanguinis missionem. vbi prauus quemadmodum in febre pestilenti incertum est expediat nè expectare coctionem an statim purgare quemadmodum in sequentibus docebimus cum veniemus ad febres pestilentes. Via purgandi duplex est, superior & inferior, dantur.n. catharctica quæ vomitu, & quę deiectione vitiosos humores purgent, tutior est deiectio, neque enim conuenit vomitũ mouere nisi vbi sponte incipit excitari, succi tenues vt bilios[i] [d] superne, crassi vt pituitosi & melancholici [e] inferne solent educi à natura quam sequi oportet. Quod si plura opera simul requirantur, tenere eum ordinem inter ipsa oportet quem nouimus esse inter ea quæ requiruntur, vires exempli gratia [f] reficiendæ sunt, tum extenuandus [g] humor, deinde catharcticum dandam. Sunt autem Catharctica, instrumenta quibus perficitur purgationis opus, alia autem dantur ad alios humores educendos, siue per vomitum siue per deiectionem quæ enarrabimus cum speciatim harum febrium curationem persequemur.

a Hipp. l. 2. aphor. 29.

b Hippoc. p. aphorism. 22. & l. 4. aphor. 10.

c Hippoc. p. aphor. 22.

d Hippoc. & Gale. 5. aphor. 6.

e Hippoc. 4. aphor. 9.

f Gale. l. 9. meth. c. 13

g Hippoc. & Gal. l. 2. aphor. 9.

Euocatio vrinæ quatenus educit aquosum humorem, qui etiã sanis quotidie colligitur, pertinet ad rationem victus; atque vbi retineatur, quibus auxilijs ciatur in sequentibus ostendemus cum persequemur curationem symptomatum; sed quatenus accomodatur ad exhaurieudam materiam putrem, quæ febrem accendit, & multam, [h] quæ obstructionem efficit, nunc tractanda est. Conuenit autem cum adest eiusmodi materia: modo toleretur; debet tolerari à viribus, quæ cum valde imbecillæ sunt [i] nullam humorum effusionem sustinent, quamquam minus offendantur ab hac cum paulatim fiat quam à purgatione, aut sanguinis missione. at debet etiam tolerari ab his quæ prẹter naturam sunt; reijcitur [k] à

h Gal. l. 11. meth. c. x.

i Galen. l. 9. met. c. 11.

k Gale. l. 11. met. cap. x.

febre

febre cum medicamenta quibus euocatur valde calida[a] sint & sicca; quare vbi febris vehemens sit, hæc vitabimus; licebit autem vti leuioribus quæ vt minus oberunt, ita etiam minus proficient. vbi etiam multitudo sit & crassitudo humorum periculum est ne augeatur obstructio si medicamenta dentur quę vrinam euocent. canales & receptacula, vnde transire vrina debet, si male affecta sunt non sinunt vrinam euocari. Sed fac requiri iam & tolerari obseruare eas animaduersiones oportet, quæ in alijs operibus atque instrumentis obseruantur. Quantitas materiæ quæ per vrinam educitur respondeat quantitati humorum vrinam requirentium, putrium videlicet & obstruentium vbi vel tenues per se fuerint vel extenuati; fertur autem à viribus eiusmodi quantitas propter modum effusionis, neque .n. subito exit & simul tota materia, sed paulatim pluribus[b] diebus. Tunc verò conueniunt quæ vrinam euocant cum materia à qua requiruntur cocta est; nam ante[c] periculum esset ne sub eiusmodi medicamentis augeretur obstructio. Vbi plura requirantur simul cum vrinam mouentibus, ea prius præstare oportet, quæ causa sunt cur reliqua tuto fiant, quare prius aut misso sanguine aut cathartico[d] multitudinem minuere oportet, tum crassitudinem extenuare, deinde venire ad ea quæ vrinam mouent: sic .n. non augebitur obstructio. Instrumenta idonea sunt medicamenta quæ quod vrinam ciant διυρητικά, græce nominantur, separant hæc[e] aquosum humorem à crassiore, quasi coagulum à sanguine serum, separatus tenuis humor à crassiore facilius & attrahitur à renibus & expellitur. Quæ hanc vim habent calida sunt[f] & sicca, non secus atque ea quæ lac cogunt: est etiam eorum iucundus odoratus; ascendunt ad tertium gradum caloris & siccitatis quæ valida sunt, vt semen appij, petrosellini, fœniculi, dauci, assarum, quę maxime suspecta esse debent cum febres vehementes sunt, cum leues non item; tunc .n. leuiora conueniunt vt potio aquæ, inqua iacuerint, vel bullierint radices appij vel fæniculi; huiusmodi est potio quam pharmacopolæ nominant syrupum acetosum de duabus, siue etiã de quinque radicibus. leuiora sunt & minus calefaciunt semina peponum, quæ ob lenem quandam vim detergendi ipsa quoque vrinam euocant & cum ea tenues humores.

Sudore postremo educitur[g] materia putris quæ febrem accendit, qui quamuis moueatur à natura magno tamen adiumento est ars; spectabimus primo an euocari debeat, deinde quibus animaduersionibus, & quibus instrumentis euocandus sit. debet autem euocari vbi requiratur & toleretur, requiritur in febricitantibus omnibus ab aquoso illo humore, qui non exit per vrinam,

a Gal. 5. simplic. ca. 18

b Gale. 4. aphorism. com. 74.

c Gale. l. 11. meth. ca. x

d Galen. ibidem.

e Galen. l. 5. simp. c. 13.

f Galen. ibidem.

g Gal. l. 11. meth. ca. x

sed per venas fertur ad cutem, diluens sanguinem vt facilius permeare possit, exitque deinde ex foraminibus cutis; sed eiusmodi sudor pertinet ad rationem victus quam supra tractauimus verum expelluntur cum sodore interdum humores tenues[a] vt bilioſi, aut etiam crassi & concreti, cum extenuati & liquati sunt, à quibus requiritur euocatio sudoris, cum & putrescentes febrem accendunt, & copia obstructionem afferunt. tolerari tamen debet sudor & primo à viribus, quæ vbi debiles sunt effusæ deficiunt: quó fit vt febricitantes nonnunquam in[b] remissione accessionis intereant. Viscera etiam imbecilla non sustinent relaxantia præsidia, à quibus euocatur sudor, sed magis postulant[c] adstringentia, vt calor & spiritus in vnum contractus conseruetur. Ex rebus præter naturam, febris vbi magna sit quemadmodum synocha non admittit euocantia sudorem quæ[d] calida sunt ne calor calori adijciatur. Multitudo item & cruditas humorum[e] reijcit ea quę sudorem euocant, quod periculum sit ne fundendo humores nimis obstructionem augeant: quare vbi requiratur sudoris euocatio, necesse est ante vires[f] reficere si languidæ fuerint, febris feruorem remittere, multitudinem minuere, & crassitudinem extenuare. Quod spectat ad modum euocandi, in febribus intermittentibus vt à natura, ita etiam ab arte debet iterari euocatio, in assiduis solet subitus sudor sponte superuenire[g] à quò soluuntur, & idcirco simul etiam euocandus est ab arte, modo vires id ferre possint; nam vbi infirmiores sunt expedit euocationem iterare. Tunc autem euocandus est cum non solum adsunt quæ ipsum requirunt, sed etiam facilius fertur; id quod euenit vbi innatus calor effundatur & non vbi contractus sit, atque idcircò non in principio aut incremento accessionis, sed in fine vigoris, & in remissione, quò tempore vtiliter datur potio[h] & sequitur somnus atque euocatur sudor. Quod si plura requirantur auxilia, vt refectio virium, detractio multitudinis, extenuatio crassitudinis vnà cum euocatione sudoris, ea prius adhibenda sunt quæ spectant ad id quod magis vrget, vt ad vires, vel quæ sunt cauſæ futurorum vt extenuatio[i] & detractio multitudinis, deinde mouendus est sudor. Instrumenta, quibus mouetur, vel ad facultatem expellentem pertinent, vel ad materiam expellendam, vel ad locum vnde expellenda est. Facultas si debilis sit confirmanda est, vt melius suo munere fungatur; confirmatur autem alimentis & potissimum vino tenui, quod vbi iam apparet[k] coctio vtiliter datur febricitantibus ad sudorem excitandum. Materia hoc est humor putris, vel obstruens vbi crassus sit, & glutinosus extenuari debet & incidi, Locus vnde exit sudor sunt foramina cutis

a Galen. 4. aphorism. com. 58.

b Gal. 3. crisium cap. 9

c Gal. 13. meth. c. 5.

d Gale. l. 11. meth. c. x

e Ibidē. Gal.

f Gal. 9. meth. cap. 13.

g Galen. l. 4. aphorism. com. 58.

h Gal. l. 2. crisi. cap. 3.

i Gale. l. 11. meth. ca. x

k Gal. l. 11. meth. ca. 9 & l. p. ad Glauc. c. 9

tis quæ neceſſe eſt pateant: quamobrem vtendum eſt relaxantibus moderate calidis & humidis, à quibus aperiantur, atque hæc proprie dicuntur ſudorem euocare. Poſſunt autem & intus dari, & extrinſecus adhiberi: maxime ad rem pertinet potio aquæ in qua decoctum fuerit [a] Camomelum, aut in quà bullierit hordeũ. Extrinſecus valet balneum aquæ [b] dulcis moderate calidum præſertim poſt acceſsionem cum iam remittitur febris, aut intermittit; nam ante alienum eſt. conferunt etiam cataplaſmata relaxantia: ſed cum adhibentur ad præcordia admiſcendum [c] eſt aliquod adſtringens. Vbi ſudor iam exit non ſatis conuenit inter medicos vt largius exeat relinquendus ne ſit, an detergendus: ſunt [d] qui exiſtiment relinquendum eſſe, quod ſic, quamuis obſtruat foramina cutis, tamen retinet calidam expirationem, quæ magis deinde ſudorem mouet: [e] plerique ipſum detergunt, vt apertis foraminibus magis pateat exitus: in quorum ſententiam imus, vſu enim ipſo comperimus magis euocari ſi detergeatur quam ſi relinquatur.

a Gal. 3. ſimplic. cap. x.
b Gal. l. 11 met. c. 20.
c Gal. x1. meth. cap. 16.
d Paulus ęgineta l. 2. cap. 47.
e Galen. l. x. meth. ca. x. & l. 8. meth. cap. 4. & Auic. l. 4. f. 2. tract. p. ca. 66.

De curatione obſtructionis & adſtrictionis prohibentis perſpiratum. Cap. VI.

ENARRATA curatione putredinis, quæ eſt proxima cauſa febris, videndum eſt qua ratione expedire oporteat prohibitum perſpiratum, quem ſupra oſtendimus eſſe proximam [f] cauſam putredinis. expedietur autem ſi auferatur continens cauſa, quæ vel adſtrictio [g] eſt, vel obſtructio. Ordiamur ab obſtructione: ceſſat hęc ſi obſtruentes cauſæ remoueantur, quas [h] diximus eſſe humores multos, craſſos, & glutinoſos. Multitudinem detrahere oportet ſanguinis miſsione, purgatione, vrinæ aut ſudoris euacuatione, vt proxime tradidimus. Succi craſsi & glutinoſi extenuandi, atque incidendi ſunt: quod opus nunc nobis proponitur. Requiritur autem vbi craſsi & glutinoſi ſucci obſtructionem afferunt; ſed videndum an toleretur præſertim à rebus præter naturam, nam vires extenuantium vſum facile ferre ſolent; ſed cum hæc ſint calida & ſicca febrem [i] augent, quæ cum ingens eſt aut non admittit extenuantia & incidentia, aut ea ſolummodo quæ imbecilla ſunt, nam valida non ſuſtinentur niſi vbi febres leuiores ſint. Quod ſi cum huiuſmodi humoribus craſsis, & glutinoſis iungatur [k] multitudo, periculum eſt, ne ſi adhibeantur extenuantia & incidentia, deducantur ad vaſa anguſtiora & obſtructionem augeant; quamobrem non prius veniendum eſt ad extenuantia & incidentia, quam multitudo fuerit exinanita. Vbi ſta

f Gale. l. x1. meth. ca. 4
g Gal. ibidẽ & l. 8. meth. cap. 2.
h Gale. l. 11. meth. c. x.
i Gale. l. 11. meth. ca. x
k Gal. ibidẽ.

tuerimus opus esse extenuantibus & incidentibus, eatenus incidere & extenuare oportet humores crassos & glutinosos quatenus ad debitam mediocritatem reducantur, reducuntur autem paulatim, neque .n. vt subito detrahitur sanguis, ita subito licet extenuare & incidere, sed paulatim hoc opus efficiendum est. Tempus extenuandi, atque incidendi est, cum adest crassa & glutinosa materia obstruens, modo liceat per [a] ardorem febris, aut per multitudinem. Ex quò colligitur ordo vbi plura opera requirantur, prius exempli gratia remittere feruorem, diminuere multitudinem oportet, deinde extenuare atque incidere. Instrumenta quibus vtimur ad hoc opus, aut sunt esculenta & poculenta, & ita sub victu conprænduntur, simul .n. & alere & mederi possunt; aut sunt medicamenta duntaxat, quę ad obstructionem internarum partium acria conueniunt, aut etiam amara; quod si simul nonnihil acerba sint, efficaciora erunt: quemadmodum ab synthium [b] in quo acerbitas parua est, & compellendo vim amaram magis detergentem reddit; valent herbę acriores vt calamentum, hysopum, origanum, puleium si incoquantur vel iaceant in aqua, quæ deinde potui detur, valent cappares ex oximelle, tum confectio illa quam diospoliticum, [c] & quæ diacalamentum nominatur. Si obstructio sit in foraminibus cutis detergenda est amaris & nitri vim habentibus medicamentis, sed carentibus [d] omni acerbitate; adstringerentur enim vel à modica acerbitate cum parua sint, & clauderentur. Quod si adstrictio perspiratum prohibeat in internis canalibus, sanare tumores oportet à quibus adstringuntur, sed in paruis foraminibus cutis necesse est vti [e] relaxantibus quæ calida sunt & humida: cuiusmodi sunt cataplasma, perfusio, balneum aquæ dulcis, de quibus supra locuti sumus cũ mouentia sudorem persequeremur, accomodantur .n. relaxantia ad sudorem mouendum. sed videndum est ne vires valde imbecillæ sint aut viscera infirma, nimis enim effunderentur spiritus, & extrema afferretur debilitas. prętera vbi sit multitudo periculum est ne nimis euocetur materia ad foramina cutis & ea obstruat, præsertim si dentur potui relaxantia medicamenta veluti camomelum.

a Galen. ibidem.

b Gal. l. p. ad Glauc. c. 9

c Gal. l. 4. de Tuen. val. cap. 5. & 7

d Galen. l. 5. simpl. c. 12

e Gal. 8. meth. cap 2.

De Curatione symptomatum sequentium febrem ortam ab humorum putredine. Cap. VII.

SYMPTOMATA supersunt ex rebus præter naturam curanda, hæc, vt in superioribus ostendimus, sequuntur febrem consistentem in putribus succis partim ob calorem ipsum exsiccantem

aut

aut liquantem, partim ob putrescentes succos qui tentant varias corporis partes. Tolluntur hęc non secus, atque alia symptomata sublato morbo & causa, à qua proficiscuntur: sed cum interdū aut periculosa [a] sint & vires conuellant, aut nimis molesta sint & hominem affligant, non permittunt expectari dum auferatur morbus vel causa, sed interea postulant leuationem aliquam, quam nunc sigillatim persequi instituimus: vbi illud prius in memoriam reduxerimus: quod quędam ex his symptomatibus, quæ febres sequuntur, crisima [b] sunt hoc est accidunt cum fit crisis, idest cum natura subitam morbi mutationem tentat, ea autem vel sunt symptomata tantum, quemadmodum actiones lęsę vel simul etiam [c] causæ quemadmodum expulsiones vt deiectionis, vrinæ, sudoris vomitus, sanguinis ex naribus. Quæ sunt tantum symptomata nullum postulant auxilium: statim enim cessant cum mutatio facta est, quę subito fit hoc est breui admodum tempore in quo non est quod symptomatibus succurras ac naturæ motum impedias. Expulsiones verò, quæ symptomata simul sunt & causæ crisimæ, si sufficiunt, satis hominem expediunt & à morbo & à symptomatibus; si nimis largæ sint coercendæ sunt, si nimis parcæ augendæ. Alia verò symptomata, quę crisima non sunt, contrario [d] opere lenienda sunt: quod quò pacto, & quibus instrumentis perficiatur, paucis exponemus in vnoquoque ex prędictis symptomatibus: vberius enim hæc tractabuntur in curatione membratim vbi symptomatibus medebimur sigillatim ad vnam quamque, partem attinentibus. nunc autem ordiemur ab his quæ siccitatem sequuntur quam affert calor febris, huiusmodi sunt sitis: linguæ asperitas, vigilia, adstrictio alui, neruorum distentio. Sitis sedatur si dentur ea quę appetuntur, frigida [e] & humida videlicet, quæ si valida fuerint quemadmodum potio aquæ frigidæ simul cum siti febrem auferunt, sed tunc non dicuntur curare symptoma, vbi minus valida sint, manente adhuc morbo, leniunt symptoma. prodest autem aer frigidus & humidus vbi sitis à pulmone [f] oriatur; nam vbi à ventriculo, prodest potio frigida & humida vt aquæ, cui aliquid aceti, vel oximellis compositi cum saccaro sit adiectum; aut in qua bullierit hordeum cui aliquid zulapij rosei, violacei, siue etiã serapij de endiuia adijciatur: nonnihil etiam ad rem pertinet abluere os aqua frigida; super imponere linguæ lactucam ex aqua frigida madefactam, tenere in ore aliquid cristalli, aut os cerasij vel pruni: exprimit .n. dum dimouetur in ore humorem ex glandulis, quæ iuxta sunt, & aliquo pacto linguam madefacit ac sitim lenit. refrigeratur etiam & madefit vniuersum corpus ex balneo [g] aquę dulcis, ita vt incredibiliter sitim extinguat: quod illi

a Gal. l. 12. meth. c. p.

b Gal. l. p. ad Glauc. c. 15

c Gal. l. p. crisium ca. 8. & cap. 14.

d Gal. l. 12. meth. ca. p. & l. 11. meth. cap. 12.

e Arist. l. 2. de anima Tex. 28.

f Gal. l. de arte medic. cap. 64.

g Hippoc. & Gal. l 3. de officina Tex. com. 15.

illi experiuntur, qui iter confecerunt æſtuoſa & puluerulenta via; vindicantur enim à ſiti paulo poſt quam in balneum ſunt ingreſſi: quę omnia proxime ſitim ſedant. Sed quædam alia aliquo interiecto medio, vt ſomnus [a] quatenus perficit coctionem, quà per fecta non feruntur amplius multi & calidi vapores ad linguam & fauces; quies, ſilentium, os clauſum, quod Hippocrates [b] monuit, quatenus non exſiccatur corpus motu, ſermone, fuligine, quæ ore aperto linguam afflicit, nam vbi clauſum habetur exit per nares. Exaſperatur lingua febricitantium ob nimium feruorem exſiccata, adeo vt, niſi ſuccuras, exulceretur: leniri autem oportet quod exaſperatum eſt, id quod in primis efficit lac ſi in ore teneatur, tum humor qui mucci inſtar extrahitur ex ſemine pſillij, aut malorum cotoneorum, aut ex dulci radice ſaccaro conditus. Vigilia quoque febricitantibus accidit ob calorem nimis exſiccantem atque abſumentem vapores qui cerebrum obſtruere & ſomnum facere debent; hanc lenire oportet implendo cerebrum humidis vaporibus, qui partim per nares ab aqua calida ad ipſum ferantur, partim excitentur à cibis & potionibus ex ventriculo & potiſsimum à vino, quod [c] niſi vehemens & vetus admodum ſit, vt ſi quid aliud, ſomnum facit. Vbi hęc non ſufficiant veniendum eſt ad medicamenta ſtupefacientia, quæ refrigerando faciunt pro ſomno [d] veternum; contrahunt. n. & claudunt iter per quod tranſire debent ſpiritus, qui præbent vim ſenſus & motus partibus cerebro ſubiectis: leuiora ſunt diacodion cum ſaccaro, & ſyrupus ex papauere; validiora quę accipiunt papaueris lachrymam vt philonium, requies Nicholai, & recens Theriaca; ſed hæc intus dantur; extrinſecus autem inunguntur nares, tempora, & caput oleo nymphea condito, vnguento populeon, aut perfunditur aqua in qua bullierit lactuca, papauer, hyoſciamus, mandragora. Affertur etiam neruorum diſtentio à calore exſiccante, quæ curationem [e] non admittit, nam ſi liceret ſolidæ ſubſtantiæ exhauſtum humorem reficere, poſſent ſenes iterum fieri iuuenes: licet tamen madefaciendo efficere vt ſymptoma quod incepit aut non augeatur aut ſequatur leuius; vtemur igitur madefacientibus & potiſsimum perfuſione olei comunis, ſiue eius quod ex lini ſemine, vel dulcibus amigdalis exprimitur. Adſtringitur aluus febricitantibus ſimiliter ob vim caloris exſiccantis, quam laxare oportet medicamentis partim intus datis, partim per clyſterem in inteſtina iniectis. Sumitur autem vtiliter caſsia, & mel quod ex rore colligitur, aut confectio diacattolicon, vel diaprunis quod ſcammonij ſit expers, tum ſaccarum viola conditum, vel ſyrupus ex plurib⁹ roſarum ſeu violarum infuſionibus. Per clyſterem demitti-

tur

a Hippoc. & Gale. 5. aphor. Tex. com 27.

b Hipp. l. 3. 6 epid. 33.

c Gale. p. ad Glauc. c. 3.

d Gal. p. l. de cauſ. ſympt. cap. 8.

e Gale. 2. aphoriſm. com. 26.

tur in aluum mulſa cum oleo violaceo præſertim in febribus acutis; nam in illis quæ magis lentæ ſunt acriora inijcimus, vt ſalem, hyeram, aquam in quà bullierint acriores herbę. Vrina autem ſi ob ſiccitatem pauca exeat ſuccurrendum eſt larga potione; ſicut & ſudori ſi ob eandem cauſam exiguus effluat. ob alias verò cauſas ſi retineatur aut ſudor aut vrina illis auxilijs vtendum eſt quæ ſupra poſuimus euocare vrinam vel ſudorem. Calor non tantum ſiccat ſed etiam liquat quę concreta ſunt, ex quò ſequitur tuſsis ſi materia liquata feratur ad thoracem, profluuium deiectionis, ſi ad ad inteſtina, vrinæ, ſi ad renes & veſicam, ſudoris ſi ad cutem, quam quam fiunt etiam eiuſmodi profluuia cum humores putres feruntur ad hæc loca. quæ ſymptomata leniẽda ſunt; ſed habenda prius eſt ratio feruoris, quem & externis, & internis auxilijs refrigerantibus & madefacientibus extinguere oportet, non ſecus atque illum qui in febre hæctica tabefacit partes noſtri corporis. Lenitur tuſsis partim relaxando thoracem velut inunctione butyri, aut adipis gallinaceæ, ſiue olei ex amigdalis dulcibus; partim [a] temperando acrimoniam materiæ his quę lenem vim habent vt amylo, tragachanto, ſucco dulcis radicis; ecclegmate ex pſyllio, ex farfara, ex papauere. Profluuium deiectionis, vrinæ & ſudoris, vbi nimium ſit & vires debilitet, coercendum eſt: id quod fit partim auertendo materiam ad alias partes, partim adſtringendo locum vbi recipitur, & vnde effunditur, ne recipi aut effundi poſsit. humor qui nimius deijcitur auertitur ad canales [b] vrinæ per ea medicamenta quæ vrinam euocant; auertitur etiam ad cutem: conſpirant .n. inter ſe partes externæ & internę, & vt inquit Hippocrates carnes [c] alliciunt à ventre: quamobrem vtiliſsimum eſt balneum vt humor qui nimius concurrit ad ventrem & inteſtina euocetur ad cutem. Adſtringimus autem ventrem partim his, quæ ſumuntur, partim his quæ per clyſterem inijciuntur in inteſtina, partim his quæ imponuntur extrinſecus. oua quæ in aceto iacuerint ex quò fuerint etiam decocta vtiliter comeduntur; tum fructus adſtringentes, vt ſorba, meſpila, corna, pira: ſed potiſsimum mala cotonea, & confectio quæ ex ipſis componitur: datur & potui quem vocant ſyrupum ex roſis ſiccis, ſiue ex granis myrthi, veluti & miuam citoniorum; valet confectio quæ ex cornis, ex ſorbis, aut etiam ex meſpilis ac ſaccaro paratur, præſertim ſi ante alia alimenta deuorentur. injijciuntur in aluum per clyſterem olea adſtringentia, vt melinum, maſtichinum, roſeum omphacinum: tum aqua in quà herbę adſtringentes iacuerint vel bullierint vt plantago, roſæ, myrthus vel lentiſcus. extrinſecus ventri ſuperd atur medicamentum ex maſtiche, aloe, & oleo melino, aut cataplaſma

a Galen. l. 5. ſimpl. c. 20

b Gale. 4. aphoriſm. com. vlt

c Hipp. 6. 6. epid. p.

taplasma expane tosto & vino aliquo acerbo, siue etiam quod à recentioribus de panis crusta nuncupatur. Vrina si nimis copiose exeat auertitur ad cutem per ea quę sudorem mouent, ad intestina [a] per ea quę aluum deijciunt. adstringuntur canales vnde transire debet potu aquæ vim ferream habentis, aut alterius in qua bollierit myrthus, plantago, rosa sicca. Sudor denique vbi immoderate effluat auertitur ad intestina. Sed foramina cutis contrahuntur adstringenti aliquo medicamento, vt oleo myrtheo, mastichino, melino, aut aqua in qua decoxeris salicem, malicorium, hypocistidem; vel in qua tabuerit aliquid alluminis. cõtrahuntur etiam foramina cutis aere frigido veluti cum fit ventus flabello. Sed vt cum euocatur sudor extenuare humores oportet, ita cum supprimitur reddere crassos decet, id quod faciunt cibi crassi, veluti alica, panis siligineus: tum medicamenta refrigerantia vt theriace noua, diaspermaton, & diacodion, quod magis conuenit febricitantibus.

a Gale. 4. 2. phorism. com. vlt.

A causa febris hoc est ab humoribus putrescentibus varia symptomata fieri demonstrauimus, [b] prout varias partes tentant, quę sæpe adeò molesta sunt vt [c] leuationem quandam desiderent non expectata curatione morbi aut causæ. fac primum tentari caput, varia tunc symptomata superueniunt; vt dolor, delirium, somnus grauis. leniuntur hæc symptomata omnia si materia tendens ad caput siue fuligo, siue humor auertatur ad partes inferiores, & prohibeatur recipi in capite. egregie auertetur si per clysterem in aluum indantur liquores acriores; si adhibeantur cucurbitulę, frictiones, laquei ad crura. non permittetur [d] recipi in capite si superimponatur lintheum madefactum ex oleo rosa condito, cui aliquid aceti sit adiectum; aut si inungatur caput cerato liquido refrigerato; quæ remedia etiam commode super imponuntur cerui ci, vnde transeunt grandiores venæ & arteriæ ad caput pertinentes. neque periculum est ne sub eiusmodi medicamentis reprimentibus materia repellatur ad cerebrum ab externis partibus capitis cum non dum in illis sit. Proprie autem aduersus dolorem pugnamus aut relaxantibus, [e] aut etiam stupefacientibus si grauissimus sit; quod rarò accidit, neque enim intollerabili dolore vexari solet caput: vt intestinum colum [f] quod si cum dolore sentiatur quidam pulsus, lenitur si victa circundetur caput minus. n. moueri poterunt arteriæ si adstringantur; quod remedium quamuis frequentetur à mulieribus, fuit inuentum à veteribus medicis. Delirantibus verò oportunæ dantur quæ somnum faciunt; sicuti graui somno oppressis, excitantia & dolorem mouentia. Instrumenta sensuum, vt oculi, aures, lingua si tententur materia

b Supra l. 4. cap. 3.
c Gale. l. 12. meth. c. p.
d Gal. l. p. ad Glau. c. 15
e Gal. 5. simplic. ca. 19
f Gal. & Hippoc. l. 3. de officina Tex. com. 36.

putri

putri, poſtulant ſimiliter auertentia & repellentia; non tamen tu
to dantur ad aures quæ repellunt ne per proximam & patentem
viam putres ſuccos ad cerebrum reprimant. proprie autem lin-
gua poſtulat quæ abluant & leniter detergant vt ſerum lactis, &
mulſam. Si ſanguis ex naribus nimis large effundatur auerten-
dus eſt cucurbitulis ad præcordia [a] impoſitis, prę ſertim è regione
illius [b] naris vnde exit; ad quem vſum valent etiam cucurbitulę in
occipitio defixę, ſed obturare oportet locum vnde exit. maxime
præſens eſt medicamentum, quod accipit [c] duas partes thuris &
vnam aloes dilutas albo oui, & exceptas pilis leporinis. Quod ſi
materia putris ad thoracem feratur efficit difficultatem ſpirandi;
quam leniemus inungentes thoracem butyro, vel oleo camomeli
no; ſed ne augeatur auertemus ſimiliter quod adhuc fluit ad par-
tes inferiores. Sed ſi tentet cor ſequi ſolet animæ defectio: vires
.n. quæ requirunt moderatam qualitatem, & quantitatem [d] ſpiri-
tuum humorum & partium ſolidarum, debilitantur in corde ob
concurſum humorum interdum copia interdum qualitate mani-
feſta, interdum repugnantia totius ſubſtantię lędentium. vbi im
pendet animæ defectio, antequam ſuperueniat, auertenda eſt ma
teria putris ad partes inferiores cucurbitulis frictionibus & acrio-
re aliquo humore per clyſterem in inteſtina immiſſo. vbi iam ani
mus deficit recreare vires oportet. recreantur autem vbi reficitur
ſubſtantia in qua conſiſtunt; at neque humores neque partes ſo-
lidę celeriter refici poſſunt vt res poſtulat, neceſſe eſt igitur refi-
ciantur ſpiritus; reficiuntur autem celerrime odoribus ad nares
admotis, celeriter etiam [e] potione præſertim vini tenuis, aut ſor-
bitione [f] cremoris ptiſanæ infuſæ per vas oris anguſti diductis ma
xillis: mirifice ad idem conducit elixir vitæ, ſiue aqua carnis, cu-
ius aliqua portio preſertim ex deſtillatitio pulli liquore exhibea-
tur. at vbi iam recreari vires ceperunt, prę ſens remedium eſt panis
ex vino: interea dare operam oportet vt qui effuſi ſunt ſpiritus cõ
trahantur & validiores fiant: contrahuntur autem appulſu frigo-
ris externi, quò ſpectat aqua frigida reſperſa in facie, & aer frigi-
dus ac ventus quem flabellum efficit. Vexatur ſæpe os ventricu-
li à concurſu materię putris ex quò ſequitur morſus quidam, vo-
mitus, ſingultus. Quę ſymptomata ſimiliter poſtulant, vt quod
ad ventriculum influit, trahatur ad partes inferiores, & quod iam
influxit & in eo continetur, vel temperetur, vel educatur: tempe-
ratur acrimonia bilis cremore ptiſſanæ, iure pulli gallinacei, po-
tione aquæ tepidæ: educitur ſumpta hiera, & per deiectionem ex-
pellitur, magis .n. conuenit deiectio quam vomitus vbi male affe
ctum eſt os ventriculi ne materia concitetur ad affectum locum,

ſed

a Gal. l. p. ad Glau. cap. vlt.

b Hippoc & Galen. l. 3. prorit. Tex to com. 33

c Galen. l. 5. meth. c. 4.

d Gal. l. 11. meth. cap & cap. 3.

e Hipp. 2. aphor. 11. & Gal. l. x. meth. ca. 4

f Galen. l. x. meth. c. 3.

ſed auertatur ad partes inferiores. Vbi tamen vomitus materiæ putris ſponte ſequatur libenter excipiendus eſt: quod ſi diu perſeueret, neque retineri poſsint eſculenta & poculenta, occurrere oportet adſtringentibus medicamentis, & intus datis & extrinſecus impoſitis; vtiliter ſumuntur mala punica & cotonea, veluti & potio quæ ex ſucco cotoneorum & melle vel ſaccaro conficitur, quam miuam [a] citoniorum tum ſimplicem, tum compoſitam appellant. vtiliter ſuper imponitur cataplaſma ex pane torrefacto, & vino auſtero, ſiue quod ex panis cruſta à recentioribus nuncupatur; inungiturque oleum maſtichinum ſiue abſynthinum. Singultus poſtulat vt materia putris, quam conbibit os ventriculi, excutiatur; excutitur autē motu atque agitatione vehementi quam affert ſingultus; quamquam à calore aucto concoqui etiam & digeri poteſt; augetur ſuppreſſo ſpiritu, & aqua frigida retenta in ore quę à Platone [b] proponuntur ad ſanandum ſingultum. Fertur deniq; materia purris ad cutem, quod potiſsimum accidit principio acceſsionum vbi affert frigus horrorem & rigorem, quemadmodum in ſuperioribus oſtenſum fuit: quamquam rigor extra principium acceſsionis interdum ſuperuenit vt ſymptoma [c] criſimum; ſed tunc vbi ſuperueniant eiuſmodi ſymptomata principio acceſsionis ſuccurrere oportet, frigori ſufficiunt lintea calida. horrori & rigori neceſſaria ſunt medicamenta calefacientia, & intus ſumpta, & foris admota: debent autem eſſe tenuium partium, vt facile permeent per vniuerſum corpus: huiuſmodi eſt [d] calamentum ſiccum, quod & ex mulſa bibitur, & ex oleo inungitur; præterea piper, caſtorium, & confectio diatrion [e] pipereon, & diacalamentum dicta; valet etiam [f] panis ex vino calido ſumptus initio acceſsionis; valet & inunctio totius ſpinæ ex oleo irino, piperino, caſtorino, ac ſimilibus, quæ calida ſunt & tenuibus partibus conſtant. Succurritur per hęc rigori & horrori, quem propulſabimus ſi craſſos humores extenuemus ac purgemus: quò nomine veteres dant [g] Agaricum vt pituitam educant, quamquam hoc eſt mederi cauſæ potius quam ſymptomati. Diſtinguere etiam oportet curationem rigoris in febre ab humore frigido, vt melancholico, vel calido vt bilioſo, nam vbi frigidus licet intus & extrinſecus dare medicamenta calefacientia, ſed vbi calidus tantum imponenda ſunt extrinſecus, magiſque conueniunt frictiones quam medicamenta valde calida.

a Meſues l. 3 de Antidotis.

b Plato in io uiucon

c Hipp. l. 4. aphoriſ. 58

d Galen. l. 7. ſimpliciū. cap. de calamento.

e Gal l. de rigore ca. 7.

f Gale. l. 10. meth. ca. 4

g Galen. l. 6. ſimplic. c. de Agarico.

Quid

Quid in curatione postulent differentię febris humorum putredinem sequentis. Cap. VIII.

QVO pacto & quibus instrumentis perficiantur opera requisita primum à rebus naturalibus, deinde à rebus præter naturam in illis qui ob humorum putredinem febricitant, hactenus ostensum est; nunc proximum est vt quid postulent earumdem rerum differentiæ explicemus. atque illæ potissimum quas in superioribus [a] posuimus ad ipsam febrem attinere sumique vel à subiecta materia in qua illa residet, vel à modo quò in eadem versatur, vel à consequentibus, vt à magnitudine, multitudine, loco, motu, tempore; vel à causis, vel ab effectis. Diximus autem commune esse omnium differentiarũ postulare similem differentiam in opere requisito, siue similitudo expressa sit, siue implicita id quod sigillatim nunc explicare oportet. Materia subiecta hoc est corpus febricitantis pro varia ętate, sexu, temperatione varias efficit differentias febrium quæ postulant similem differentiam seu animaduersionem operis, quod simile existimabitur vbi idoneum erit; exempli gratia si dandus cibus sit docet ætas paucum suffice re senibus, multum desiderari à pueris, quemadmodum docuit Hippocrates, similiter [b] si refrigerare oportet à iuuenibus & requiruntur & sustinentur magis refrigerantia quam à senibus; eadem est ratio temperationis calidæ & frigidæ, tum sexus, nam feminæ frigidiores sunt, mares calidiores. Quod attinet ad modum formæ in subiecta materia, febris quę humorum putredinem sequitur semper inæqualis [c] est, nunquam contraxit habitum vt hæctica; semper etiam proxime pertinet ad partes simplices, & per ipsas ad multiformes: quamobrem opera quæ requiruntur inæqualitatem habere debent, neque .n. incumbendum est in ea tantum quę refrigerant vt fit in hæctica febre, sed in ea quoque quæ causam submouent: neque ita perseuerandum est in remedijs refrigerantibus sicut vbi contractus est habitus; præterea quæ fiunt opera ad febrem proxime accomodantur ad partes simplices & per has ad multiformes. Ex consequentibus magnitudo febris aperte similem operis differentiam postulat sicuti paruitas, paruitatem; quare cum opus est refrigerare si febris ardens sit vtemur valde refrigerantibus, si leuis, leuiter: idem enim esse debet gradus frigoris in remedijs, qui caloris in febre. Multitudo febrium non postulat aperte multitudinem remediorum, cum idem remedium sæpe sufficiat multis febribus, sed iterari debet, & hoc pacto multiplex esse in diuersarum febrium circuitibus, sed simplex in simplici.

a Supra l. 3. cap. 4.

b Hippoc. 2. aphorism. 13. & 14.

c Galen l. de inæquali intemper. cap. 9.

plici. febres quæ ex multis componuntur, composita præsidia desiderant, vt seperatim monstrabimus cum persecuti singulas species febrium ad quasdam differentias reuertemur quę longiorem tractationem postulant, & ex his quæ in vnaquaque specie traden tur perspicua fient. Locus in quò versatur febris cum sit totum [a] corpus remedia postulat quæ toti corpori aptentur. Causa, vt putredo, si diffusa est postulat similiter remedia ad totum corpus attinentia; si concluſa in aliquo loco, quemadmodum vsu venit in inflammationibus, remedia accomodari debent ad certum locũ: sed nunc non tractantur febres ab inflammatione ortæ. Ad motum pertinet modus, & qualitas. modo motus differunt febres quod aliquæ circuitibus distinguuntur, aliquæ sunt synochæ, desiderant quæ synochæ sunt opus simile hoc est totum simul vt [b] sanguinis missionem, aut refrigerantia: quę circuitibus distinguuntur amant remedia per circuitus iterata. pro vt autem synochæ febres à principio ad finẽ aut similes manent aut semper augentur, aut semper decrescunt, ita etiam quæ adhibẽtur opera, aut similia esse debẽt, aut semper augeri, aut semper minui. Vbi sint circuitus si inordinati, opera quoque inordinata conueniunt, si ordinati vt quotidiani, tertiani, quartani, ordinata & similia. iidem circuitus si febris assidua sit, assidua postulant remedia, si intermittant intermissa; sed cum febres assiduæ [c] magnæ sint hoc nomine magnis. prędisidijs egent. Qualitas motus ad celeritatem & tarditatem spectat, quæ differentię febrium similes amant operum differentias. Celeribus febribus, cuiusmodi sunt peracutę, celeriter succurrendum est, & eadem die dandum catharcticum si expedit & vt inquit Hippocrates [d] si materia turget, tardare .n. in eiusmodi malum est. si febres lentæ sint festinandum non est, nam vt inquit Hippocrates [e] de corporibus reficiendis, quæ longo tempore extenuantur corpora lente reficere oportet, ita in morbis qui lenti sunt lente conuenit dare remedia. Ex celeritate autem & tarditate motus sequitur longitudo & breuitas febris: quæ similem requirunt animaduersionem, vt scilicet vel diutius in remedio perseueremus, vel paruo tempore, & ita subito vel paulatim hominem curemus quemadmodum postulari diximus à celeritate & tarditate motus. Ad tempus attinet nouitas & vetustas febris quæ per se nullam [f] animaduersionem operum demonstrat, sed quatenus indicat nouitas quidem facile, vetustas verò ægre mobilem febrem, eatenus significant hanc quidem tollendam diuturnioribus & validioribus præsidijs, illam verò leuioribus & breuioris temporis. Quatuor & totius febris & vniuscuiusque circuitus partes referuntur ad tempora efficiuntque differentias febrium, incipientium, in cre-

a L. de cur. per venæ sect ca. 19.

b Galen. l. 9. meth. c. 4.

c Hippo. l. 4. aphor. 43.

d Hippoc. 4 aphor. 10.

e Hippoc. 2. aphor. 7.

f Gal. l 4. methn. cap. 4.

increſcentium, vigentium, & inclinantium, à quibus deſiderantur opera opportuna. Docet [a] Hippocrates initio mouendum eſſe ſi quid mouendum videatur, in vigore quieſcendum, ſimiliter in acceſsionibus [b] ſubtrahendum eſſe cibum quem poſtea licet dare in remiſsione aut integritate. A cauſis externis ſumi diximus differentias, quod febres aut communes ſunt, aut propriæ, ſimilia autem præſidia requirunt communia ſcilicet vel propria: tum vel peſtilentes, vel non peſtilentes, ſed hæ differentiæ ſimiliter proficiſcuntur à cauſa interna, quæ pro vt mitis eſt vel praua, ita mites vel prauas febres efficit. Cęterum de febribus prauis ac peſtilentibus cum longiorem tractationem poſtulęt ſeorſum agemus vbi perſecuti erimus ſpecies febrium putrium, quę fiunt à diuerſa ſpecie caloris, quam efficit diuerſa ſpecies humoris putreſcentis, ita vt tandem diuerſæ ſpecies febrium putrium oriantur à diuerſa ſpecie humorum putreſcentium, & idcirco cauſæ internæ: qui humores putreſcentes vbi ſinceri ſunt & non mixti cum alijs exquiſitam efficiunt febrem, vbi mixti [c] ſpuriam, exquiſitæ febres ſunt puræ & ideo pura poſtulant remedia. ſpurię veluti mixtæ & idcirco mixta deſiderant vt in ſequentibus patebit cum ad quaſdam differentias reuertemur. Sed interna cauſa alias affert febris differentias quod cocta vel cruda ſit, turgens vel quieta, humida vel arida. Poſtulant autem ſimilem hoc eſt idoneã operis differentiam, purgatio exempli gratia conuenit coctę [d] & non crudę turgenti [e] & non quietæ, quæ ſicca eſt magis madefacientibus eget, minus quæ humida. A ſymptomatibus ſumuntur differentiæ febris quod, vbi hæc grauiora ſint quam expectanda videantur à magnitudine caloris, febris praua eſt; vbi leuiora, mitis. ſanantur mitiores febres leuioribus remedijs, prauę validioribus, & his quæ tota ſubſtantia aduerſantur, quæ declarabimus, cum per ſequuti ſpecies in proximo libro, accedemus in altero qui eum proxime ſequetur ad differentias febrium quæ longiorem tractationem poſtulant, vt ad exquiſitas & ſpurias, ad ſimplices & compoſitas, ad peſtilentes.

[a] Hippoc. 2 aphor. 29.
[b] Hippoc. p. aphor. 11
[c] Gale. p. de differ. feb. cap. 7. & 8.
[d] Hippoc. p. aphor. 22.
[e] Hippoc. 4. aphor. 10.

Finis quarti libri de Febribus.

VIDI VIDII
DE FEBRIBVS
LIBER QVINTVS.

IN QVO TRACTANTVR SPECIES
febrium in humoribus putribus consistentium.

Quot sint species illarum febrium quæ sequuntur humorum putredinem. Caput I.

SI febres, quę humorum putredinem sequuntur, vt omnes communia prȩcepta desiderāt, ita singulæ nihil proprium postularent, contenti essemus communibus, quæ supra [a] exposita sunt; sed quia vnaquęque species proprias desiderat animaduersiones necesse est seorsum tractetur: id quod à nobis fiet vbi prius singulas inuenerimus; vt autem primas ac maxime communes febrium species totidem esse demonstrauimus quot sunt primæ ac maxime communes species caloris præter naturam, qui si lenis sit constituit diariam, si acris squallidus hæcticam, si acris fumosus eam quæ in humorum putredine consistit, ita nunc totidem species febrium humorum putredinem sequentium ponemus, quot sunt species eiusmodi caloris acris scilicet & fumosi. præterea vt calorem præter naturam in diuersas species primo distribui monstrauimus [b] pro diuersa materia in qua versatur, vel tenui cuiusmodi sunt spiritus, vel crassa vt partes solidæ, vel media vt humores; ita nunc calorem præter naturam acrem fumosum in diuersas species distribuemus pro diuersis humoribus in quibus consistit. Putrescit in nobis non tantum bilis vt quidam [c] ex veteribus voluerunt, sed etiam humor melancholicus, pituita & sanguis; & ita sunt quatuor species caloris acris fumosi, ac propositarum febrium, quæ respondent quatuor humoribus,

a Supra in antecedentibus duobus libris.

b Supra l. 3. cap. 4.

c Gale. 2. de diff. febr. cap. 9.

ribus, neque plures reperiuntur: nam succus ex cibo si in ventriculo putrescit magis diariam febrem accendit, si in venis iam conuertitur in aliquem ex prędictis humoribus; ille verò aquosus humor, qui quasi serum in lacte in venis residet cum sanguine, cum vnoquoque quatuor ita miscetur vt non possit sine illo putrescere quare febris quę tunc accenditur nõ tribuitur aquoso humori, sed alteri cum quo mixtum est: tantum igitur sunt quatuor species febrium putredinem sequentium, nam & totidem sunt humorum putrescentium. conuenit inter omnes de ea quam excitat flaua bilis humor melancholicus, aut pituita putrescens, non tamen de ea quam sanguis, cum Galenus [a] velit putrescentis sanguinis tenuiorem ac pinguiorem partem degenerare in flauam bilem, crassam verò & terrenam in humorem melancholicum, & tantum tres species [b] ponat febrium à putredine nascentium, pituitosam, biliosam, & melancholicam tam assiduam, quam intermittentem; eam verò quæ fit à sanguine referat [c] inter febres biliosas. Constat tamen longe diuersam esse febrem quam excitat sanguis putrescens, differt. n. à biliosa qualitate [d] & motu caloris, causis, effectis, remedijs. Qualitas caloris in febre biliosa acris est, in sanguinea mitior magis, enim percipitur copia caloris quam acrimonia & vapores qui ab hac exhalant non ita mordent, vt illi qui à biliosa. Continetur præterea febris sanguinea vnico circuitu, & propterea dicitur synocha, biliosa verò pluribus distinguitur tertio quoque die repetentibus, vnde tertianę nomen traxit. causa ipsa proxima vtriusque febris diuersa est, neque enim idem est sanguis & flaua bilis, cum hæc sit calida, sicca & amara, ille moderate calidus & humidus ac dulcis; aliæ etiam sunt causæ procreantes sanguinem tam internę quam externæ, aliæ flauam bilem. symptomata etiam multo mitiora sunt in febre sanguinea quam in biliosa: iungitur hæc cum intolerabili siti, qua caret sanguinea, hæc denique curatur larga sanguinis [e] missione vsque ad animæ defectionem, illa refrigerantibus vt potione aquæ frigidę: ex quò colligitur ponendam esse sanguineam febrem distinctam à reliquis tribus, quam alibi Galenus posuit ostendens duplicem synocham à sanguine excitari vnam cum calefit duntaxat, atque hanc esse ex [f] diarijs, alterã cum putrescit atque hanc haberi in numero earum quæ sequuntur humorum putredinem. neque obstat ratio superius posita quòd sanguis putrescens vertatur in bilem cum hoc non fiat momento temporis, sed vbi diutius computruit; interea cum maneat adhuc sanguis febris sanguinea est, licet processu temporis fiat biliosa. Quò spectans Galenus [g] tres tantum species posuit febrium sequentium humorum putredinem nobis

a Gal. l. 2. de differ. feb. cap. 9.

b Gal. l. 2. de crisib. ca. 9

c Gal. l. 2. de diff. febr. c. 9. & l. 2. de crisib. c. 12

d Galen ibidem.

e Gal. l. 9. meth. cap. 4.

f Gal. l. 9. meth. cap. 2.

g Gale. 2. de crisib. ca 9 & l. 2. de diff. feb. c. 9

tamen magis placet ponere quatuor distinctas, sanguineam, biliosam, pituitosam, & melancholicam.

De febre orta à sanguine putrescente. Cap. II.

SVMEMVS initium ab ea specie quam proxime excitari monstrauimus à sanguine putrescente, in qua vt in reliquis omnibus eadem capita proprie perpendemus, quæ supra communiter persecuti sumus de febribus ab humorum putredine ortis; primo .n. explicabimus cognitionem curandorum, & absolute & in homine febricitante, deinde rationem curandi per opera & instrumenta. primo igitur absolute cognoscere oportet de proposita febre res præter naturam, quę curandæ sunt, morbum scilicet, causas & symptomata: morbus est ipsa febris quę quatenus sequitur humorum putredinem est calor lędens actiones in vniuerso corpore acris [a] & fumosus; sed quatenus fit à sanguine eiusmodi calor multus est & parum acris. editque [b] vapores lenes: quamobrem non immerito existimatur à veteribus hæc febris media quodammodo inter diarias & illas quæ aliorum humorum putredinem sequuntur, magisque excedere in ea videtur copia caloris quam acrimonia, ob quam caloris copiam habetur in numero ardentium: quamuis [c] re verâ non sit ardens quemadmodum illa quam efficit putredo flauæ bilis, neque vt in febre pituitosa calor, qui à principio lenis videbatur acrior sentitur, sed lenis à principio ad finem perseuerat. Modus quo calor in proposita febre mouetur est synochus hoc est sine circuitibus, vnica enim accessione [d] continetur à principio vsque ad finem, neque pluribus distingui tur vt tertiana, quotidiana, quartana tam intermittens quam continua: ternæ autem differentiæ, quas diximus attendi in synocha sine putredine cum tractaremus diarias, animaduertuntur etiã in hac; quod vel similis [e] perseueret à principio ad finem, vel perpetuo augescat, vel perpetuo remittatur. Proxima causa, vt commũniter omnium propositarum febrium est putredo humorum, ita nunc propria sanguinis, ita vt sanguis putrescens [f] hãc febrem efficiat. Cęteræ causę hanc febrem efficientes aut sanguinem augent aut eundem reddunt putrem, necesse enim est & multitudo sanguinis concurrat & aliquid per quod putrescat; multitudo autem æstimanda est ratione habita vasorum capacitatis non virium sustinentium. cõtrahitur multus sanguis in corpore vel quod multus procreetur à copia ciborum & potionum boni succi & moderata viscerum temperatione, vel quod contractus non absumatur neque effundatur vt naturaliter solet, exempli gratia mulieribus

a Gale. p. de diff. feb. c. 7

b Gal. l. 2. de diff. feb. c. 9

c Gal. p. aph. com. 23.

d Galen. l. 9. met. cap. 2

e Gal. 9. meth. cap. 3.

f Gal. 9. meth. c. 2. & 4

post

post partum, aut singulis mensibus: necessaria autem est multitudo sanguinis, neque accidit hæc febris nisi adolescentibus boni habitus [a] multi sanguinis, est enim multitudo sibi causa putredinis cum obstruendo prohibeat perspiratum nisi quis anteuertat mittendo sanguinem, quò præsidio prohibetur [b] ne in synocha, quę sine putredine est, putredo accendatur. euenit interdum vt alius humor putrescat alius obstructionem afferat quemadmodũ vbi putrescit flaua bilis à iecinoris feruore contracta, & obstructio fit à pituita quę ex cruditate orta in ventriculo allicitur à venis: sed in hac febre cum fiat vt diximus in adolescente boni habitus & multi sanguinis, non oritur obstructio à pituita, neque .n. redundat in eiusmodi homine, sed sanguis ipse qui putrescit cum multus sit sibi efficit obstructionem. continetur autem vnico circuitu, quod constat ex tota [c] sua materia, versatur enim putredo in sanguine totius corporis & omnium venarum qui synocham efficit. causa verò triplicis differentiæ cur scilicet vel perseueret eodem modo, vel semper augeatur, aut decrescat est similis differentia in causa proxima febris in putredine videlicet, quę si semper æqualis manet febris etiã perseuerat à principio ad finem æqualis, si plus ex ea exhalet quam cõtrahatur semper imminuitur, contra si plus contrahatur quam exhalet semper augetur febris. Symptomata restant quæ leuia sunt, dicitur .n. hæc febris simplex quod [d] non soleat cum grauitate symptomatũ copulari veluti ardens illa quam efficit flaua bilis: si quando autem huic etiam grauia superueniant id proficiscitur vel à prauitate sanguinis, vel à multitudine calorem suffocante. hactenus de rebus præter naturam absolute cognoscendis. In homine verò ægrotante vt alijs morbis ita etiam hac febre, cognoscere oportet præsentia, præterita, & futura; sunt autem præterita potissimum causæ quas conijcere licet ex effectis relictis in corpore ægrotantis', quamquam referuntur etiam ab homine ipso & ab assidentibus quemadmodum ostendimus cum & de diaria & de febre ab humorum putredine orta locuti sumus. præsentia quæ recognoscere oportet in febricitante sunt res ipsę præter naturam quas proxime explicauimus morbus videlicet, causæ, & symptomata vnà cum differentijs. Symptomata plerumque pauca [e] & leuia sunt: quæcumque autem sint vt sitis, sensus onerantium ac tendentium, rubor tam cutis quam eorum quæ excernuntur sub sensum cadunt. Morbus verò hoc est febris partim sensu percipitur partim colligitur mente, calor, quo contineri hanc febrem diximus, quantitate multus & qualitate parum [f] acris cum magna copia vaporum non mordentium tactu iudicatur: perseuerat autem si diu tangatur lenitas caloris & vaporum,

a Gal. 9 meth. cap. 3.
b Gal. 9. meth. cap. 4.
c Gal. l. 2. de diff. febr. cap. vlt.
d Gal. l. 2. de crisib. c. 12
e Gal. l. 2. de crisib. c. 12
f Gal. l. 2. de crisib. cap. 6. & ca. 12.

neque vt in febre pituitosa videntur subinde calor & vapores fieri
a Gal.l.2.de diff. febr. c.xi in fine acriores. Motus similiter tactui subijcitur, quod scilicet vnica [a] accessione à principio ad finem contineatur, neque pluribus distinguatur circuitibus, quod item ea accessio tota videatur vigor, neque præseferat hæc febris principium incrementum aut remissionem euidenter. eodem sensu tactus deprehenduntur differentiæ illæ tres, quod hæc febris videatur à principio ad finem vel similis esse, vel semper augeri, vel semper minui: at potest conijci etiam hęc febris mente ex signis quę sumantur à causis, à iuuantibus, à lædentibus, ab effectis: monstrat ergo hanc febrem causa proxima quæ est putredo sanguinis, nam aliæ eatenus synocham febrem indicant quatenus monstrant sanguinis putredinem, quæ causa cum sensum lateat quo pacto deprehendi queat paulo post subijciemus. Colligitur præterea hæc febris ex his quę prosunt
b Galen.l.9. met. cap.4 aut obsunt, prosunt .n. inedia, sanguinis [b] missio, & quæ magnopere refrigerant, obsunt quæ sanguinem vel nouum procreant, vel iam collectum retinent, præterea quæ calefaciunt: vbi ergo talia sint, quæ vel vtilitatem vel noxam afferant, fidem facient febris synoche: hanc augent & effecta ipsa hoc est symptomata, ve-
c Galen. l.9. met. cap.3 luti sensus tendentium atque onerantium, pulsus magnus, [c] vehemens cum parua inæqualitate, rubor faciei & vrinæ. Causa proxima hoc est putredo sanguinis, cum ipsa quoque sensum fugiat, conijcienda similiter est ex causis à quibus oritur, ex his quæ prosunt aut obsunt, ex effectis. causæ aliæ putredinem in sanguine efficiunt, aliæ eiusdem copiam augent; efficiunt putredinem quęcumque prohibent perspiratum, vt densitas cutis & obstructio à multitudine sanguinis, quæ vbi adsint monstrant putredinem quam efficiunt, neque enim fit hæc febris vbi est aut raritas cutis aut sanguinis copia mediocris: causę verò è quibus augetur sanguinis multitudo aut ipsum retinent neque sinunt ex corpore exire, veluti cum mulieribus supprimitur purgatio, vel menstrua, vel à partu; aut eundem procreant vt efficiens, & materia: efficiter .n. à temperatione moderata viscerum, nam moderatio rerum externarum efficiendi socia est; materiam præbent esculenta, & poculenta qualitate moderata, & quantitate non plura quam vt concoqui possint; ex quibus omnibus causis colligitur putredo sanguinis: quam demonstrant etiam quæ prosunt, si ipsum vel detrahant, vel refrigerent, & quæ obsunt, si eundem vel colligant, vel calefaciant. Postremo colligitur sanguinis putredo ex effectis, sunt autem ea à quibus diximus demonstrari synocham febrem,
d Auctor de vrinis c.14 plurimum autem valet robur totius corporis, & vrina simul crassa [d] & rubra. Ex futuris præcognoscemus euentum, tempus, & viam,

viam,euentum neceſſe eſt aut ſalubrem aut pernicioſum eſſe: neque .n. poteſt homo in eodem ſtatu diu manere, plerumque autem ſequitur ſalus cum accidat hic morbus adoleſcentibus[a] boni habitus,quorum natura adeo valida eſt;vt ſuperet morbum quam uis magnum, niſi, quod raro admodum accidit, aut nimia copia eius ſtranguletur aut prauitate intereat: maximus error eſt venę ſectionem omittere, augentur .n. interdum adeo putredo vt interitum afferat. Tempus futuri euentus breue eſt, cum ſynocha febris valde acuta ſit, termineturque quarto[b] die, aut ſummum ſexto,[c] neque.n.neceſſe eſt ſoluatur ſeptimo die cum careat acceſſionibus, quod ſi diutius perſeueret vertitur in aliam ſpeciem febris, vt autem paucis diebus ſanatur, ita etiam paucis diebus hominem interficit. Via ſanationis eſt, quod aut mittatur large ſanguis[d] à medico, aut effundatur à natura[e] vt ex naribus, vel exeat ſudor multus quemadmodum in febre ardente cum rigor[f] ſuperuenit: via interitus eſt quod vel calor ſtrãguletur à ſanguinis multitudine, vel putredo & ardor adeo increſcat vt hominem auferat atque interimat. Ratio curandi ſupereſt,quam contineri diximus operibus, & inſtrumentis: opera ſumuntur à rebus præter naturam, à febre videlicet, cauſis, & ſymptomatibus; tum à rebus ſecundum naturam vt à viribus, hæ conſeruandæ ſunt per ſimilia,illæ curandæ per contraria non ſecus atque in curatione in vniuerſum diximus de febribus putredinem humorum ſequentibus,conſeruantur vires potiſsimum alimento; febris tollitur primo per refrigerantia, deinde etiam[g] per madefacientia cum calor afferat ſiccitatem; quamobrem hanc madefacere,illum refrigerare oportet. cauſa proxima febris eſt putredo,[h] ſanare autem oportet quę facta eſt, & prohibere eam quæ fit; diximus ſanari putredinem factam vel coctione, vel detractione, nam ſemiputres[i] ſucci concoqui ac corrigi poſſunt; neque .n. neceſſe eſt educantur vt illi qui ex toto putres ſunt hos .n. oportet omnino educere. Prohibebimus ne fiat vlterius putredo, ſi perſpiratum expediamus medentes obſtructioni vel adſtrictioni: curatur obſtructio dempta[k] multitudine, & craſsitudine extenuata, adſtrictio tollitur relaxantibus. Symptomata, quæ hanc febrem ſequuntur, leuia[l] ſunt neque propriam poſtulant curationem, ſed ſatis eſt ſi tollantur per ea, quæ febrem vel cauſam remouent. ſi quando autem paulo validiora fuerint lenienda erunt illis remedijs, quę ſupra[m] in vniuerſum enarrauimus. huiuſmodi ſunt opera quę ad curationem propoſitę febris requiruntur, quæ vbi pugnare inter ſe videantur neque perfici omnia ſimul poſsint, plus tribuendum[n] illi erit quod magnitudine vel numero vel dignitate requirentium præſtare videatur.

a Galen.l. 9. met.cap 3.

b Gal.l.3.de criſib. c. 4.

c Gal.l. 3.de diebus decretor. c.8

d Galen.l.9. met.cap.4.

e Gal.3. l.de criſibus c.3.

f Hippoc. & Galen. 4. aphoriſm. Tex. com. 58.

g Gale.l.11. meth.ca.9

h L antecedenti ca.4.

i Supra ibidem.

k Gal. l.11. meth. c.10

l Gale. 2.de criſib.c.12

m L.antecedenti ca.7.

n Gal. l. 11. meth. c. 3.

deatur. refectio per cibos & potiones quæ à viribus requiritur obſtat operi, quod putredini medetur, quam diximus coctionem & expulſionem requirere; quæ minus perficiẽtur vbi natura [a] in concoquendo ac diſtribuendo alimento occupata nõ poterit tota ferri ad putres ſuccos corrigendos vel detrahendos. Opus quod à febre requiritur, quam diximus refrigerantibus [b] egere, pugnat cum eo quod deſideratur à cauſa putredinis vt ab adſtrictione. tollitur .n. hęc relaxantibus quæ calida ſunt, augetur refrigerantibus, ſed pugnant inter ſe mutuo quæ poſtulantur à febre & à cauſis, quæ .n. per vrinam [c] aut ſudorem educunt putredinem calefaciunt, ſed quæ refrigerant febri apta ſunt, putredinem tamen augẽt vt monſtrauimus: quamquam ſanguinis miſsio ad omnia videtur accommodari quæ à febre & à cauſis requiruntur cum eatenus [d] refrigeret quatenus ſubmouet, quaſi ligna exigne, materiam in qua reſidet calor, eadem detrahit ſanguinem & putrem qui febrem accendit, & multum qui obſtructionem affert, ita vt ſit tutiſsimum remedium. Differt curatio febris huius quæ conſiſtit in ſanguine putri ab ardente quæ in flaua bile, illa magis deſiderat auxilia refrigerantia, hæc magis detrahentia, quamuis vtraque vtrique aptentur, eadem .n. eſt ratio febris ſanguineæ & biliioſæ, quæ inflammationis & eriſipelatis, gaudet eriſipelas magis refrigerantibus, inflammatio detrahentibus. Sed iam tempus eſt inſtrumenta monſtrare quibus opera hæc perficiantur. Reficiuntur vires cibo & potione boni ſucci, ſed frigidis [e] & humidis, ita vt ſimul ſpectent etiã ad febrem. optime ſumitur cremor ptiſſanæ, panis ex aqua vel madefactus vel decoctus, cucurbita, lactuca; potio autem ſit aqua vel pura vel in qua hordeum bullierit, cui etiam vtiliter admiſcetur zulapium violaceum, oxiſacharum, ſiue ſerapium ex ſucco mali medici, vel limonis. Mulſa quamuis idonea ſit cauſæ, quòd detergendi vim habeat, eſt tamen aliena morbo quòd calefaciat. Parum autem cibi ſufficit & poſt ſanguinis detractionem cum vires validæ ſint & ſuſtineri ſine cibo poſsint vſque ad vigorem qui breui futurus eſt vt quarto die vel certe non vltra [f] ſeptimum. Sed veniamus ad inſtrumenta refrigerantia quæ deſiderantur à febre, continentur hæc ſub victu, medicamentis & chirurgia, ad victum ſpectant ſex res non naturales quæ debent eſſe tales quales ſupra [g] in vniuerſum propoſuimus vt refrigerare & madefacere poſſint & ita febrem ſanare; medicamenta frigida ſunt balneum & potio aquę frigidę, quæ conueniunt magis febri biliioſę quam ſanguineæ: in hac .n. magis nocet ſanguis quantitate quam feruore, vtemur ergo externis & internis moderate refrigerantibus; dabimus potui quem vocant ſyrupum violatum, acetoſum, de endiuia,

a Galen. p. aphoriſm. com. 8.
b Gale. l. 10. met. cap. x.
c Gal. x1. meth. cap. 10.
d Gale. l. 10. met cap. x.
e Galen. l. 9. met. cap. 4
f Gale. l. 3. de criſibus c. 4. & l. 3. de diebus criticis cap. 8.
g 1. antecedentis ca. 2.

uia, de ſucco limonis; vel mali medici, cum aqua in qua bullierint herbæ frigidiores, vt lactuca, inthybus, oxalis, inungemus thoracẽ & prẽcordia cerato liquido. Accommodatur etiam chirurgia ad refrigerandum vt venæ [a] ſectio, qua ſanguis copioſe educatur & etiã vſque ad animi defectionem, nam & requiritur à multitudine ſanguinis & magnitudine morbi, & toleratur à viriũ robore; quod remedium ſi omittatur, vt [b] ſynochæ diariæ accedit putredo, ita alteri quæ cum putredine iungitur accedit ſummum periculum aucta putredine: & homo præcipitatur niſi large aquam frigidam biberit. cæterum miſsio ſanguinis aptatur etiam putredini detrahendę [c] & imminuendæ multitudini: quò ſpectant etiam euocatio vrinę & ſudoris per ea quę ſupra monſtrauimus: vtimur. n. ad euocandam vrinã extenuantibus & incidentibus, ad ſudorẽ relaxantibus vel externis vt balneo aquæ dulcis, vel internis vt potione aquæ in qua bullierit [d] chamomelum. Ad concoquendum ſemiputres ſuccos valent ea quæ refrigerando temperant calorem naturalem à quo debet fieri coctio, quorum exempla paulo ante expoſuimus.

a Galen. l. 5 meth. ca. 4.

b Galen ibidem.

c L. antecedenti ca. 5.

d Gal. 5. ſimplic. ca. 10

De febribus ortis à flaua bile putreſcente. Cap. III.

ALTERA ſpecies illarum febrium, quæ à putredine oriuntur, conſiſtit in flaua bile putri, diſtribuitur autem in tres ſiue ſpecies ſiue differentias appellare mauis, in tertianam intermittentem, [e] tertianam continuam, & ardentem quæ ſpeciatim à nobis tractabuntur ſi prius expoſuerimus quęcunque omnium trium communia ſunt, ad cognitionem curãdorum & rationem curandi pertinentia. Quod ſpectat ad cognitionem curandorum, explicabimus primo quæ abſolute cognoſcẽda ſunt, deinde quæ in homine. Abſolute igitur intelligere debemus qualis ſit morbus, quales cauſæ, qualia ſymptomata. morbus eſt febris ex humorum putredine orta, & ideo calor acris & fumoſus, ſed proprie cum oriatur à flaua bile putri, eiuſmodi calor eſt valde [f] acris & parum fumoſus, à ſanguine putri contra oſtendimus excitari calorem parũ acrem & cum multis vaporibus. mouetur in hac febre calor ęqualiter cũ accenditur, nõ inſtar illius qui à pituita putri effertur, modo emergit modo latitat; mouetur etiam tertio quoque die ita vt habeat circuitus tertianos, huiuſmodi calor communis eſt tam tertianæ intermittentis quam continuæ & ardentis. at communis etiam eſt cauſa & quæ proxime eiuſmodi febrem accendit vt putredo [h] flauæ bilis, & quæ aut putredinem efficit aut flauam bilem contrahit, omnes. n. illæ proxime oriuntur à flaua bile putri: quam putrefacit adſtrictio vel obſtructio perſpiratum prohibens & quam gignit temperatio iecinoris calida & ſicca cum concurſu [i] rerum externarum

e Gal. l. 2. de differ. ſympt. cap. 8.

f Gal. l. 2. de differ. feb. cap. 9.

g Gal. l. 2 de differ. feb. cap. 9. & x.

h Gal l. 2 de diffe. feb. cap 8. & l. 2. de crii. cap. 3.

i Galen. ibidem

ternarum similium tanquam effectrix causa, & cibus ac potio calefaciendi & siccandi vim habens, tanquam materia præsertim vbi parce sumatur. obstructio autem internorum canalium, à quà putredo fit, maxima ex parte oritur à pituita [a] crassa & glutinosa quæ etiam in homine bilioso gignitur; neque .n. vt sanguis qui multus est & crassior, idem & obstructionem affert & putrescit, ita & flauabilis cum & neque ita multa sit neque crassa sed magis ob amaritudinem detergat ea quę obstruunt. Symptomata item complura communia sunt omnium huiusmodi febrium vt dolor capitis, vigilia, delirium, morsus oris ventriculi, sitis, nausea, vomitus, lingua amara', aluus liquida. In homine similiter recognoscere in omnibus oportet præsentia, præterita & futura: ceterum res præteritæ sunt causæ [b] quas audire licet ex egrotante aut ex familiaribus. res præsentes sunt morbus causæ & symptomata morbus cognoscitur partim sensu: tactu .n. percipitur calor multum [c] acris & parum fumosus, qui æqualiter augetur & repetit tertio quoque die; partim ratione vt ex coniectura Archigenis [d] ducta à similiter vagantibus nam si nunc in alijs versetur febris bilioſa par est similem esse in eo ad quem curandum adhibemur. ex causa item vt ex putredine flauæ bilis & ex his à quibus diximus eam putrefieri, aut contrahi, pręterea ex his quæ prosunt aut obsunt: vbi .n. prosint quæ temperāt flauā bilem aut educunt, obsint quæ eandem aut colligunt, aut calidiorem reddunt indicant febrem esse bilioſam. postremo ex effectis, vt ex symptomatibus quæ paulo supra monstrauimus bilioſę febri communiter superuenire. causa verò proxima, quę ex præsentibus recognoscenda est nimirum flauabilis putrescens, conijcitur ex causis à quibus effici & putredinem & flauam bilem proxime docuimus; conijcitur & ex iuuantibus & lædentibus, atque ex effectis talibus qualia nunc diximus esse indicia febris bilioſæ. symptomata quæ retulimus omnia deprehenduntur sensu. Ex futuris euentus periculosus est vbi magnus sit ardor febris & continuus, nam vbi leuior sit & intermittat periculo [e] vacat. Quod attinet ad tempus terminatur hæc febris vbi longissima [f] sit septem circuitibus; sed sæpe multo celerius finitur & valde acuta est. Via sanationis est quod educatur flauabilis [g] deiectione, vomitu, sudore, vrina. Sequitur ratio curandi per opera & instrumenta quæ similiter communia sunt omnium bilioſarum febrium; nam, præter ea quæ communiter spectant ad quamlibet febrem, proprium est omnium bilioſarum vt magis sanentur refrigerantibus [h] quam detrahentibus flauam bilem, cum hæc magis noxia sit qualitate caloris quam copia; secus euenit synochæ cum putredine, quam posuimus curari potius omis-

a Gale. 5. de loc. affect. cap. 7.

b Gale. 4. de pręsagitione puls. ca. 11. & Hippo. l. p prognost. 8

c Gal. l. 2. de differ. febr. cap. 9 & l. 2. crisium. cap. 3.

d Galen. ibidem.

e Hippoc. 4. aphor. 43.

f Hippoc. 4. aphor. 59.

g Gale. 3. de crisib. ca. 3.

h Gale. p. ad Glauc. cap. 9. & l. 13. meth. c. 8.

omiſsione ſanguinis quam refrigerantibus: ita vt magis reſpicere oporteat ad morbum quam ad cauſam; quamquam neque cauſa ipſa omittenda eſt, opus ergo eſt refrigerare & madefacere, & propter febrem & propter bilem ſemiputrem, quæ facilius concoquitur à calore vbi remittatur frigidis auxilijs. Valet ad refrigerandum balneũ [a] & potio aquæ frigidę: ſed vbi minor ſit ardor quam hæc requirantur, vel etiam non tolerentur, vt quod ſubſit tumor aliquis, cruditas, aut adſtrictio ſeu obſtructio viſcerum, aut quod homo non ſit ſolitus frigidam aquam bibere, aut quod cutis adſtricta ſit, vtendum eſt leuius refrigerantibus: huiuſmodi eſt victus in ſex rebus non naturalibus qualis ſupra [b] expoſitus eſt, huiuſmodi ſunt potiones, quas appellant ſyruppos, vt acetoſus, violatus, de indiuia, de oxalide, de ſucco limonis, vel citri cum aqua in qua incoxeris frigidiores herbas veluti lactucam, endiuiam, oxalida, intubum, ſeu cum ea quæ ex ijſdem herbis per deſtillationem extrahitur. extrinſecus autem inunguntur præcordia & thorax cerato liquido, vnguento roſaceo, aut oleo aliquo frigido, vt eo quod roſa vel viola conditur. Putredo bilis ſi ex toto facta eſt detrahentibus indiget; detrahitur ſecta vena exit. n. cum ſanguine: quod remedium non [c] neceſſarium eſt in tertiana exquiſita intermittente, ſed magis in continuis; potiſsimum verò educenda eſt flaua biliæ [d] putris, vomitu, ſudore, vrina. Vomitus excitatur ſponte, ſed mouetur etiam potu aquę tepide. Vrina euocatur his quæ extenuandi & incidendi vim habent. ſudor relaxantibus. in remiſsione autem totius febris licet vti catarcticis colagogis, vt Rhabarbaro, confectione Diaphinicon, aut ex ſucco roſarum, aut ex prunis, veluti & ſerapio ex pluribus infuſionibus roſarum cum quò rhabarbarum ſiue etiam aliquod ex relatis electuarijs vtiliter permiſcetur. quæ autem in inferiori parte inijciuntur in aluum per clyſterem carere debent acrimonia. idonea eſt mulſa cum oleo communi vel violaceo, ſicuti & decoctum maluarum violarum aliarumque ſimilium ſtirpiũ cum caſsia fiſtulari ſeu melle viola condito. Cauſa putrefaciens vt obſtructio curatur per incidentia & extenuantia atque interdum educentia pituitam vbi multa ſit. Adſtrictio [e] eget relaxantibus vt balneo aquę dulcis. Symptomata lenienda ſunt quemadmodum in vniuerſum docuimus [f] cum de curatione egimus ſymptomatum communiter ſequentium febres ab humorum putredine ortas.

a Gale. p. ad Glauc. cap. 9. & l. 11. meth. ca 9.

b Supra l. 4. cap. 2.

c Gal. l. p. ad Glau. c 9

d Galen. ibidem.

e Galen. l. 8. meth. ca. 2.

f Supra, l. 4. cap. 7.

De febre

De febre tertiana intermittente. Cap. IIII.

ENARRATIS his, quæ communia erant febrium omnium bilis putredinem sequentium, agendum de vnaquaque sigillatim; ternas .n. proposuimus, [a] tertianam intermittentem, tertianam continuam, & ardentem. videbimus quæ proprie attendenda sunt in vnaquaque, sumpto initio ab intermittente. Continetur hæc febris calore multum [b] acri & parum fumoso, non secus quam cæteræ quæ à bile putri proficiscuntur, adeo autem feruet vt ferè non differat ab eo [c] qui sentitur in ardente, nisi quod intermittit & non ita percipitur in partibus internis & in corde à quo distat focus [d] putredinis; superatur tamen acrimonia diuturniori tactu. idem celeriter mouetur & æqualiter increscit, manet ad summum duodecim horas, sæpe etiam multo celerius finitur, reuertiturque [e] tertio quoque die, ita vt eius circuitus sit tertianus qui communis est omnium febrium à putredine bilis proficiscentium. intermissio autem duodecim horarum aut longior propria est tertianæ intermittentis, quam nunc agimus. Causa proxima est illa ipsa quam posuimus in vniuersum in febribus biliosis, putredo videlicet flauæ bilis, tantum differt à causa proxima tertianæ continuæ & ardentis loco vbi putrescit; siquidem in his putrescit concluſus [f] in venis; sed in tertiana intermittente effusus in ambitu totius corporis: expellitur autem ex venis humor putrescens vbi non ita multus est, patet exitus, & valet facultas expultrix; retinetur in venis ob contrarias causas, quamuis idem sit vt flaua bilis in febribus propositis. Cæterę causę, quæ vel flauam bilem gignunt vel eamdem putrefaciunt, eędem sunt atque illæ quas paulo [g] ante in vniuersum explicauimus. atqui symptomata etiam eadem sunt in tertiana intermittente, vt dolor capitis, vigilia, delirium, sitis, amaritudo oris, nausea, morsus in ore ventriculi; nisi quòd proprie huic superuenit initio accessionis [h] rigor quod flaua bilis expellatur ex venis ad partes externas, quæ, dū conantur expellere quod noxium est, cōcutiuntur, atq; omnes cum altera ad alteram, & ad proximam quælibet expellat quod molestum est, repræsentat eiusmodi rigor acus tenues pungentes ac lacerantes carnem: rigorem sequitur [i] vomitus, & interdum deiectio biliosa, & tandem sudor. Huiusmodi sunt quę absolute cognoscere oportet in tertiana intermittente; in homine verò febricitante recognoscemus causas, quæ præterierunt vel ex effectis, vel ex his quæ referentur ab ægrotante, & eius familiaribus. recognoscemus & pręsentia partim sensu, partim ratione. Morbus

hoc

a In cap. antecedenti.

b Gal. l. p ad Glauc. ca. 5. & l. 2. de crisib. ca. 3. Gal. l. 2 de diff. febr. cap. 3.

d Gale. 4. aphorism. com. 59.

e Galen. ibidem.

f Galen. ibidem.

g In cap antecedenti.

h Gale. p. ad Glauc. c. 5. & l. 2. de crisib. c. 3.

i Galen. ibidem.

hoc eſt febris (quam diximus contineri calore valde acri & parum fumoſo, qui celeriter moueatur, & æqualiter increſcat, neque maneat vltra [a] duodecim horas ſed tertio quoque die reuertatur) ſenſu tactus deprehenditur vbi quis huius febris naturam exploratam habuerit; neque .n. ſatis eſt ad acceſsiones [b] reſpicere, nam vbi ſimul iungantur duę tertianæ, [c] cum quotidie vna inuadat, poterunt videri quotidiana; ſed magis ex natura ipſa caloris, ex cauſis, ex his quæ proſunt aut obſunt, atque effectis conijciendum eſt qualis futura ſit acceſsio. nunc igitur febris tertiana intermittens ex natura ac motu caloris quem tangimus mente percipitur, ſed argumentabimur etiam à cauſis, nam, ſi intelligamus eius cauſam eſſe flauam bilem putreſcentem extra venas, ſtatuemus continuo morbum eſſe tertianam intermittentem. aliæ cauſę quæ vel flauam bilem efficiunt, vel putredinem proxime non morbum ſed proximam eius cauſam; quam diximus denunciant. ſumemus etiam ſigna ab his quæ iuuant aut nocent, nam, vbi iuuet vomitus flauæ bilis, & potio in fine [d] acceſsionis ſudorem moueat, monſtrabunt tertianam intermittentem; ſicuti cum nocent quæ vel ſudorem vel vomitum retinent eamdem indicabunt. Plurimum valet [e] coniectura illa Archigenis quam faciebat ex ſimiliter vagantibus, nam vbi eo tempore cæteri ęgrotantes laborent tertiana intermittente, veriſimile eſt & eum ad quem adducti ſumus eadem laborare. ſed maximam vim habent effecta hoc eſt ſymptomata ipſa ad demonſtrandam tertianam exquiſitam; nam præter illa communia, quæ bilioſam febrem ſequuntur atque oſtendunt, proprie tertiana intermittens indicatur à rigore, [f] qui initio acceſsionis vehemens percipitur cum ſenſu quodam pungentium, & ęſtus interni, quo differt à rigore quartanæ [g] qui cum frigore quodam videtur internas partes verberare. Pulſus autem principio acceſsionis imbecillus [h] & paruus eſt, ac debilis, deinde magnus efficitur velox ac frequens & minus inæqualis quam in alijs febribus ita vt paruum retineat putredinis indicium in incremento & rigore, minimum in remiſsione, ſed poſtea nullum. accedit vomitus, ac [i] deiectio bilis & ſudor; interdum aluus adſtringitur, vrina tenuis atque ignea eſt, lingua aſpera, ſiccitas labiorum tanta, vt ſcindantur quemadmodum terra a ſole arefacta, læſio iecinoris, quæ cum hac febre coniungi ſolet, eſt etiam communis aliarum quæ flauæ bilis putredinem ſequuntur. Cauſa proxima hoc eſt putredo flauæ bilis ſenſum latet: quamobrem conijcienda eſt ex cauſis gignentibus flauam bilem quæ calefaciendi & ſiccandi vim habent, ſiue effectricem vim ſimul præbeant & materiam quemadmodum ęſculenta & poculenta, ſiue tantum efficiant, quemadmodum

a Galen. 4. aphoriſm. com. 59

b Gal. l. 2. de criſib. ca. 2.

c Gal. ibidé.

d Gal. l. 2. de criſib. ca. 3

e Gal. l. 2. de criſib. ca 3

f Galen. ibidem & l. 4 aphoriſm. com. 59.

g Gal. l. 2. de criſib. ca. 3 & p. ad Glauc. cap. 5.

h Galen. ibidem.

i Gale. 2. de criſib. ca. 3 & p. ad Glauc. cap. 5.

modũ reliquę externæ & internæ cauſæ omnes. conijcienda item eſt ex cauſis putrefacientibus vt obſtructione, & adſtrictione. tum ex his quę prodeſſe & obeſſe monſtrauimus refrigerando vel eden-
a Gal. l.p.ad Glauc.c.5. cendo bilem, aut calefaciendo vel contrahendo eamdem. poſtremo ex effectis vt ex [a] ſiti, amaritudine oris, colore corporis flauo, vrina, & deiectione bilioſa. Extra venas verò putreſcere flauam bilem intelliges, vel ex ipſa intermiſſione tertianæ febris. Reſtant ex præſentibus recognoſcendis ſymptomata, quæ ſenſu ipſo percipiuntur; de ipſis .n. conqueruntur febricitantes. Prædictio ſe-
b Galen. 4. aphoriſm. com. 29. quitur futurorum & primum ipſius euentus, quem ſalubrem expectare oportet cum hæc febris mitis ſit, & ex quadraginta [b] octo horis intermittat triginta ſex adeo vt longitudine integritatis poſsit
c Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 3. refici natura & concoquere atque expellere flauam bilem quæ febrem accendit, quamuis validam [c] & ardentem: magis autem peri-
d Hipp. l. 2. aphor. 34. culoſa eſt hyeme, quam æſtate, quòd fiat à vehemẽtiori cauſa vt in vniuersũ traditum eſt ab Hippocrate [d] de morbis qui contraria æta-
e Hippoc. & Gale. 4. aphor. Tex. com. 43. te, temperatione, aut anni tempore fiunt: ſed tunc tertiana non eſt ex toto exquiſita qualẽ nunc fingimus; nam hæc ſemper [e] ſalubris eſt niſi quid erretur, grauis .n. error poteſt bene valentes in morbũ
f Hipp. 3. p. epid. 8. compellere, ſed multo facilius præcipitare eos qui iam ægrotant. Tempus, quo finitur tertiana, [f] breue eſt cum valde celeriter mo-
g Hippoc. 4. aphor. 59. ueatur quæ longiſsima eſt, auctore Hippocrate, [g] non excedit ſeptem circuitus ſed poteſt multo breuius eſſe, & tertio, aut quarto
h Gal 2. criſium ca. 3. finiri, id quod conijcies (vt alia ſigna omittam) ex ipſis effectis & proprie ex vrina, quę ſi primo [h] die tenuis & flaua fuerit, nihil que aut in medio aut in ſummo nubeculę oſtendat, monſtrat tertianam febrem ad ſeptimum circuitum eſſe peruenturam; ſed ſi primo die vrina ſubflaua appareat & nebulam oſtendat, indicat tertianam non trahendam eſſe vltra quartum circuitum; quod ſi ea nebula alba leuis & æqualis fuerit finietur tertiana tertio cir-
i Gal. l. p. ad Glau. cap. 9. cuitu. Via, qua finitur, partim ad artem ſpectat, partim ad naturã; ars refrigerando [i] ac madefaciendo vel etiam educendo flauam bilem hunc morbum ſanat, natura verò concoquendo bilem ſe-
k Gal. l. 3. de criſib. ca 3 miputrem, aut [k] expellendo putrem per vomitum, deiectionem, hemorragiam, vel ſudorem idem efficit: neque .n. refrigerat & madefacit ſicut ars. Curatio tertianæ febris intermittentis dirigitur ad remouenda tria prẽter naturam, ac primo ad conſeruan-
l Gal. l x. meth. cap. x. & l. p. ad Glauc. cap 9. das vires per opera & inſtrumenta. Vires defenduntur alimento. ex rebus præter naturam morbus, febris videlicet, poſtulat [l] refrigerantia & madefacientia; proxima verò cauſa putredo videlicet
m Gal. l. 11. met. c. x. vbi ex toto [m] facta ſit detractionem, vbi non ex toto, coctionem, ad quam ſpectant refrigerantia & madefacientia temperãdo cali-

dum

dum innatum à quo debet fieri coctio ita vt eadem & ad morbum & ad succos semiputres referantur. Causa putredinem faciens, vt prohibitus perspiratus, desiderat ea, quæ vel detrahẽdo incidendo atq; extenuando obstructionem tollunt, vel relaxando succurrunt adstrictioni; cæterum relaxantia etiam accommodantur ad detractionem per sudorem, sicut extenuãtia & incidentia ad euocãdam vrinam. Symptomata leniri debent quemadmodum supra [a] in vniuersum mõstrauimus de curatione symptomatum sequentium febres ab humorũ putredine ortas. Sed quibus instrumentis hæc opera perficiantur proprie in tertiana intermittente iam tempus est enarrare. Vires cõseruantur alimento, hoc est cibo & potione, quorum copia debet esse pauca, ne auertant naturam à concoquenda & expellendabile: habeant autem vim refrigerandi & madefacien di vt medeantur febri. commode datur [b] cremor ptissanę, aut auenæ, malua, lactuca, inthybũ, panis in aqua maceratus, vel decoctus siue etiam exiure parui pulli gallinacei, conueniunt etiam pisces saxatiles, aues mollis carnis, testiculi gallorum, oua sorbilia; pedes verò suilli & cerebrum quæ à veteribus [c] medicis in tertiana febre intermittente conceduntur, ob glutinosam vim quam habent possunt obstructionem augere, idcirco præstat alijs vti æsculentis. fructus verò [d] ęstiui, qui duri non sunt, refrigerati vtiliter sumũtur vbi sit nausea prę fertim pruna vel cerasia; præsertim quę visciolæ ab hetruscis appellantur; nam & hanc tollunt & viscera refrigerãt & madefaciũt, parcius tamen: nam facile vertũtur in bilem. Potio aquæ frigidę idonea est illis, qui dum sani sunt ea vti consueuerũt, alij sumant mulsam valde dilutam, aut aquam in qua bullierit hordeũ, siue etiam simplicem decoctam cui addatur aliquid zulapij violacei vel oxisacchari. Vinum verò non priùs conuenit quam signa coctionis [e] se ostendant, augeret enim febrem, sed vbi coctio iam apparet si detur albũ tenue aquosum dilutum, præter quam quod confert ad reficiendas vires & ad [f] coctionem, mouet vrinam & sudorem neque tunc febrem augere potest. Alterum opus ad febrem refertur quę refrigerantibus & madefacientibus curatur, vtemur ad refrigerandum & madefaciendum & victu & medicamentis supra [g] enarratis in curatione febrium illarum, quæ à putredine bilis oriuntur. maxime autem idoneum est [h] balneum aquæ dulcis quod madefacit ac refrigerat & valet etiã ad sudorem euocandum, atque adstrictionem relaxandam: tunc autem conuenit cum apparent [i] signa coctionis nam ante augeret obstructionem. Detractio flauæ bilis varia conuenit, vt per vomitum si tendat ad os ventricuti, per [k] deiectionem, præterea per vrinam. Venesectio necessaria non est cum morbus non ita magnus sit vt ita magnum

a Supra l. 4. cap. 7.

b Gale. p. ad Glauc. c. 9

c Galen. ibidem.

d Galen. ibidem.

e Gal. l. p. ad Glauc. c. 9

f Galen. l. 8. meth. ca. 3

g Supra in hoc libro cap. 3.

h Gal. l. p. ad Glauc. c. 9

i Galen. ibidem.

x Galen. ibidem.

gnum poſtulet auxilium, niſi tamen metuas ne prę ſuccorum multitudine vel eorundem natura ęterogenea ex intermittente in continuam & ita ex mitiori affectu in grauiorem mutatio fiat; at niſi id metuas ſufficiunt aliæ detractionis ſpecies. Vomitus vbi non ſequatur ſponte, larga potione aquę tepidę excitatur. deiectio aut ſponte effluit, aut euocatur cremore ptiſſanæ, potione mulſæ, vel ſyrupi quem roſatum ſolutiuum appellant, cum quo vtiliter permiſcetur dilutum rhabarbari, mel aereum, vel electuarium de ſucco roſarum præſertim vbi iam cocta materia ſit & febris admodum remiſſa. inijcitur in aluum vtiliter mulſa & oleum pręſertim viola conditum ſeu etiam decoctum ſtirpium relaxantium cum eodem oleo ac melle itidem viola condito. ad educendam vrinam datur potui aqua, in qua anhetum vel apium maduerit, ſiue ſerapium ex duabus, aut etiam ex quinque radicibus cum decocto earundem radicum vim habentium ciendi vrinam. valet & abſynthij [a] coma vbi appareant ſigna coctionis, quæ per noctem in aliquo eiuſmodi decocto aut etiam ſyrupo iacuerit. quæ medicamenta [b] nonnullis calidiora & ſicciora videntur quam huic febri conueniant, quamobrem præ apio atque anheto, magis aptatur aqua, in qua iacuerint radices appij, petroſelini, vel fænic-li, vel bullierit hordeum, aut contuſa fuerint ſemina refrigerantia, [c] vt cucumeris indici, cuius cucumeris ſuccus etiam à quibuſdam probatur, quod vnà cum refrigerandi vi detergat, eiuſmodi potiones vbi dentur poſt vigorem acceſsionis conferunt etiam ad mouendum [d] ſudorem. quò ſpectat etiam balneum aquæ dulcis vt ſupra oſtenſum eſt, cum valeat ad relaxandam adſtrictionem. Obſtructio partim tollitur varia detractione humorum iam propoſita, partim extenuantibus & incidentibus, quæ debent eſſe imbecilla ne [e] morbum augeant: quamobrem contenti erimus potionibus. Ad ſymptomata lenienda vtemur auxilijs ſuperius poſitis qua de curatione ſymptomatum: nunc de tertiana intermittente tantum addere illud oportet, quod rigor qui principio acceſsionis incidit ob ingentem calorem & ſiccitatem flauæ bilis non debet curari medicamentis valde calefacientibus ac ſiccantibus, præſertim intus datis ſicut rigor quartanę, ſed ſufficit externas partes calefacere frictionibus & fomentis.

a Galen. ibidem.

b Alex. Tralian. l 12. cap. 6.

c Auic. l. 4. f. p. Tr. 2. ca. 39.

d Gal l. 2. de criſib. ca. 3

e Gal. l. 11. meth. ca. x

De febre ardente & tertiana continua. Cap. V.

ALIAE duę febres, quę ex putredine flauę bilis oriuntur, ſunt tertiana continua & ardens; agemus primum de ardente vberius; deinde ſummatim de tertiana continua, quæ tantum ab ardente

dente differt, quòd lenior [a] sit: ita vt ijsdem indicijs cognoscatur & ijsdem auxilijs curetur, sed paulo leuioribus. appellatur febris ardens græce [b] καύσος, quod vocabulum ardorem significat, & ad tres febrium species notandas vsurpatur, minus proprie quidem ad synocham, [c] quam fieri diximus à sanguine putri, & ad continentem illam, quam excitat putredo pituitæ [d] salsę; sed proprie ad eam quæ à flaua bile putri proficiscitur, in qua summa est acrimonia caloris. Synocha verò [e] dicta est καύσος propter copiam caloris magis quam propter acrimoniam; illa verò, quæ oritur à pituita salsa putrescente, propterea id nomen inuenit quòd iungitur cum [f] siti intolerabili, quemadmodum illa quam nunc tractamus à flaua bile ortam & quæ proprie & vere dicitur ardens: continetur autem calore non modo acri, sed etiam acerrimo & parum fumi edit; mouetur tertio [g] quoque die quemadmodum in tertiana, non tamen intermittit vt in illa sed continuus est magis tamen ardens percipitur in corde & partibus internis: vt quamuis tam in tertiana quam in ardente [h] calor sentiatur ardens, differat tamen quod in ardente non solum assiduus est, sed etiam multo acrior sentiatur in corde & visceribus; quò fit vt excitet intolerabilem [i] illam sitim, quæ longe leuior est in tertiana intermittente. merito igitur huiusmodi febris ardentis nomen inuenit: nam ad eam quæ fit à sanguine putri vel à pituita salsa significandam abutimur vocabulo [k] ardentis. Proxima causa febris ardentis est putredo flauæ bilis in [l] venis; nam ea quæ facit tertianam intermittentem putrescit extra venas: verum, vbi putrescit in venis & efficit tertianam continuam, roget quis cur hanc aliquando simpliciter continuam, aliquando ardentem reddat? cui respondendum est discrimen consistere partim in materia ipsa putrescente; partim in loco vbi putrescit, magis vicinus cordi maiorem excitat ardorem, quemadmodũ cum accenditur ignis si ligna densiora sunt vt è quercu, & focus nobis propinquus, magis nos calefacit, ita cum ex putredine flauæ bilis excitatur febris cor maiorem percipit ardorem, quò & flaua bilis crassior fuerit & venæ vbi est velut focus putredinis minus ab eo distent. flaua bilis non semper æquè tenuis est (de sincera loquor quæ facit exquisitam febrem ardentem nunc nobis propositam) sed interdum crassior est quemadmodum illa, quam à similitudine vitelli oui [m] vitellinam appellant, cui paulum aquosi humoris admixtum est; interdum multo tenuior est, quòd maiorem copiam eiusdem aquosi humoris contineat; huiusmodi est illa quæ pallida ex flaua conspicitur, hæc minorem, illa maiorem ardorem efficit vbi putrescat. Quod attinet ad locum, cum flaua bilis putrescit in venis non multum di-

a Galen. 3. 3. epid. com. 34.
b Hippoc. & Gal. 4. acutorũ com. Tex. p.
c Gal. l. 2. de differ. feb. cap. 2.
d Hippoc. & Galen. 4. acutorum. Tex. com. 13.
e Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 2.
f Hippoc. & Gal. 4. acutorũ. Tex. com. 13.
g Gale. 2. de diff. febr. cap. 2.
h Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 3.
i Galen. 3. 3. epid. com. 34.
k Gal. 4. acutor. com. 13.
l Galen. p. p. epid. com. 9. & 3. epi. com. 33.
m Gale. 1 de natur. fac. ca. vlt.

ſtantibus à corde, vt in thorace,[a] & ventre, maiorem excitat in corde ardorem, quam ſi putreſceret in venis remotis. ſcire tamen licet, quaſdam partes, quamuis diſtent à corde ob conſortium vaſorum & canalium, affectum quem habent ipſi inpertire perinde ac ſi vicinæ eſſent; id quod euenit cerebro[b] & vtero[c] in quorum venis putreſcens flaua bilis poteſt febrem ardentem excitare. eſt interdum vt flaua bilis effuſa in ſubſtantia[d] viſcerum febrem ardentem efficiat, eamque prauam: ſed non eſt tunc exquiſita febris ardens cum ſit ſymptoma inflammationis vel potius eryſipelatis[e] partium illarum internarum, quibus maxime congruit cor, vt ventriculi, gulæ, pulmonis, iecinoris, ieiuni inteſtini, vteri, cerebri. at febres, quæ ſequuntur inflammationes atque eryſipelata, neque Hippocrates neq; alius quiſpiam ex veteribus[f] medicis nomine febris appellauit, ſed inflammationis vel eryſipelatis huius vel illius partis; quare neque tales dicentur ardentes; ſed illæ duntaxat quę à bile, quam diximus, putreſcẽte in huiuſmodi venis oriuntur. Cauſæ ſequuntur, quæ non proxime ſed per flauam bilem putreſcentem, ardentem febrem accendunt; ſunt autem illæ quę vel putredinem excitant, vel huiuſmodi bilem contrahunt. Putredo, vt in alijs febribus, excitatur prohibito perſpiratu, vel propter obſtructionem vel propter adſtrictionem præſertim externorum foraminum. Hippocrates[g] hieme flante borea ſcribit ſuperueniſſe febres ardentes, quod ſcilicet foramina cutis eſſent adſtricta ab eiuſmodi tempeſtate. contrahunt flauam bilem cauſæ tam interne quam externæ cum calefaciendi & ſiccandi vim habent; quod ſi ea vis calidior fuerit craſsior gignitur bilis, qualem diximus eſſe eam quæ febrem ardentem efficit, vt autem fit ardens exquiſita neceſſe eſt concurrant omnia tam externa quam interna ad calefaciendum & ſiccandum; quamobrem ardentes illæ quas Hippocrates[h] commemorat accidiſſe hyeme, flante aquilone, non ſunt exquiſitæ. Symptomata, quę febrem ardentem ſequuntur, ſunt primo[i] ſitis ferè inexpugnabilis, cum qua diximus perpetuo iungi ardentem febrem; prętera laxitudo[k] totius corporis, vigilia,[l] delirium, lingua aſpera & nigra, aluus liquida ac bilioſa. Hæc ſunt quæ præter naturam abſolute cognoſcenda ſunt de febre ardente; in homine verò qui laborat febre ardente, ex præſentibus recognoſcere primo oportet febrem ipſam; percipitur autem partim ſenſu, partim mente. ſub ſenſum cadit calor ille valde acris, aſsiduus & fumoſus, qui tertio quoque die reuertitur, ita vt tertianos efficiat circuitus, hoc continetur febris ardens & ſimul cum eo percipitur; ſed poteſt ardens febris etiam mente deprehendi, & primum ex cauſa proxima hoc eſt ex putredine flauæ bilis

a Gal. l. 2 de criſib. ca. 7 & 2. p. epi. com. 73.

b Gal p. prorit. com. 18

c Hippoc. & Galen. 5. 6. epid. Tex. com. 14.

d Gal 2. epi. com. 73.

e Gal. p. prorit. com. 18

f Gal. 4. aph. com. 73.

g Hippoc. 2. p. epid. 51. & Gale. in comento.

h Hipp. ibidem.

i Galen. 3. 3. epid. com 34. & 4. acutorum. com. p.

k Hippo. l. 4. acutor. 2.

l Hippo. l. 4. acutor. 4.

uæ bilis craſsioris in venis illis quæ vel non diſtant à corde, vel per inſignes canales afficere ipſum poſſunt; vbi talem putredinem exploratam habebimus, conficiemus in eo homine febrem ardentem eſſe. fiet etiam coniectura illa Archigenis [a] à comuniter vagantibus, nam ſi alij ęgrotantes tunc febre ardente teneantur veriſimile eſt eadem teneri febricitantem ad quem adhibiti ſumus. Accedunt iuuantia & nocentia, nam vbi proſint quę vehementer refrigerant aut leniter [b] flauam bilem purgent, vbi noceant ea quæ vel calidiorem reddunt vel gignunt eandem monſtrant febrem eſſe ardentem. ex effectis maxime indicatur hæc à ſiti, quæ [c] intolerabilis eſt niſi ſuperueniat tuſsis; [d] hæc .n. vbi etiam ſicca fuerit excutiendo humorem ſitim lenit; tum à vigilia, delirio, morſu in ore ventriculi, ab aluo liquida, ac bilioſa, vrina valde flaua, lingua [e] nigra atque aſpera; quę vbi concurrant certum indicium faciunt febris ardentis. Proxima cauſa hoc eſt putredo bilis ſinceræ & craſsioris in vaſis habentibus conſortium cum corde vel ipſi vicinis cum ſenſum lateat, neceſſe eſt mente colligatur ex cauſis illis, à quibus vel putrefieri vel gigni eiuſmodi bilem monſtrauimus; ex his quę obeſſe vel prodeſſe febri ardenti proxime docuimus; tum ex effectis eandem indicantibus, & præſertim exipſa febre ardẽte, quę eſt affectus corporis & propterea effectum & quodammodo ſymptoma putredinis. Reſtant ex præſentibus ſymptomata quæ febrem ardentem ſequuntur, omnia autem ſenſu deprehenduntur ſiue ſint actiones læſæ, ſiue affectus & qualitates corporis, ſiue retenta & expulſa. Quod attinet ad futura, euentus in febre ardente interdum ſalubris eſt, interdum pernicioſus: conijcies ſequuturam ſalutem vbi natura validior appareat, quam morbus; validiorem monſtrabunt complura quę ſæpius monſtrauimus, ſed potiſsimum coctio [g] quam vrina præſefert, vbi .n. mediocriter craſſa ſit & ſub flaua, præſeferatq; veluti nebulam aut in medio, aut in ſummo reſidentem, denunciabit naturam validiorem morbo; contra, ſi morbus videatur ſuperare naturam, interitũ prę-ſagies. monſtratur robur morbi primum ab ipſo feruore quo continetur, deinde à cauſa vt à materia multa & valde acri, tum ab his quæ ſolita ſunt prodeſſe vbi vel non proſint, vel potius noceant, poſtremo ab effectis vt à ſiti maxima, aut etiam [h] à carentia ſitis, quæ monſtrat vel extinctionem facultatis appetẽtis in ventriculo, vel mentis alienationem à qua proficiſcitur, à delirio, vigilia, morſu ventriculi valido, à lingua nigra atque aſpera, [i] ab vrina [k] nigra, quæ monſtrat flauam bilem iam eſſe peruſtam vel valde tenui atque alba quæ notat [l] phreneſim futuram, à ſudore frigido potiſsimum [m] circa faciem & frontem. Tempus quo expectari

a Gale. 2. de criſiũ. ca. 3

b Hippo. 4. acutor. 5.

c Galen. 3. 3. epid. com. 34.

d Hippoc. & Gale. 4. aphor. Tex. com. 54.

e Hippo. 4. acutor. 4.

f Galen. 1. de conſtitut. artis ca. 18 & l. 4. de præſagitione pul. c. 11

g Hipp. 2. p. epid. 45.

h Gale. p. 3. epid. com. 11.

i Galen. 5. 6. epid. com. 14.

k Galen. 2. p epid. com. 75.

l Gal. l. de vrinis cap. 5.

m Hippoc. p. progn. 26.

tari euẽtus debet siue salubris siue pernicioſus, breue eſt: cum hęc
a Gal.2.criſ. cap.6. febris peracuta ſit raroque ad [a] ſeptimum diem perueniat, mul-
to .n. ſæpius finitur ante vt tertio vel quinto die rarò quarto, cum
b Gal.3.cri. cap.4. natura [b] expellere ſoleat in die acceſsionis quæ fiet diebus impa-
c Galen.2.p. epid. com. 75. ribus interitus ſequitur ſexto [c] die, ſed interdum etiam multò
ante. Via interitus eſt ob exceſſum caloris, vel ob tabem [d] quæ
d Gale.p.de diff.feb. cap.8.& 9. ipſum ſequitur, & ob ſitim ingentem, vigiliam, delirium, alui
profluuium & grauiſsima eiuſmodi ſymptomata. via ſalutis ſi ab
arte proficiſcatur conſiſtit in refrigerantibus, ſi à natura in expul-
e Hippoc. & Gale. 4.aphor. Tex. com. 58. ſione vel per ſudorem quem [e] antecedit rigor, vel per ſanguinem
f Hippoc. 4. acutor.x. ex [f] naribus copioſe fluentem: tenuis .n. hic humor & acris faci-
le ſurſum fertur & aperit venas naſi, vel per vomitum aut deiectio-
nem bilis. In ratione curandi opera potiſsimum pertinent ad fe-
brem, & cauſam proximam putredinem videlicet flauæ bilis; ne-
que .n. multum attenditur virium refectio cum non ſoleant labe-
factari morbo tam breui: obſtructio verò & adſtrictio quæ perſpi-
ratum impediant non adeo magnæ ſunt vt medici conſilium auer-
tant ab operibus, quæ requiruntur à febribus & à cauſa, in qui-
bus nunc inſiſtemus. Poſtulat febris ardens ob ſummum feruo-
rem valde refrigerantia & madefacientia; ſed flaua bilis ſi ſemi-
putris ſit coctionem iuuantia: ſi ex toto putris [g] detrahentia. co-
g Gale.l.11. meth.ca.x. ctio, quæ à bile ſemiputri deſideratur, non alia deſiderat auxilia
quam febris, refrigerantia nimirum & madefacientia, à quibus na
turalis calor temperetur, & poſsit ſemiputrem bilem concoque-
re. Detractio eius quæ ex toto computruit plerumque refrigeran
tibus ac madefacientibus ad erſatur: quoniam calidis medica-
h Gale.l.11. meth.ca.x. & p.aphor. com. 24. mentis [h] detrahitur ſiue deiectione, ſiue vrina ſiue ſudore educa-
tur; tantum ſanguinis miſsio ſimul educit putrem bilem, & cum
i Gale.l. 10. meth.ca.x. materiam caloris ſummouet [i] etiam refrigerat. vbi autem contro
uerſa ſunt quæ cauſam adimunt his, quæ medentur febri, minus
tribuendum eſt cauſę magiſque dirigendum eſt conſilium ad fe-
brem quæ maxima eſt, & ita valde refrigerantibus & madefacien-
tibus vtẽdum; vbi remiſſus eſt feruor, tunc educere oportet quid-
quid ſuperat materiæ omnino putris: ſed veluti ſanguinis miſsio,
vt dictum eſt, ſimul exhaurit bilem putrem & feruorem febris re-
k Galen.l.9. meth.ca.5. mittit, ita potio aquæ frigidæ feruorem [k] extinguit, quo nomi-
ne reddit naturam validiorem ita vt expellat quæcumque noxia
ſunt, quamobrem ſequitur ſanguinis miſsionem, alui profluuium
& multus ſudor, ita vt vtrumque remedium ſanguinis miſsio ſci-
l Galen. l.9. meth. ca.5 licet & aquæ potio & febri & cauſæ ſimul aptetur. Dicet fortaſſe
quiſpiam vtro magis expediat vtius? diſtinguenda [l] eſt febris ar-
dens, ea .n. quæ omnino exquiſita eſt & à bile minus diluta pro-

ficiſcitur

ficiſcitur ob ſummum ardorem, magis deſiderat aquę frigidæ potum, & quia tunc vires non poſſunt eſſe validæ non ferunt liberalem ſanguinis miſsionem. contra ſi febris ardens minus exquiſita ſit oriaturque à bile cui plus admixtum ſit aquoſi humoris ob minorem ardorē, non ita deſiderat potionem aquæ frigidæ: ſed commodę tunc fertur copioſa detractio ſanguinis cum vires magis valeant, ita vt ſatius tunc ſit hoc præſidio vti quam illo, ſatis autem & remittetur ardor febris & educetur materia putris. Quamuis autem copioſa ſanguinis miſsio requiratur, verendum eſt ne non ſuſtineri poſsit, neque .n. ita valent vires cum putreſcit flaua bilis ſicuti cum putreſcit ſanguis & efficit ſynocham febrem; quare nō mittendus erit in ardente vſque ad animi defectionem; ſed ſatis erit expediſſe perſpiratum & partem aliquam materiæ putris detraxiſſe, ſic .n. retentis viribus reliqua ſuperabitur atque expelletur. quod ſi febris valde ardens ſit dabimus potui aquam [a] frigidam quantum ęger haurire volet, hac vtitur Hippocrates [b] cum eiuſmodi febrem ſanat, vbi hac vtamur non opus erit ſanguinem mittere, ſicut vbi mittamus ſanguinem non opus [c] erit dare potui aquam frigidam. Cæterum licet mittere [d] ſanguinem etiam cum materia febrem accendens cruda eſt, non tamen licet potui dare aquam frigidam [e] niſi cum apparent ſigna coctionis: quia periculum eſt ne materia cruda maiorem afferat obſtructionem ſi refrigeretur: ſed hoc pertinet ad febres ardentes non exquiſitas, nam in exquiſitis à ſincera bile ortis, non eſt periculum ne ex potione aquæ frigidæ maior ſequatur cruditas; quin potius remiſſo feruore calor naturalis multo facilius concoquet quicquid concoquendum eſt. prohibet etiam aquæ frigidæ potionem inflammatio, ac tumor viſcerum, augetur .n. cum refrigeratis viſceribus id retineatur quod expelli deberet cum aliquo pacto cogatur atque adſtringatur cum parte inflammata; ſed cum eiuſmodi tumoribus atque inflammationibus non copulatur febris ardens atque exquiſita: cum eryſipelate verò exquiſito viſcerum, febris ardens non videtur poſſe alia ratione curari quam potione [g] aquæ frigidæ, ſub qua bilis ob rationem ſuperius dictam magis concoquetur quam cruda reddatur; neque oportet coctionem expectare ante quam bibatur: ſicuti, ſi eſſet aut tantum inflammatio, aut etiam eryſipelas mixtum cum inflammatione, expectanda tunc eſt coctio prius quam bibatur frigida aqua. Miſſo ſanguine, aut epota frigida aqua recedit feruor aut certe remittitur. vbi aliquid ipſius & putredinis relinquatur, educendum eſt vomitu, deiectione, vrina, ſudore, pro vt natura vnam vel plures vias, & hanc aut illam tentat. quacumque via educatur vtendum eſt medicamentis le-

a Galen. ibidem.
b Hippo. l. 4. acutorū 5.
c Galen. l. 9. meth. ca. 5
d Galen. 2. aphoriſm. com. 29.
e Gal. l. 9. meth. c. 5.
f Gal. l. 9. meth. cap. 5.
g Galen. ibidem.

nioribus non acribus, non ſalſis vt inquit [a] Hippocrates. Vomitus mouetur potu aquæ tepidæ cui aliquid oximellis ſit adiectum. deiectio lacte aſinino quod potui datur ab [b] Hippocrate, vel etiam ſero quod ſine coagulo ſeparatum fuerit à lacte: reſpergitur .n. lac dum feruet aliquot guttis oximellis frigidi, aut eidem ſuper imponitur vas æneum plenum aquæ frigidæ atque hoc pacto ſepa ratur ſerum à lacte & euitatur acrimonia coaguli. Mitiſsimum etiam preſidium ad hoc idem opus perficiendum eſt ſerapium ex pluribus infuſionibus roſarum, quod ſolutiuum noſtri appellant vel per ſe, vel cum melle aereo, aut etiam infuſione Rhabarbari epotum. Vrina mouebitur commode, ſi detur potui aqua in qua bullierit radix graminis, apij, petroſelini, vel fæniculi, aut hordeum ac ſemina cucumeris indici, vel meloponis. Sudor euocabitur balneo [c] aquæ dulcis tempeſtiue adhibito, hoc eſt cum apparent ſigna coctionis.

a Hipp. l. 4. acutor. 8.
b Hipp. l. 4. acutor. 7.
de sero
c Gal. l. p. ad Glauc. c. 9

Supereſt tertia febris, ex illis quæ oriuntur à putredine flauę bilis, tertiana videlicet continens, quæ tantum differt ab ardente iã expoſita quòd minus feruet [d] atque idcirco ſitim & alia ſymptoma ta affert leuiora. Cauſæ diſcrimen ſupra [e] oſtendimus in eo conſiſtere quod bilis à qua hæc accenditur magis diluta eſt aquoſo humore, & putreſcit in venis magis diſtantibus à corde, aut non ita ipſum afficientibus. Indicia ex quibus cognoſcitur tertiana continens eadem ſunt, quæ in ardente retulimus. ſed [f] leuiora. Euentus minus periculoſus eſt in hac quam in ardente. Tempus paulo longius, trahitur .n. vſque ad ſeptimum diem cum exquiſite ardens tertio aut quinto finiatur. Via ſanationis & interitus eadem eſt vtriuſque. Curatio in eo differt quod in hac non ita refrigerantibus opus eſt vt in ardente, magiſque licet vti educentibus etiam paulo calidioribus.

d Gale. 3. 3. epid. com. 34.
e Supra in hoc eodem cap.
f Galen. 3. 3. epid. com. 34.

De febre orta à pituita putreſcente & primo de quotidiana. Cap. VI.

FEBRIBVS exquiſitis, quæ à flaua bile putri oriuntur, ſunt [g] qui ſpurias proxime ſubijciant; nobis tamen magis placet exquiſitas ſpecies omnes prius exponere quę ſimpliciorem naturam habent & ſunt regulæ aliarum, deinde aggredi ad ſpurias mixtas quodammodo & compoſitas ex ſimplicibus atque exquiſitis. Diximus de illis quę à ſanguine vel à flaua bile proficiſcũtur, ſequuntur nunc illæ quas accendit putreſcens pituita, quæ plures ſunt, & magis inter ſe diſtant quam bilioſæ quarum tres differentias poſuimus: nunc verò quę à pituita fiunt ſpecies magis dicentur, cum calor quo continetur videatur ſpecie differre vt in ſequentibus patebit

g Gal. l. p. ad Glauc. c. x. & Auic. l. 4. f. p. tract. 2. cap. 39.

tebit, totidem igitur ſpecies ſunt febrium quas pituita accendit quot ipſius pituitę, ſed has conſtat eſſe ternas; [a] cum vna ſit ſecundum naturam, dulcis videlicet, duæ præter naturam, ſalſa, & acida: redditur ſalſa pituita ob putredinem [b] quę verò acida eſt cruda [c] eſt; ſed multo magis quę ſapore caret; hæc eiuſdem ſpeciei videtur cuius eſt acida ſed magis cruda eſt & craſsior ideo proprie [d] cruda dicitur, quamuis communiter quæuis pituita [e] cruda ſit cum ſit ſanguis minus coctus; quod ſi non tantum craſſa ſit ſed etiam glutinoſa imitatur [f] vitrum fuſum atque idcirco vitrea à veteribus medicis nominata eſt. tres igitur duntaxat ſtatuemus pituitę ſpecies, dulcem, ſalſam, & acidam ſeu vitream, quibus reſpondent ternæ ſpecies febris. à pituita [g] dulci oritur ea febris quæ ſimpliciter dicitur quotidiana, nomen que ducit ab ordine circuituum, ſicuti tertiana ex febribus biliosis. à pituita ſalſa fit genus [h] quoddam ardentis febris: ab acida ſeu inſipida proficiſcitur ea febris quæ vocatur à Gręcis [i] ὑπιαλος, ſub hac ſentit quælibet pars corporis quantum vis parua ſimul frigus & calorem toto tempore quo manet. agemus de vnaquaque trium ſeparatim; neque prius communia perſequemur vt fecimus in febribus biliosis; pauca .n. ſunt quę communiter pertineant ad has omnes tres; nam ſiue morbum cauſas & ſymptomata, ſiue ſigna, euentus tempus & curationem inſpicias comperies longe inter ſe diſtare, ſumemus initium à quotidiana.

Febris quam accendit pituita dulcis putreſcens, continetur calore [k] acri & fumoſo vt communiter omnes illæ febres quæ ſequuntur humorum putredinem: ſed proprie multum fumoſo & parum acri, contra quæ à flaua bile oritur vt ſupra oſtendimus valde acri & parum fumoſo: imitatur .n. flaua bilis ligna arida à quibus parum, pituita verò viridia, [l] à quibus multum fumi exhalat; obtunditur autem copia humoris caloris acrimonia præſertim primo contactu ita vt mitior appareat, ſed poſtea diutius tangenti acrior ſentitur; tarde verò mouetur & inequaliter, ita vt modo excitari modo delitiſcere videatur, & veluti diſruptis bullis quaſi per cribrum erumpat. circuitus quotidiæ reuertitur vnde apud Græcos [m] ἀμφημερινος, & καθημερίμος nominatur, apud latinos quotidianus, diciturque febris ipſa quotidiana, ſiue [n] aſsiduus ſit, ſiue intermittat, nam vtrumque accidere poteſt, cum intermittit manet febris decem & octo horas, ſed poſt viginti quatuor noua [o] acceſſio hominem inuadit, ita vt cum intermiſsio breuis ſit non perueniat ad veram integritatem quemadmodum vbi lõga eſt veluti in quartana, rarò itaque reperias aut quartanã [p] aſsiduam aut quotidianam [q] intermittentem. Cauſa quotidianę febris eſt pituita [r] dulcis,

a Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 6. & l. 2. de natu. facul. ca 9.
b Galen. ibidem.
c Gal. l. 2. de natur. facult. 9.
d Galen. l. de plenitud. cap. 11.
e Gal. l. 2 de natur. facult. ca. 9.
f Gal. l. 2. de differ. febr. cap. 6.
g Galen ibidem.
h Gal. 4. acutor. com. 13.
i Galen. l. de inæquali intemp. c. 8 & Paulus Ægineta l. 2. cap. 26
k Gal. l. p. ad Glauc. c. 7.
l Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 4.
m Gal. 2. de differ. feb. cap. 7.
n Gal l. 2. de diffe. febr. cap. 8.
o Gal. l. 2. de differ. feb. cap. 4.
p Gal. l. 2. de differ. feb. cap. 2.
q Gale. p. ad Glauc. c. 7.
r Gal. l. 2. de differ. feb. cap. 6.

ATENEO VENETO VENEZIA

cis, non ſimpliciter ſed vbi [a] putreſcat, neque.n. ſufficit multitudo, nam ſi flaua bilis quæ valde calida eſt & ſicca, nequit ſine putredine febrem accendere; multo minus pituita quæ frigida & humida. Proxima ergo cauſa quotidianæ febris eſt putredo pituitæ dulcis, quæ quòd inæqualis ſit, magis & minus craſſa, inæqualem calorem excitat, & viciſsim [b] accenditur ac deliteſcit, ſubinde .n. putreſcit quę minus craſſa eſt, quæ craſsior extenuatur, ſed quia [c] fumoſus multus eſt & acrimonia parua quòd pituita valde humida ſit, & propterea vt ante dictum eſt, multum fumi ædat, & parum acris primo contactu ſentiatur. Quod ſi putreſcat in venis, [d] efficit febrem aſsiduam, ſi extra venas in ambitu totius corporis intermittentem. Cauſa putredinis eſt prohibitus perſpiratus, quem affert adſtrictio, ſed potiſsimum obſtructio. Oritur hæc ab eadem pituita quæ putreſcit, & quòd multa ſit, & quòd interdum etiam craſſa & glutinoſa: neque enim alius eſt humor qui putreſcit in hac febre, alius qui obſtructionem affert vt non numquam vſu venit [e] in febre tertiana in qua putreſcit flaua bilis ſed obſtructionem affert pituita. Cauſa verò cur multa contrahatur pituita dulcis & quotidianam febrem accendat partim ad effectricem, partim ad materiam ſpectat. Effectrix [f] eſt ipſa temperatio ventriculi, & iecinoris frigidior, vel etiam cerebri vt [g] nonnulli exiſtimant, qui à deſtillatione ex cerebro emanente ac putreſcente accendi quotidianam febrem voluerunt. Neque refert cum humore nè an cum ſiccitate copuletur frigus viſcerum, cum vtrauis .n. minus perficit coctionem & pituitam procreat. Ad temperationem viſcerum refertur ætas [h] ſenum, qui multa pituita abundant, & conſuetudo contracta ex vſu rerum frigidarum quæ eſt natura quædam aduenctitia. Res externæ atque euidentes, vt quę fiunt, quæ offeruntur, quæ extrinſecus incidunt, quæ expelluntur ac retinentur magis ſunt efficiendi ſociæ quam effectrices, ſunt tamen adiumento cauſis, hoc eſt viſceribus frigidis pituitam procreantibus quòd augeant frigus ipſorum. Materiam ſuppeditant procreationi pituitæ æſculenta & poculenta quantitate vel qualitate [i] immoderata, vbi nimia [k] ſunt non poſſunt bene concoqui & idcirco in pituitam vertuntur, id quod faciunt etiam vbi qualitate frigida fuerint, craſſa & glutinoſa vel dura. Symptomata complura quotidianę febri ſuperueniunt, vt ſomnus grauior quod impleatur cerebrum vaporibus multis, glutinoſis, frigidis, atque humidis; læditur appetitio cibi, male afficitur os [l] ventriculi. principio acceſsionis ſi febris intermittat ſentitur quidam [m] horror, ferè autem cum quotidiana febre iungitur affectus ventriculi, [n] cum quartana lienis, cum tertiana iecinoris. Hactenus de his quę cognoſcenda

a Gal.l.2.de differ.feb. cap.5.

b Gal.l.2.de diff.febr. cap.6.

c Gale.2.de diff. febr. caf. 4.

d Gal.l.2.de diff.febr. cap.vlt.

e Supra cap. de tertiana.

f Gal.l.p.ad Glau. cap. 7.

g Auic l.4.f. p.Tr.2.ca. 46.

h Gal.l.2.de Temp.c.2.

i Gal.l.p.de natura humana comento 36.

k Gal.l.p.ad Glauc. c.7

l Gal. l.2.de fib.ca.5

m Gale.ibidem & l. p. ad Glauc.cap. 7.

n Gal.l.p.ad Glauc.c.5

gnoſcenda erant in vniuerſum ad quotidianam febrem attinentia, nunc ad ea tranſeundum eſt quæ intelligere oportet in homine febricitante. ex præſentibus, febris partim ſenſu percipitur, partim coniectura inueſtigatur, cadit .n. ſub ſenſum calor quo febris ipſa continetur multum [a] fumoſus & parum acris præſertim primo contactu, nam diutius tangenti acrior apparet; prætcrea tardi atque inæqualis incrementi à quo fumus exhalat diſruptis veluti bullis quaſi per cribrum, qui præterea viciſsim nunc excitatur nunc deliteſcit, & ad [b] veſperam ferè inuadit quotidie, talis ergo eſt calor ille in quo quotidiana febris conſiſtit, qui cum iudicetur ſenſu, exiſtimare licet quotidianã febrem ſub ſenſum cadere niſi malumus ab eiuſmodi calore tanquam ab eſſentia argumentum ſumere quotidianæ febris, & hoc pacto etiam mente ipſam conijcere. ſed ſumuntur eius ſigna à cauſa, à proxima videlicet, nam aliæ hanc denunciant. diximus [c] proximam cauſam eſſe putredinem pituitę dulcis, quæ vbi nobis explorata ſit erit ſimul perſpecta etiam quotidiana febris; quo pacto autem cognoſci poſsit putredo pituitæ cũ ſenſum lateat paulo infra ſubijciemus; fit etiam [d] coniectura ex communiter vagantibus, nam, vbi febres quæ alios inuadunt quotidianæ ſunt, veriſimile eſt & eum quem curamus quotidiana laborare. Colligitur eadem febris ex his quæ proſunt vel obſunt ſi quidem vbi proſint ea quæ pituitam vel educunt, vel citra exceſſum caloris ipſam extenuant, atque incidunt, vbi obſint ea quę vel pituitam contrahunt, vel eãdem craſsiorem aut frigidiorem reddunt monſtrant febrem quotidianam. eamdem ſignificant effecta & primò actiones leſæ, vt pulſus [e] inæqualis: tardus, præterea paruus & rarus minus tamen quam in quartana; ad hæc propenſio adſomnum vel etiam ſomnus grauis ac longus, cibi faſtidium, ſitis modica, affectus oris, [f] ventriculi. horror initio acceſsionis & frigus partium extremarum: ex qualitatibus corporis color pallidus vel plumbeus, malus totius [g] corporis habitus, tumor præcordiorum. poſtremo ea quæ expelluntur ſi pituitam [h] præ ſeferunt, & cruda ſunt, vrina [i] alba ac tenuis eſt, vbi ſumma ſit cruditas, nam vbi leuior, redditur turbida & craſsior. euomitur etiam aut eijcitur [k] pituita, ſudor vel nullus [l] vel paruus exit. Eadem verò ſigna ſunt intermittentis & continuæ niſi quod poſt decem & octo horas quę intermittit venit ad integritatem, quod non accidit aſsiduę quæ manet dum noua inuadat, quamquam ea integritas quam diximus eſſe in intermittente non eſt omnino [m] vera cum ſemper relinquantur veſtigia aliqua febris. cauſa proxima febris hoc eſt putredo pituitæ dulcis, cum ſenſum lateat colligenda eſt primô ex cauſis illis à quibus pituita dulcis & procreatur & putre-

a Gal.1.p.ad Glauc. ca. 7.& l 2 de dif.feb.c 4

b Gal.l.2.de criſib.ca 5

c Ab initio huius cap.

d Galen.l.2. criſiũ. ca.3

e Gal. l.p.ad Glauc.c.7.

f Gal.l. p.ad Glauc.c.5.

g Gal.l. 2. de diff. febr. cap.7.p.

h Gale.p. ad Glauc. c.7

i Galen. ibidem & l.2 de criſib. cap.5.

k Gal.l.p.ad Glauc.c.5.

l Galen. ibidem.

m Gale. l.2. de differ. feb. c.4

putreſcit, deinde ex his quæ vel iuuant pituitam educendo atque extenuando, vel nocent eamdem procreando aut reddendo craſſiorem: poſtremo ex effectis vt ex propenſione ad ſomnum, ex colore totius corporis albo, ex his quæ detruduntur pituitam proferentibus. Superſunt ex præſentibus dignoſcenda ſymptoma illa quæ diximus ſuperuenire febri quotidianæ, omnia autem ſenſui ſubijciuntur, veluti ſomnus longior, faſtidium cibi, horror, ac frigus partium extremarum, ita vt non opus ſit ſignis ex quibus colligantur. Ex futuris euentus non ſemper ſalubris eſt ſed interdum pernicioſus, eſt .n. febris periculoſa & non ſolum vbi continens eſt, ſed etiam vbi intermittit cum, vt ante dictum eſt, nõ perueniat ad veram [a] integritatem. vteruis ſequi euentus debeat intelligetur ex cauſis, hoc eſt ex [b] robore naturę vel morbi: robur naturę ex multis colliges, ſed potiſsimum ex coctione, robur morbi ex cruditate & prauitate, tum ex ſymptomatibus vt ex tremore, lethargo, hydrope. Tempus futuri euentus neceſſario longum [c] eſt: neque .n. breui poteſt concoqui aut expelli humor multus, craſſus, glutinoſus, frigidus; illa, quæ terminatur inter quadrageſimum & ſexageſimum diem, breuiſsima eſt. Via per quam ſanatur quotidiana febris, partim in coctione conſiſtit, partim in expulſione [d] pituitæ, via interitus magis refertur ad grauitatem ſymptomatum quam ad magnitudinem morbi aut prauitatem humoris.

In curanda quotidiana febre cum diuturnior ſit, magis attendere vires oportet quam in his quæ acutę, quales ſunt quæ à ſanguine, vel à flaua bile oriuntur: non poſſunt vires diu ferre [e] inediam vel cibi paucitatem alioquin requiſitam à cauſa febris. Attendenda etiam ſunt in hac eadem febre ſymptomata magis, quam in multis alijs, quòd grauiſsima ſint quemadmodum morſus in ore ventriculi & animæ defectio ita vt vires conuellant: ſed non propterea negligenda eſt febris aut putredo proxime ipſam accẽdens, aut obſtructio & eius cauſa, omnia igitur hæc diligenter inſpicienda ſunt. Vires poſtulant co nſeruationem, ſymptomata leuationem quandam, morbus hoc eſt febris refrigerantia & madefacientia, proxima cauſa hoc eſt putredo pituitę coctionem & detractionem. cauſa obſtruens contrario opere eget, pituita .n. multa exhaurienda eſt, craſſa extenuanda, glutinoſa incidenda: ex quibus operibus virium [f] conſeruatio cæteris præferenda eſt, nam vbi debiles ſunt, alimento refici debent etiam ſi rebus præter naturam inimicum ſit. Symptomata vbi grauia ſunt vt vires conuellant [g] lenire oportet, neque expectare dum tollatur morbus aut cauſa. illud verò opus, quod à febre requiritur, hic longe minoris momenti eſt quam quod à putredine pituitæ, neque enim vehe-

a Gal. l. 2. de criſib. cap. 6. & l. 2 de diff. febr. cap. 4.

b Galen. l. de conſtitut. artis ca. 18 & l. 4. de præſagitione pul. c. xi

c Gale. l. 2. criſiũ. ca. 6

d Gale. l. 3. criſiũ. ca. 3.

e Hippoc. & Galen l. p. aphoriſm. Tex. tom. 4.

f Galen. l. 9. [illegible] 13.

g Gal. l. 12. met. c. p.

mens

mens eſt calor quotidianæ febris aut aridus, ſed parum [a] acris & multum humidus, præter quam quod refrigerantia & madefacien tia pituitę inimica ſunt, quam magis calefatere & ſiccare oportet vt extenuetur [b] atque incidatur; magis igitur incumbemus in curationem cauſæ, eam verò febris rationem habebimus ne augeatur [c] per ea quæ adhibentur ad cauſam curandam. à putredine diximus requiri coctionem & detractionem, curatur pituita putris magis coctione quòd non valde putreſcat cum frigida ſit, & cum ſit ſanguis minus [d] perfecte coctus & poſsit à natura ex toto concoqui & ſuperari. dare igitur primum operam oportet vt concoquatur, deinde vt exinaniatur quicquid ex ipſa concoqui non poteſt; verum exinanitur non tantum pituita illa quæ computruit, ſed illa quoque quæ ob copiam efficit obſtructionem, neque .n. ſatis eſt concoquatur vbi nimia ſit, ſed omnino detrahenda eſt. quod ſi conferamus inter ſe opus detractionis cum eo quod conſiſtit in incidendo, & extenuando videtur hoc & prius & magis neceſſarium [e] cum ad facilitatem coctionis conferat pituitam eſſe extenuatam atque inciſam, ſine quo non poteſt etiam [f] exinaniri. Sed ſatis de operibus, pergamus ad inſtrumenta quibus perficiantur, vires maxime retinentur cibo & potione, talis autem conuenit vt non ſolum reficiat vires ſed [g] pertineat etiam ad extenuandam atque incidendam pituitam; ſed quia quæ hac vi prędita ſunt calefaciunt etiam & ſiccant, eligere ea oportet quæ minus hoc efficiant ne cum cauſæ [h] medentur febrem augeant; eligemus igitur moderate calefacientia & ſiccantia, vitabimus quæ valde hoc præſtant propter febrem, non ſecus atque ea quæ valde refrigerant & madefaciunt propter cauſam, quamobrem non dabimus amplius panem ex aqua, ſed magis ex iure pulli Gallinacei, condiemus ptiſſanam pipere [i] aut cinnamomo. Potus ſit mulſa aut vinum ali quod tenue. Coctio cum perficiatur à calore naturali, vt ſæpe dictum eſt, non alia poſtulat inſtrumenta quam quæ ipſum temperant: quod in hac febre non multum requiritur parum .n. acris eſt vt ſupra oſtendimus; quare dirigemus conſilium potius ad materiam extenuandam [k] atque incidendam, vt magis concipiat vim naturalis caloris concoquentis & facilius concoquatur. ſpectemus igitur quibus inſtrumentis vtendum ſit ad extenuandum atque incidendum, quod opus conducere diximus obſtructioni remouendæ, coctioni, & detractioni. Habent vim extenuandi atque incidendi non ſolum medicamenta ſed ea etiam quę ſub victu comprehenduntur, vt aer tenuis, cibus tenuium partium & paucus conditus [l] aromatibus aut herbis acrioribus vt timo, hyſopo, calamento pulegio, potio ſit mulſa, oximel [m] dilutum aut vinum tenue.

a Gal. l. p. ad Glauc. c. 7.
b Gal. l. p. ad Glau. c. 12
c Gale. l. 11. met. cap. x.
d Gal. l. 2. de natur. fac. cap. vlt.
e Gal. l. p. ad Glauc. c. 12
f Hippoc. & Gale. 2. aphor. x.
g Gal. l. p. ad Glauc. cap. 12.
h Gale. l. 11. meth. c. x.
i Gal. l. p. ad Glauc. c. x.
k Gal. l. p. ad Glauc. cap. 12.
l Gal. l. 6. de Tuen. val. cap. xi.
m Gal. l. p. ad Glauc. cap. 12.

nue . confert etiam ad extenuandum vigilia magis quam ſomnus, motus quam quies, animi perturbatio quam tranquillitas. Medicamenta incidentia atque extenuantia ſunt oximel additum aquę in qua bullierit hyſopum, timum, puleium, origanum, eamdem etiam vim habent ſyrupus de ſtechade, de praſio, de timo, byſantinus, de duabus vel quinque radicibus, aut etiam oximel ſcylliticum quę eidem decocto adijciantur. valet pręterea confectio dioſpoliticon, diagalanga, & diacalamentum: vbi febris magis feruet à validioribus abſtinendum eſt. Reſtat detractio quæ varia conuenit vt vomitus, deiectio, vrina, ſudor. Omittitur autem à veteribus [a] in quotidiana febre ſanguinis detractio, quamuis proponatur tanquam [b] commune auxilium omnium illarum febrium quæ ſequuntur putredinem; profectò cum pituita magis concoqui quam educi debeat, cumque vires ſub copia pituitæ non multum valeant, plerumque neque requiritur neque toleratur; vbi tamen cum pituita ſimul ſanguis etiam redundet accõmodabitur & ferri poterit ſanguinis miſsio; alioquin magis contenti erimus alia ſpecie detractionis. ſi pituita tentet os ventriculi conueniet vomitus qui excitatur poſt cibum quidem facile, [c] ſed ante etiam ſi potui detur oximel valde dilutum, & aqua tepida, aut ea etiam in qua bullierit calamentum, hyſopum, radicula. accommodatur deiectio vbi pituita non feratur ad os ventriculi, vtemur autem catharcticis ipſam ducentibus, vt agarico, hyera ex colloquintide, hiera ex agarico, diaturbit, electuario ex dactylis præſertim permixtis cum melle roſaceo ſolutiuo quod appellant. Præſtat verò non totam ſimul purgare eam quæ redundat, ſed paulatim & viciſsim nunc dare extenuantia & incidentia nunc catharcti ca. Vrina autem & ſudor non prius euocari debent quam aliqua ex parte imminuta [d] multitudo fuerit & craſsitudo extenuata: expectare etiam ſigna coctionis oportet, nam tunc tuto [e] euocatur. Ad vrinam vtemur apio, fœniculo, adianto, aſaro, ſiler montano, camedrio, radicibus aſparagi. ad ſudorem illis quæ relaxandi vim habent ſiue extrinſecus adhibeantur vt balneum, ſiue intus dentur vt vinum tenue, aut aqua in qua bullierit dulcis radix, hordeũ, chamomelum. Symptomata quæ propriam animaduerſionem requirunt in quotidiana febre potiſsimum ſunt ſomnus grauis, dolor oris ventriculi, frigus partium extremarum. pugnabimus aduerſus ſomnum partim repellendo à capite ſuper impoſito oleo roſa condito cui additum ſit aliquid aceti, partim auertendo ad partes inferiores vt ad crura. Prouidebimus ventriculo ſi ipſius os confirmemus potiſsimum in vigore [f] acceſsionis externo aliquo medicamento adſtringente vt ole maſtichino, aut melino, aut in quo

a Gal. p. ad Glauc. c. 12
b Gal. 11. meth. cap. 15.
c Gal. l. p. ad Glauc. ca. 12.
d Gal. l. 11. meth. c. x.
e Hippoc. p. aphor. 22.
f Galen. p ad Glauc. ca. 12.

quo maduerit, vel in duplici vase bullierit absynthium. contra frigus extremorum vtemur fomentis & inungemus oleum chamomelinum, aut anhetinum.

De febre epiala. Cap. VII.

ALTERA febris earum, quæ â pituita putri oriuntur, ab ea fit quæ cruda est, crassa, glutinosa [a] & idcirco vitrea. nominatur hæc febris græcè ὑπήαλος, ducto vocabulo, vt nonnulli [b] volunt, ἀπὸ τ' ἀλὸς & ὑπίωσ, hoc est â mari, quod â principio quidem tranquillum videtur sed difficillimum postea tempestate redditur. est proposita febris aliquo pacto similis quotidianæ, aliquo pacto dissimilis, id quod facile perspicietur si sigillatim capita eorum, quæ de quotidiana febre proposita sunt perpendamus. Continetur ὑπίαλος, calore multum fumoso, & parum acri, qui mitior primo contactu se ostendit, sed diutius tangenti acrior sentitur, quemadmodum in quotidiana: tantum [c] differt quod calori additur rigor, & simul etiam in quauis parte quantumuis parua sentitur frigus ita vt vbique percipiatur inæqualitas [d] quędam frigoris & caloris. Circuitus in hac similiter quotidianus est. numquam tamen assiduus nisi ob multitudinem materiæ, sed necessario sua vi intermittit cum materia extra [e] venas putrescat. id quod rigor adiunctus demonstrat. Causa proxima est putredo similiter pituitę, non tamen dulcis vt in quotidiana quam tractauimus, sed acidæ aut insipidæ, [f] crassæ & glutinosæ ac vitrieę: hęc vbi extra venas tota putrescit febrem excitat in qua calor sentitur vt in quotidiana sine manifesto frigore aut rigore, vbi tota sine putredine feratur ad externas partes sentientes efficit rigorem sine [g] febre, non tamen vehementem, si pars putrescat, pars sine putredine seruetur simul accenditur calor & sentitur frigus [h] cum rigore, nam pars quę putrescit accendit calorem, reliqua rigorem & frigus affert. Causa pituitæ putris est quicquid ipsam aut putrefacit aut gignit, putrefacit prohibitus perspiratus, obstructio, quam efficit ipsamet, quòd non solum multa sed etiam valde crassa & glutinosa sit. ad ipsam verò contrahendam concurrit tum efficiens causa vt frigus iecinoris & ventriculi: tum materia quam suppeditant cibi frigidi, duri, aut etiam valde crassi & glutinosi. Symptomata eadem ferè sunt in vtraque febre, maiora tamen in hac: vehementer .n. mouetur os ventriculi, conuelluntur vires & sequitur animæ defectio, pro horrore ab initio percipitur rigor dum manet accessio. somnus verò, qui â pituita dulci oriri solet in febre quotidiana, non ita fit â vitrea cum ob intensam cruditatem vapores ab ipsa pauci exha-

lent,

a Gal. l. 2. de diffe. feb. cap. 6.

b Paulus l. 2. cap. 26.

c Gal. l. 2. de diff. feb c 6

d Galen. l. de inęquali intemperie cap. 8. & l. 2. de diff. febr. cap. 6.

e Gal. l. 2. de diff. febr. c. p. & vlt.

f Gal. l. 2. de differ. feb. ca. 6.

g Gal. l. 2. de cauſ. ſymp. cap. 5.

h Gal. l. 2. de diffe. febr. cap. 6.

lent. Cognoſcitur in homine ægrotante ὑπιάλοσ, partim ſenſu, partim ratione; percipit ſenſus calorem quem diximus parum acrem, valde fumoſum, cum ſenſu ſimul [a] frigoris & rigoris,& cũ circuitibus quotidianis. Ratione colligitur ducta primum à cauſa effectrice hoc eſt à pituita vitrea, quæ extra venas non tota ſed aliqua ex parte putreſcat; a iuuantibus & lędentibus, iuuant.n. quæ concoquunt & paulatim exhauriunt pituitam, nocent quę vel ipſam contrahunt vel ſubito educunt. ex effectis vt ex morſu in ore ventriculi, ex defectione animę, ex colore albido, ex vrina valde cruda, ex deiectione valde pituitoſa. Cauſa hoc eſt putredo pituitæ vitreæ extra venas quæ partim ſine putredine feratur per ambitum corporis ex ſola hac febre quam deſcripſimus depræhendi poteſt. Symptomata quæ numerauimus ſenſui manifeſta ſunt. Ex futuris euentus in hac febre longe magis [b] periculoſus eſt quam in quotidiana cum pituita vitrea tardius concoquatur, atque expellatur quam dulcis, proceſſu autem temporis vires ſub grauitate ſymptomatum [c] deficiant. vbi tamen non dum labefactatæ ſunt, ſi æger obſequatur, & quæ cõuenit à medico adhibeatur curatio polliceri ſalutem poſſumus. Tempus quo expectanda ſalus eſt, non poteſt non eſſe longum, cum materia multa & valde cruda ſit, ſed tempus interitus poteſt eſſe breue ob defectionem animi, ſi frequens & magna ſit ſine cauſa manifeſta vt inquit Hippocrates, [d] ſolet.n. ęger de repente interire. Via ſalutis eſt quod vitrea pituita, partim concoquatur partim expellatur, vt in quotidiana [e] febre. Via interitus potiſsimum refertur ad grauitatem ſymptomatum & ad inopiam alimenti: neque.n. aluntur ſolidæ partes crudo eiuſmodi humore. Curatio huius febris non eſt eadem quæ quotidianę, quod hæc minor ſit febris, maior cruditas, & vires imbecillæ, quamobrem hic minus ſpectandum eſt ad refrigerandum, magis ad exinaniendum, ſed multo maxime ad concoquendum, neque.n. vires ſuſtinent auxilia illa quæ vehementer corpus exhauriunt. ad concoquendum pariter ac educendum ſpectant ea quæ extenuant & incidunt, quibus vtemur [f] moderate, ne aut febrem augeant aut vires debilitent, vtemur mulſa, aut oximelle diluto, in quibus [g] bullierint acriores herbę veluti & oximelle ſcyllitico, ſyruppo ex ſtechade, ex praſsio, ex bettonica cum decocto earundem herbarum acriorum. Vtemur ad digerendum frictione ex lintheo aſpero, aut ex aliquo oleo leniter calido, vt chamomelino vel anhetino, dabimus potui ea quę vrinam vel ſudorem excitent, & ita paulatim incidemus & extenuabimus pituitam vitream, & viciſsim digeremus & per vrinam ac ſudorem euocabimus. Sanguinis miſsio & purgatio [h] non ſuſtinetur

a Gal.l. 2.de diff. febr. cap.6. & l. de inæquali intemp. cap. 8.

b Gal.l.12. meth.c.3.

c Galen.ibidem

d Hippo.l.2. aphor. 41.

e Supra in c. anteced.

f Gale.l.11. meth. ca.x

g Gale.l.12. met.cap.3.

h Gal.l. 12. met.c.3.

ſtinetur in hac febre ob virium imbecillitatem. Symptomatibus verò ſuccurrendum eſt, vt rigori per calefacientia; animi defectioni per ea quæ auertunt ab ore ventriculi & corde, & per ea quæ vires reficiunt vt per vinum [a] tenue quod facile ac celeriter diſtribuatur per omnes corporis partes.

a Galen. ibidem.

De febre ardente quam excitat pituita ſalſa. Cap. VIII.

SVPEREST ex febribus quæ à pituita oriuntur illa quam ſalſa efficit, vocatur hæc febris ab Hippocrate, [b] καύσος, ideſt ardens, ſupra [c] .n. monſtrauimus tres ſpecies febris ardentis, vnamque fit à ſanguine putri ſynocham videlicet, alteram quæ à flaua bile quæ vere & proprie ardens eſt, & tertiam à pituita ſalſa quam nunc tractamus. Numeratur autem in ardentibus non ob calorem, neque enim in hac aut valde multus eſt vt in ſynocha, aut valde feruens vt in ardente bilioſa, ſed ob ſitim [d] inexplebilem quam affert pituita ſalſa ſimilem illi quam efficit flaua bilis in febre vere ardente, quam adeò ſequitur ingens ſitis vt ipſam conſtituere videatur. Calor huius febris valde fumoſus eſt, non tamen parum acris [e] ſicut illius quæ fit à pituita dulci aut vitrea ſi quidem ſalſedo pituitę, cotis modo, calorem acuit, & acrem efficit: habet tamen quotidianos circuitus hæc non ſecus atque illa, quam excitat pituita dulcis aut vitrea, ſed à dulci oritur quotidiana tam intermittens quam continua, ab acida & cruda ac vitrea fieri diximus ἄπιαλον, quam neceſſe eſt eſſe ex numero intermittentium, à ſalſa fit ardens quę aſsidua eſt, alioquin non iungeretur cum ſiti inexhauſta, quam diximus, & cum frigore [f] partium extremarum, quę eius prauam naturam ſignificat. Proxima cauſa huius febris iam dicta eſt, putredo videlicet pituitæ ſalſæ in venis quæ ſi putreſceret extra venas febrem efficeret ſimilem illi, quam accendit pituita dulcis; ſed paulo vehementiorem. Eadem pituita ſalſa, quæ putreſcit, obſtructionem affert, perſpiratum prohibet, & ita ſibimet eſt cauſa putredinis. Gignitur pituita ſalſa ab ijſdem cauſis à quibus ſimpliciter pituita, ſed minus frigidis. Oritur ſalſedo à quadã vſtione quã efficit vel [g] putredo vel calor alioquin vrēs humorem, qui cum pituita miſcetur. Symptomata quæ hanc febrem ſequuntur ſunt primo ſitis [h] illa ingens à qua diximus ipſam conſtitui, deinde vigilia, [i] nam pituita vitrea cum non facile vapores excitet, neque ſomnum neqũe vigiliam affert, dulcis cum impleat caput craſsis ac frigidis vaporibus ſomnum grauem efficit, ſalſa irritat & mordet aliquo pacto cerebrum ex quo ſequitur vigilia, qualem eadem de cauſa ſenes [k] experiuntur. his ſymptomatibus accedit

b Hipp. l. 4. acut. 13.
c Supra ca. 5
d Hippoc. & Gal. 4. acutorũ. Text. com. 13.
e Gal in eodem com.
f Hippoc. 4. acutor. 16.
g Gal. l. 2. de diſt. febr. cap. 4.
h Hippoc. 4. acutor. 3.
i Hippoc. 4. acutor. 15.
k Gal. l. 2. de alimentorum facultat cap. 40.

cedit vel retentio [a] vel difficultas vrinæ; retinetur vrina quod pituita salsa vel obstruat eius canales, vel adstringat veluti cum facit tumorem [b] in recto intestino. ob salsedinem verò mordens difficultatem quandam efficit; & cum non possit diutius retineri insignis copia vrinę in vesica, subinde aliquæ guttæ destillant. Recognoscitur hæc febris sensu qui eiusmodi calorem acrem & fumosum, quotidianum, assiduum iunctum cum siti inexhausta percipit. Recognoscitur & mente ex signis quæ ducuntur vel à causa, vt a putredine pituitę salsæ, vel à iuuantibus temperando & educendo eiusmodi pituitam, & lædentibus eamdem calefaciendo ac siccando, vel ab effectis vt à siti, vigilia, retentione ac difficultate vrinæ, lingua arida & [c] scabra, frigore partium extremarum, deiectione corrupta. Causa hoc est putredo pituitæ salsæ cognoscitur ex causis à quibus & putrefieri & produci pituitosam salsam ostendimus. tũ ex ijsdem iuuãtibus ac lædentibus quę in morbo enarrauimus. ex effectis hoc vnum sufficit, febris videlicet quam descripsimus. Symptomata quæ numerauimus omnia sub sensum cadunt. Ex futuris euentus valde periculosus [c] est in hac febre quæ prauis adnumeratur & vocatur λυπίγνα, nam præter assiduitatem caloris & sitim, ac siccitatem ingẽtem, hæc pituita difficillime superatur à natura ita vt vix sanari possit, præsertim cum illis accidere soleat quibus vires non valent; quę tamen vbi non ex toto debiles sunt, neq; ipsa febris ac sitis omnino vehemens salus non omnino desperata est. Tempus ęuentus non est diuturnum, ponitur n. hic morbus [f] in acutis, ita vt quatuordecim [g] diebus terminetur, quamquã potest multo citius finiri. Via salutis est quod sanguis [h] ex naribus exeat, aut sequatur alui profluuium, seu crassioris sputi copia, aut transferatur materia putris ad ceruicem, ad coxas, aut ad partes genitales. Via interitus est cum ob calorem ac siccitatem & ob vim symptomatum vires deficiunt. In curatione potissimum danda opera est vt pituita salsa quę putrescit partim temperetur, partim educatur, sed non potest educi nisi extenuetur atque incidatur, quod opus pertinet etiã ad obstructionem remouendam, sed inimicum est calori & siccitati cuius maxima habenda ratio est, illa enim quæ extenuant [i] & incidunt calefaciendi & siccandi vim habent; quare magis diluenda est frigidis & humidis pituita hæc salsa quam extenuanda sit & incidenda, nam sicut illa [k] quæ in thorace crassa continetur & expuenda est, non debet calefacientibus & siccantibus extenuari, sed magis dilui larga potione, sic salsa quæ facit febrem vtilius diluitur forbitione humida, vt cremore ptissana, & potione aquæ calidæ, aut tepidæ, vel illius etiam in quo aliquod detergens bullierit veluti hordeum, ac dulcis radix,

a Hippoc. 4. acutor. 14.
b Hippoc. & Galen. l. 5. aphor. Text com. 58.
c Hippoc. 4. acutor. 16.
d Hippoc. 4. acutor. 16.
e Galen. l. de inęquali intemperie cap 8. & l. 4. aphoris. com. 48.
f Hippoc. 4. acutor. 13.
g Hipp. l. 2. aphor. 23.
h Hippoc. & Gal. 4 acutor. Tex. com. 17.
i Gale. l. 11. meth. ca. x.
k Gal. 3. acutor. com. 2

cum

cum quo decocto vtiliter admiſcetur ſyrupus violatus, iulep violatus, ſyruppus ex gliciriza, ſeu etiam ex capillo veneris: hoc pacto igitur diluetur ac temperabitur pituita ſalſa. educetur autem non quidem ſecta vena, niſi vires validiores fuerint, quòd rarò accidit, ſed magis leni aliqua purgatione, vel euocatione vrinæ, ac ſudoris per ea medicamẽta, quæ ſuperius enarrauimus[a] in quo tidiana febre, quibus maxime vti licebit vbi ſigna coctionis apparebunt. Symptomata cum grauiora ſint poſtulant vt leniantur neque expectetur curatio morbi & cauſæ. Lenietur ſitis potione aquę tepidę vel alterius, in qua hordeum bullierit. aduerſus vigiliam dabimus diacodion, aut perfundemus caput aqua in qua bullierit papauer, lactuca, hyoſciamus, aut inungemus nares ac tempora eo linimento, quod populeon appellant. Ad retentionem & difficultatem vrinæ adhibebimus vas aquæ calidæ, in quo homo deſidat præſertim in qua bullierit parietaria, eadem vtitur Hippocrates[b] cum recto inteſtino inflãmato non redditur libere vrina, ſic.n. diluitur craſſitudo pituitæ, & tabeſit eius ſalſedo.

a Supra c2.7

b Hipp. 1. de fiſtulis.

De febre quartana. Cap. VIIII.

QVARTA ſpecies earum febrium, quæ ab humorum putredine oriuntur, fit ab humore melancholico,[c] atque hæc nunc ſupereſt tractanda: eas.n. perſequuti ſumus quæ fiunt à ſanguine, à flaua bile, à pituita putreſcente. appellatur hæc quartana ab ordine circuituũ, qui tribus interpoſitis diebus redeũt, & ideo quarto quoq; die: ſicuti tertianam nominari diximus illam quæ oritur à flaua bile quoniam tertio quoque die, & quotidianam quæ à pituita quoniam quotidie redit, nam febris quam excitat ſanguis caret circuitibus & nominatur ſynocha. Continetur quartana febris calore multum acri & parum fumoſo, humor enim melancholicus, in quo reſidet, terrenus & ſiccus eſt; quamobrem parum edit fumi[d] cum incenditur, & acrem concipit calorem, ex contrario piluitoſus, vt ante oſtenſum eſt, cum humidam & aquoſam naturam habeat & multum vaporis[e] ac fumi excitat & calorem concipit minus acrem. In humore igitur melancholico qui quartanam febrem efficit calor vt in teſta concipitur valde acris & cum pauco fumo, differt autem ab eo, quo tertiana continetur, quia non ita euidens eſt neque ita multus vt in illa, quæ propterea nominatur[f] ardens quamuis in vtraque & valde acris ſit & parum fumi ædat. Tempus quo acceſsio manet ſimiliter eſt duodecim horarum, vt in tertiana, interdum tamen propter habitum corporis denſum, vires imbecillas & materiam craſsiorem & copioſio-

c Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 5.

d Hipp. ibidem.

e Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 4.

f Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 3.

rem diutiùs trahitur acceſsio quartanæ. circuitus, vt diximus, quartanus eſt, eſt .n. paucus hic humor & ideo neceſſe eſt diuturniori tempore colligatur tam multus vt naturam excitet ad expellendum, & nouam acceſsionem efficiat: poteſt autem & intermittere [a] & aſsiduus eſſe quartanus circuitus, plerumque [b] tamen intermittit ob acceſsionis breuitatem, & diuturnitatem ſpacij quo reuerti ſolet. contra vſu venire mõſtrauimus in quotidiana, in qua ſpacium breuius eſt & acceſsio longior: & idcirco plerumque aſsidua eſt, raro enim peruenit ad integritatem, [c] tertiana febris indifferens eſt, cum ſæpe intermittat ſępe etiam continua ſit. Differunt præterea inter ſe febres quartanæ, quòd aliæ leuiores ſint, aliæ grauiores. Proxima cauſa à qua febris quartana oritur iam dicta eſt, humor videlicet melancholicus, qui ſi putreſcit in venis [d] aſsiduam efficit, ſi extra venas intermittentem, vt dictum eſt de alijs humoribus: idem pro vt mitior vel ſeuior eſt, ita efficit grauiorem vel leuiorem quartanam, duplex autem eſt ille melancholicus humor, à quo proficiſcitur quartana, naturalis [e] & præter naturam, naturalis eſt fæx illa, quæ ex quolibet cibo, ac potione contrahitur in iecinore vbi ſuccus à ventriculo attractus conuertitur in ſanguinem, eſt autem eiuſmodi fæx craſſa & nigra, alliciturque à liene quod ex ea ſuperat, deinde ex [f] liene ad inteſtina & venas ani: appellatur autem græce χυμὸς μελαγχολικὸς, hoc eſt humor melancholicus; accenditque cum putreſcit quartanam mitiorem; nam grauior oritur ab humore vſto, qui græce vocatur μέλαινα χολὴ, latine atra bilis, neque redundat naturaliter, ſed per vſtionem aliorum humorũ vt ſanguinis, flauę bilis, pituitę, & humoris melancholici naturalis: non eſt autem ex toto vſtus & quodammodo in cinerem cõuerſus cum quartanam efficit, alioquin non poſſet amplius putreſcere & febrem accendere; minus aſperam affert ille, qui oritur ex ſanguine vſto, quam qui ex flaua bile, vel ex humore melancholico: ſed cum teſte Hippocrate [h] quartanæ febres aliæ per ſe incipiant, alię ſuccedant alijs febribus, & potiſſimum vagis atque [i] inordinatis, quæ fiunt ab humore melancholico incipiunt ſtatim quartanæ; quę ab alio humore vſto videntur magis ſuccedere alijs febribus: ſed ſatis de proxima cauſa ſunt & aliæ, quæ efficiendi ſocię ſunt, quòd conferant vel ad putredinem, vel ad procreationem humoris melancholici ſeu atræ bilis. Putredinem affert obſtructio, quam efficit, vel ipſemet humor qui putreſcit, vel pituita ob cruditatem ſimul redundans. procreatur humor melãcholicus naturalis ex cibis [k] & potionibus terrenam ſubſtantiã habentibus, à calore iuncto cum ſiccitate & cum quadam etiam frigoris inęqualitate. Atræ bili ſuppeditant alij humores [l] omnes,

a Gale. 2. de diff. febr. cap. 8.

b Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 2.

c Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 4.

d Gal. 2. de differ. feb. c. p. & vlt.

e Gale. 2. de natur. fac. cap. 9.

f Galen. ibidem

g Galen ibidem & l. de atrabile c. vlt.

h Hipp. 2. p. epid. 21.

i Hipp. ibidé & Hippoc. ac Galen. 3 prognoſt. 27. & p. ad Glauc. cap. 6.

k Gale. p. ad Glauc. cap. 6. & l. de criſi. cap. 4. & l. 3. de loc. aff. cap. 7.

l Galen. l. de atrabile. cap. 3.

omnes,qui in eam degenerant,cum in corpore noſtro à vehemen
ti calore vruntur:quò ſpectant externa omnia valde calefacientia
ac ſiccantia, ſi quando autem hyeme [a] fit quartana id euenit prop
terea quòd nequit ob tempus frigidum & humidũ eiuſmodi ma-
teria educi atque abſumi; ſed retinetur in corpore, ob quam cau
ſam Hippocrates[b] hyeme pleuritidem fieri teſtatur. Symptomata,
quæ febrem quartanam ſequuntur, ſunt primum [c] dolor lienis,ri
gor vehemens,[d] qui non pungentium vt in tertiana,ſed refrigeran
tium vſq; ad oſſa ſenſum repræſentat. appetitio cibi interdum auf
fertur,interdum nimia fit. Recognoſcitur in homine febricitante
quartana ſenſu tactus ſub quem cadit calor ille (quem diximus)
parum fumoſus, [e] valde acris,nõ tamen vehemens,cuius acceſsio
occupat ferè duodecim horas,& æqualiter increſcit,circuitus verò
quartanus eſt, quem licet ex propoſiti caloris natura colligere.
Ratione quoq; conijcitur febris quartana ex cauſa proxima,nam,
ſi intelligamus putreſcere humorem melãcholicum vel atram bi
lem, ſtatim conijciemus propoſitam nobis febrem eſſe quartanã.
Cæteræ cauſæ, quæ eiuſmodi humorem vel putrefaciunt vel pro-
creãt,per ſe proximam cauſam,& per hanc quartanam febrem de
nunciant. Aliquid etiã valet coniectura Archigenis [f] nam ſi in cæ
teris ægrotantibus verſantur quartanæ febres,par eſt & eadem te
neri hominem ad quem curandũ adhibemur:huius fidem faciunt
etiam quę iuuant educẽdo vel leniẽdo eum humorem,vel nocent
eundem contrahendo atq; exaſperãdo. plurimum vero poſſunt ef
fecta vt dolor ac tumor [g] lienis, rigor ſi febris intermittens ſit (vt
plerumque eſt)principio acceſsionis ſine [h] ſenſu pungentium ſed
cum frigore concutiente,quod videtur vſque ad oſſa penetrare;
ſed cum incipit quartana, cum materia quæ nimis cruda eſt mi-
nus mobilis ſit,rigor paruus eſt, proceſſu temporis efficitur maior
cum ea concoquatur & reddatur mobilior: pulſus videtur quaſi [i]
alligatus,& veluti ſenilis etiam in iuuene, incipiente acceſsione
debilis tardus ac rarior,poſtea celerior,ſemper tamen tardus ſi cõ
paretur cum pulſu aliarum febrium, non ita tamen paruus vt in
quotidiana, eſt etiam inæqualis in vno & eodem [k] ictu cum inci-
piat & deſinat velocior quam ſit in medio ſpacio, ſentitur etiam
arteria durior, color in vniuerſo corpore plumbeus,ac liuidus ap
paret,vrina [l] alba eſt tenuis aquoſa inæqualis ſed ẽper cruda,red
ditur tamen craſsior cum [m] ſoluitur febris,& interdum nigra [n] cum
per eam noxius humor expurgatur. Exit ſudor multo magis quã
in quotidiana, ſuperuenit ob cruditatem interdum [o] vomitus pi-
tuitæ. Cauſa hoc eſt humor melancholicus vel atra bilis putre-
ſcens deprehenditur primo ex his,à quibus diximus contrahi vel

a Hippoc. aphor. 25
b Hippoc. 3. aphor. 23
c Gale p. ad Glauc. ca. 5.
d Gale. 2. de differ. feb. cap. 5. & l. 2. de criſi. cap. 3.
e Gal. 2 l. de diff. febr. cap. 5.
f Gal. l. 2. de criſib. c. 3.
g Gale. p. ad Glauc. c. 5
h Gal. l. 2. de criſib. ca. 3
i Galen. ibidem. & c. 4. & p. ad Glauc. c. 6
k Galen. ibidem.
l Gal. 2. criſ. cap. 4.
m Galen. de vrinis c. 11
n Gale. p. ad Glauc. c. 6
o Gale. l. de Typis c. 4.

putrefieri; deinde ex his quæ febri prodesse, aut obesse consueuerunt siue exasperando, siue leniendo, siue contrahendo, siue educendo eiusmodi humorem: eadem .n. pertinent & ad morbum & ad causam. ex effectis etiam colligitur causa & proprie ex ipsa febre quartana, quę suam proximam causam demonstrant. sed cum non eadem semper sit hæc, aliquando .n. putrescit humor melancholicus naturalis qui est fęx sanguinis, aliquando [a] atra bilis prę ter naturam facta ex vstione alterius humoris, diudicabis vtrius sit putredo ex causa efficiente videlicet & materia, vbi sit calor in corpore præter naturam acrior monstrabit vstionem, quod euenit cum quartana alijs febribus succedit. Vbi vtatur homo [b] cibis crassis, duris, ac valde terrenis, crassis item potionibus vt vino nigro, conijcies quartanam ortam esse ab humore melancholico, qui contrahitur ex eiusmodi æsculentis & poculentis. Accedunt iuuantia & lędentia, cum atra bilis causa est quartanę magis iuuant [c] refrigerantia & madefacientia, magis nocent quæ calefaciunt aut siccant, quam vbi quartana oritur ab humore melancholico. Effecta hoc est symptumata [d] mitiora sunt in quartana illa, quam affert humor melancholicus, quam in ea quam atra bilis: febris item hæc asperior est quam illa, sed multo magis aspera est vbi vratur flaua bilis, aut humor melãcholicus, quam vbi sanguis aut pituita: quamquam non desunt notę aliæ monstrantes hunc aut illum humorem vri: nam licet causa vrens eadem sit nimius videlicet calor, alij tamen homines alio abundant humore, in vnoquoque autem vritur ille quo redundat. Symptomata, quę sequũtur quartanam febrem, omnia sub sensum cadunt veluti dolor, ac tumor [e] lienis, & rigor ille, quem descripsimus. Euentus in quartana febre expectari [f] salubris debet cum non solum non sit continua: sed etiam plurimũ temporis intermittat, interdũ adeo g salubris est vt soluat alia mala veluti neruorum distentionem, & morbum comitialem; si quando autem ad hydropem [h] terminatur & pernicioſa est, id non tribuendum est ipsi, sed tumori lienis qui cum ea iungitur: vbi autem continua fuerit vel ita multiplex vt assidue ægrotantem alioquin languidum vel in senili ætate constitutum infectet, meritò tunc temporis de vita ægrotantis dubitandum est. Tempus longũ est nam quartana omnium febriũ longissima est, estiuæ tamen breues inquit Hippocrates [i] si cõferantur cum autumnalibus, aut hyemalibus, prorogatur .n. tempus ob aerem frigidum. Via qua sanatur est vel paulatim per coctionem, vel per sudorem, si non paulatim non tamen subito: soluitur interdũ vel per vrinã vel p [k] abscessum. via interitus est quod vires dissoluãtur, vel quod ob tumorem lienis vt diximus sequatur [l] hydrops.

a Galen. de atrabile c. 3. & l. 2. de natur. fac. cap. 9.

b Gale. 2. de differ. feb. cap. 5. & l. 2. de crisi. cap. 4.

c Trallian. l. 12. cap. 8.

d Trallian. ibidem.

e Gale. p. ad Glauc. ca. 6. & l. de Typis c. 4.

f Hipp. 3. p. epid. 4.

g Hippoc. 5. aphor. 71.

h Gale. l. de Typis c. 4.

i Hippoc. 2. aphor. 25.

k Hippoc. & Gale. 4. 6. epid. Tex. com 2.

l Galen. l de Typis c.

Postulat

Postulat quartanę curatio vt habeamus rationem virium eo magis quam aliæ febres, quò diuturnior est, nec possunt illæ sustineri [a] tamdiu victu tenuissimo, aut etiam tenui quemadmodum in morbis aut acutis aut etiam minus longis. primum igitur danda opera est vt conseruentur vires, deinde spectandum est ad res præter naturam, quæ si alimentum reijciant, quo vires sustineri debent id quod efficit causa nimirum putrescens humor, magis spectandum est ad vires quam ad causam; ex rebus autem præter naturam symptomata lenienda sunt quemadmodum postremo declarabimus. Morbus hoc est febris desiderat [b] refrigerantia & madefacientia. proxima causa hoc est putredo, [c] partim concoquentia partim detrahentia. prohibitus perspiratus atque obstructio, partim detrahentia partim incidentia atque extenuantia; quod si hæc opera omnia inter se conferamus, comperiemus non minus tribuendum esse ei, quod requiritur à morbo quam illis quæ à causa: febris .n. validior est media quodammodo inter quotidianam & tertianam. in tertiana .n. longe magis spectandum est ad morbum quam ad causam, in quotidiana magis ad causam quam ad morbum, in quartana æqualiter ad vtrunque, aut paulo magis ad vnum quam ad alterum. cum dantur ea quæ morbum sanant cauendum ne causam augeant, & cum adhibentur ea quæ attinent ad [d] causam videndum ne exasperent morbum. sed cum causa proxima postulet vel concoquentia vel [e] educentia statuere oportet vtris vtendum magis sit; distinguere autem oportet & materiã & putredinem: materia si simpliciter sit humor melancholicus concoqui potest & interdum ad naturalem statũ redigi; sin atra bilis vsta pẹnitus exhaurienda est: neque enim potest amplius concoqui, quod est aliquo modo elixari: assum enim non reuertitur ad elixum; ita vt necessario educi debeat quod non euenit humori melancholico, qui non est necessario exinaniendus cum coctionem admittat. Putredo si ex toto facta est detractionem duntaxat [f] requirit; sin veluti semiputredo quædam sit cõcoqui etiam potest humor semiputris & ad naturalem statum redigi, neque necesse est exhauriatur. multitudo [g] obstruens sola detractione curatur, humores verò qui quòd crassi sint & glutino si obstructionem afferunt, extenuandi atque incidendi sunt: quod opus non tantum spectat ad obstructionem tollendam sed ad educendum: eo .n. facilius [h] educuntur humores quò magis fluunt & ad facilitatem coctionis: calor enim concoquens facilius permeat per substantiam tenuiorem & minus glutinosam. quo fit vt veteres medici quartanę febri [i] potissimum extenuãtibus atque incidentibus medeantur. Cauendum tamen est ne sub his ob calorem

a Hippoc. p. aphor. 4.

b Galen. l. x. meth. c. x.

c Gal. l. 11. meth. c. 4.

d Galen. p. ad Glauc. ca. 11. & l. 11. met. cap. x

e Galen. l. 11. meth. c. 8.

f Gal. l. 11. meth. cap. 8. & 10.

g Galen. ibidem.

h Galen. 2. aphorism. com. 9.

i Galen. p. ad Glauc. ca. 11.

lorem aut[a] siccitatem augeatur febris, aut[b] exasperetur humor, in quo illa residet; quamobrem non vtendum est validis nisi cum calor deferbuit, & cum ipsa materia putrescens non est[c] atra bilis vsta sed humor melancholicus, maxime verò abstinendum[d] est ab aceto, quamuis alioquin ægregiam habeat vim extenuandi, cum fermenti modo in atra bile, & humore melancholico bullas excitet: reliquis extenuãtibus validis, quæ calida sunt vtemur post vigorem & vbi humor non sit vstus ante remissionem; & cum atræ bilis in qua versatur quartana[e] vsta est, contenti erimus leniori-bus: maxime oportuna sunt ea quæ madefaciunt, prosunt .n. febri atq; humori concoquendo, & cum diluant & tenuius reddant id, quod crassum est, reddunt humorem magis idoneum qui detrahatur & minus obstructioni aptum. Instrumenta, quibus perficiuntur opera hæc, iam tempus est subijcere, vtemur ad refrigerandum & madefaciendum victu frigido & humido in sex rebus non naturalibus qualem[f] supra descripsimus in curandis febribus in vniuersum ab humorum putredine ortis: maxime autem ad morbum accommodantur cibus & potio egregie madefaciens; sed à causa parum desideratur vt cremor ptissanæ, pisces saxatiles, aues montanæ, pulli gallinacei, oua: reijcitur[g] autem caro suilla quòd nimis glutinosa sit, reijciuntur, quæ inflant atque adstringunt, potio idonea est vinũ album tenue moderate calefaciens præsertim in quartana quę oriatur ab humore melancholico, nam in ea quã affert atra bilis tutius est exhibere aquam, in qua hordeum bullierit cum zulapio violaceo. Præter victum valent ad refrigerandum ac madefaciendum medicamenta vt syrupus quem dicunt violatum, aut ex pomis, ex luppulis, siue ex fumo terræ, aut etiam ex intubo cum aqua in qua bullierit hordeum, intubus, viola, fumus terræ. balneum[h] aquæ dulcis magis sub victu quam sub medicamentis continctur valet autem ad refrigerandum & madefaciendum, præterea ad concoquendum & educendum sudorem, tunc autem conuenit cum apparent signa coctionis. Ad concoquendum verò habita ratione caloris, conuenit etiã somnus, quies, tranquillitas, sed habita ratione materiæ maxime idonea sunt vt ante ostensum est quæ madefaciunt. Quod spectat ad extenuandum vitabimus semper acetum[i] vt paulo supra diximus & idcirco etiã oximel, ante remissionem verò & cum humor melancholicus & cum atra bilis vsta est, fugiemus acria & contenti erimus madefacientibus vt larga potione vini tenuis diluti, aut iure pulli gallinacei, ac serapijs, ac decoctis paulo ante relatis; sed post vigorem vtemur valide[k] extenuantibus atque incidentibus præsertim redundante humore melancholico, cuiusmodi est diospoliticum diaca-

a Gal. l. 11. meth. c.x.
b Gale. p. ad Glauc. c. 11
c Trallianus l. 12. cap. 8
d Hipp. l. 3. acut. ca. de oximelle.
e Trallianus l. 12. cap. 8
f Supra l. 4. cap. 2.
g Gale. p. ad Glauc. c. 11
h Galen. ibidem.
i Hippoc. 3. acut. ca. de oximelle.
k Gale. p. ad Glauc. c. 11.

diacalamentum, diatrionpipereom, theriace, [a] mythridatum, ſuccus cyrenaicus atque alia huiuſmodi vehementia quę, ſi dentur in initio, quartanam magis duplicant quam ſoluunt. Quòd attinet ad detrahendum ſecanda [b] vena eſt vbi cum virium robore humor melancholicus mixtus eſt cum magna copia ſanguinis: permittendum autem eſt tunc cum exit craſſus & niger vt abunde effluat. Vtiliter etiam admouentur ſanguiſugæ ad venas ani ad quas [c] natura ſolet eiuſmodi ſanguinem detrudere. Vomitus [d] initio acceſsionis conuenit præſertim cum pituita ac cruditatibus redundant, ſed conuenit etiam poſt cibum. aluus ſoluenda eſt leni aliquo humore in inteſtina per clyſterem iniecto. Purgatio humoris melancholici non tota ſimul conuenit ſed paulatim, [e] oportet, n. viciſsim extenuare atque incidere & purgare, catharctica idonea ſunt epithymum, polipodium, ſęna, veratrum nigrum, diaſena, diacatholicum, confectio hamec, electuarium epithymi, pillulæ ex fumo terre, indę, ex lapidæ lazuli, ſiue etiam ex lapide armeno. Proceſſu temporis conueniunt cum materia cocta eſt quę & vrinam [f] & ſudorem euocent ſuperius à nobis relata in curatione in vniuerſum. Symptomata quibus ſuccurrendum eſt ſunt potiſsimum dolor lienis & rigor, lenitur dolor lienis fomentis relaxantibus [g] cum quibus miſcere oportet aliquod [h] adſtringens veluti roſam, abſinthium, hypociſtidem vt ſeruetur robur viſceris, quod vtiliter inungitur oleo ex capparibus, ſiue ex fraſsino, cum quibus prçterea oleis emollitur vnguętum ſpleneticum, vnguentum Altheæ, ſiue etiam emplaſtrum ex meliloto quod appellant, & viſceri dolenti ſuperdantur. Rigor poſtulat calefacientia quæ adhibenda ſunt vel antequam incipiat vel cum iam ſentitur; datur intus allium [i] cum melle, aut medicamentum ex ſucco cyrenaico, aut caſtorio, vel bitumine Iudaico. Extrinſecus inungitur oleum aliquod calidum vt anhetinum, coſtinum, laureum ſiue de agreſti cucumere, aut etiam in quo ros marinum bullierit quibus vniuerſa ſpina, ſcapulę ac brachia vtiliter liniuntur. Quæ ſpeciatim dicenda erant de febribus humorum putredinem ſequentibus habeant hunc terminum.

a Galen. ibidem.
b Hippoc. 6. aphor. 11.
c Gale. p. ad Glauc. ca. 11.
d Gale. ibidem.
e Galen. ibidem.
f Gale. l. 11. met. ca. 16
g Gal. l. de rigore c. 7

Finis quinti libri de Febribus Vidi Vidij.

VIDI VIDII
DE FEBRIBVS
LIBER SEXTVS.

QVI EST DE FEBRIBVS SPVRIIS, Compositis, & Pestilentibus.

Quæ differentię febrium tractentur in hoc libro. Cap. I.

a Galen. p.l. simpl.c.24

b Gal.7.cata top. cap.p.

VIS eorum, quæ composita sunt, non prius comprehenditur quam perspecta fuerint [a] simplicia ex quibus componuntur: quis enim confectionis facultatem teneat nisi ante [b] exploratum habeat quid possint simplicia medicamenta ex quibus conficitur? eadem est ratio morborum, eadem & causarum vbi aut hæ aut illi inter se copulentur; neque enim extimari possunt nisi seperatim prius perpendantur. Quamobrem nos in tractandis febribus illis, quæ humorum putredinem sequuntur, ante simplices species vnà cum simplicibus causis persequi voluimus, dein transire ad compositas; licet autem, priusquam eas persequeremur, de differentijs in vniuersum dixerimus; distulimus tamen in hunc locum nonnullas ex ipsis, quę cum compositione quadam contineantur, debent ex simplicibus colligi: huiusmodi sunt febres spuriæ, & illæ quæ proprie dicuntur compositę, quòd plures simul euidenter, iungantur; præterea pestilentes, ac prauæ quæ longiorem per se tractationē desiderant, de his ergo omnibus hoc libro vberrime differemus sumpto initio à spurijs.

De febribus spurijs. Cap. II.

QVATVOR febrium species, quas superiori libro tractauimus cum à sincero humore fiant, vt synocha à sanguine, tertiana à flaua-

à flaua bile, quotidiana à pituita, quartana ab humore melancholico putrescente nominantur exquisitæ. eædem si oriantur ab humore non puro sed mixto dicuntur spuriæ; quod vsu venit etiam tumoribus præter naturam; qui tunc exquisiti sunt cum fiunt ab vno humore sincero, vt inflammatio à sanguine, erysipelas à flaua bile; oedema à pituita, cancer ab humore melancholico; sed si humor, à quo fit [a] quiuis ex propositis tumoribus, cum altero mixtus sit, tumor non erit exquisitus sed spurius. nunc igitur propositæ nobis sunt febres spuriæ, quarũ natura quodammodo composita est: continetur enim febris spuria maiori ex parte calore illo quem affert putredo exuperantis humoris, sed aliqua ex parte etiã eo quem efficit alter humor, qui cum exuperante mixtus putrescit ira vt quodammodo composita sit ex duplici febre, sicuti compositæ etiam sunt causæ. at composita etiam sunt [b] symptomata. eadem est ratio cognitionis: indicia.n. ex quibus colligitur spuria febris composita sunt & mixta, magisque referuntur ad signa illius cuius spuria magis est particeps. euentus, tempus, & via similiter mixta sunt, mixta item opera & instrumenta quæ ad curationem [c] pertinent. Quò autem febris minus spuria est, eo magis omnia hæc similia sunt his quæ ad exquisitam spectant: quantum recedit spuria ab exquisita, tantum recedunt ea omnia quæ in ipsa attendũtur ab his, quæ in exquisita febre animaduertimus, nunc declarabimus febres omnes spurias exẽplo vnius tertianę posito.

a Gale.l.14. meth.c.2.

b Gale.p.ad Glau. cap. 8.

c Gale. p.ad Glauc.c.10

Tertiana febris siue intermittat siue continens sit potest esse spuria, agemus de intermittente, finge hanc à putredine flauæ bilis in qua aliquid pituitæ mixtum sit ortam esse; calor quo continetur, est multum acris & parum fumosus non tamen vt in tertiana exquisita, sed paulo minus acris & paulo magis fumosus; circuitus similiter tertianus est, accessio [d] longior, neque enim est duodecim horarum duntaxat, sed interdum etiam trahitur vsquę ad quadraginta: incrementum non ita celere est, neque ita æquale vt in exquisita, sed minus celere, minus æquale. Calor neque primo contactu statim, neque etiam post longum tempus acrem se ostendit, sed paulo post quam manum admoueris. Causa proxima tertianę spuriæ est flaua bilis putrescens, non tamen sincera, sed cui adiunctum est plus minusue pituitæ. Causæ quæ proximam hanc efficiunt, sunt quæ procreant flauam bilem copiosam cum aliqua parte pituitæ, effectrix videlicet, hoc est calor viscerum ope caloris externi non ita validus, vt qui flauam bilem sinceram efficit, & materia æsculentorum & poculentorum non æquæ calida & sicca vt quę generat flauam bilem sinceram: sed mixta similiter, & inęqualis, quamquam maiori ex parte idonea, quæ conuertatur in

d Gal.l.2.de differ.febr. cap. 8.& p. ad Glauc. cap. 8.

flauam

flauam bilem. Symptomata eadem ferè ſunt, quæ in tertiana exquiſita, ſed paulum remiſſa, vt rigor principio acceſsionis cum minori concuſſu ac minori ſenſu [a] pungentium: ita vt horrorem potius referat; ſitis magis tolerabilis; vigilia quæ facilius expugnatur, affectus prẹter naturam non tantum iecinoris ſed ventriculi etiam. Recognoſcitur in ægrotante tertiana ſpuria, ſenſu quidem, quòd calor paulo minus acris & magis fumoſus percipitur & diutius [b] manet acceſsio quam in exquiſita, neque enim ſolummodo trahitur ad duodecim horas ſed interdum etiam ad quadraginta; ratione verò, ex cauſis, vt ex flaua bile putreſcente mixta cum pituita cuius redundantiam conijcimus ex cauſis antegreſsis, à quibus generari potuit, atque ex effectis quæ mixturam vtriuſque ſucci paulo poſt referemus conſequi. Pertinet ad hoc coniectura illa Archigenis [c] ducta à ſimiliter vagantibus, quòd eò tempore verſentur in alijs tertianę ſpuriæ; tum ex his quæ proſunt aut obſunt, magis enim iuuant & minus nocent ea quæ ſpectant ad cauſam quam in tertiana exquiſita in qua potiſsimum ſpectabatur ad morbum. ex effectis vt ex actionibus læſis, monſtrant enim tertianam ſpuriam, ſymptomata illa quæ ſuperueniunt exquiſitæ, ſed magis remiſſa vt paulo ante monſtrauimus. Ex futuris euentus qui in tertiana exquiſita ferè ſalubris eſt, in ſpuria ſępe periculoſus impendet; quòd longior ſit [d] & diuturnitate temporis vires debilitentur. quòd item neque ars neque natura ita facile ſuperet humores compoſitos ſicuti ſimplices putreſcentes, cum diuerſam opem poſtulent. Docet Hippocrates [e] malos eſſe multos colores deiectionis, varios .n. notant humores & morbum difficiliorem; quamuis non præſtet humorem omnino eſſe purum & nullo pacto dilutum, cum ſic etiam ægrius vincatur: ſatius tamen eſt eſſe vnũ humorem dilutum quam plures, ſed ſuperatur difficultas omnis vbi vires valeant, & ars oportune occurrat. Tempus quo finitur tertiana ſpuria multo longius [f] eſt quam quo exquiſita, quam diximus longiſsimam eſſe vbi peruenit ad ſeptimum circuitum; ſpuria .n. interdum ad ſextum mẽſem prorogatur, eò autem diuturnior timenda eſt, quò plus mixtum ſit pituitæ craſſæ & glutinoſæ cum flaua bile. Via ſanationis eſt ſudor & ſanguis ex naribus: minus tamen quam in exquiſita magis .n. ſoluitur alui profluuio, vrinæ copia, aut abſceſſu. Via interitus eſt quòd partim à calore, partim à putredine & ſymptomatibus vires conuellantur & deficiant: quod etiam non rarò contingit quia duplicatur ſuperueniente altera ſimili febre, vel deteriori facta putredine in febrem mali moris, ac vel peſtilentem, vel ei admodum proximam conuertatur.
Opera & inſtrumenta quibus medemur tertianæ ſpuriæ tantum re

cedere

a Galen. pr. ad Glauc. cap. 8.

b Galen ibidem. & 2. de diff. feb. cap. 8.

c Gal. 2. criſium. ca. 3.

d Gal. p. ad Glauc. c. 8

e Hippoc. 4. aphor. 21.

f Gale. p. ad Glauc. c. 8

cedere debent ab illis quibus vtimur ad exquisitam, quantum illa recedit ab hac; spectare enim simul ad pituitosam febrem eatenus oportet quatenus pituita admixta est cum flaua bile. postulat tertiana exquisita magis refrigerantia & madefacientia quam detrahentia bilem; contra febris pituitosa magis quæ pituitam eximanire possint, quam quę febri refrigerando & madefaciendo occurrãt, maxima ergo in ea habetur ratio morbi, parua causæ, in spuria necesse est similiter maiorem habere rationem morbi, sed causæ quoque non mediocrem: requiruntur .n. & tolerantur medicamenta [a] non tantum quæ varia via educant putrescentem & superantem humorem, sed etiam quæ ipsum extenuent atque incidant; quibus vti licet paulo validioribus, quam ad exquisitam. Ratio victus etiam minus frigida & humida conuenit in spuria in sex rebus non naturalibus, tum copia [b] cibi maior cum morbus diuturnior sit, neque possint vires inedia sustineri. Quamobrem cum ptissana miscendum est mel, piper, panis conuenit decoctus in iure pulli gallinacei, in quo iacuerint, aut feruuerint pulegium, serpillum, timum, origamum & aliæ similes stirpes, quæ vim habeant incidendi & extenuandi: conueniunt & eiusmodi pullorum carnes præsertim elixæ. In potu ante vigorem exhibenda est mulsa, siue decoctum coriandrorum, aut etiam cinamomi. in remissione transeundum est ad vinum tenue & odoratum. Ad detrahendum superantem & putrescentem humorem vtemur [c] venæ sectione, sed processu temporis etiam cum iam concoquitur purgatione per catharctica, quæ simul educant flauam bilem & pituitam, rhabarbaro videlicet atque agarico, diaphinicone, & electuario ex rosarum succo, & alijs similibus quorum silua maxima est. Prius tamen vterque humor simul mixtus parari debet per ea quæ vtrumque respiciant qualia sunt serapium acetosum simplex, oximel item simplex, serapium ex cicorio, oxisaccharum, de duabus siue etiam quinque radicibus addito aceto; vnà cum aqua in qua stirpes aut etiam radices bullierint, quæ eadem facultate præditę sint. Vbi multitudo imminuta erit & materia cocta dabimus ea quę [d] vrinã & sudorem euocent, veluti decoctum radicum asparagi, fęniculi, apij, petroselini, glicirizæ, camomeli, camedrios, & aliorum quę superius in curatione tertianę & quotidianæ febris copiosius retulimus. Symptomata cum leuiora sint in spuria quam in exquisita tertiana minus egent lenientibus: ijsdem tamen leniri possunt, quæ ad exquisitam tradita sunt.

a Galen.p.ad Glauc.c.x.

b Galen.ibidem.

c Galen.ibidem.

d Galen.ibidem.

De febribus compositis. Cap. III.

A Febribvs spurijs non multum illæ distant, quę compositæ sunt: quę enim in vtrisque attenduntur simplicia non sunt sed mixtam quodammodo naturam habent & compositam: eò tamen differunt quòd vbi febres spurię sunt possunt esse vnę: quod non euenit vbi compositę nam plures tunc [a] necessario sunt: nunc agendum nobis est de compositis: quæ facile intelligentur si ea memoriter teneantur, quæ dicta sunt de simplicibus. Ergò febres illę, quæ humorum putredinem sequuntur, interdum iunguntur cum inflammatione, interdum cum alijs febribus, illę symptomata à veteribus [b] dicebantur, quas tractabimus in curatione membratim: maxime .n. pertinent ad certas corporis partes; hæ, quę sine inflammatione sunt, proprie nominabantur febres. ipsæ nunc nobis tractandę proponuntur compositæ cum alijs febribus, siue [c] alterius, siue eiusdem [d] generis, siue eiusdem, siue diuersæ speciei, tum siue omnes continuæ, siue omnes intermittentes, siue aliquæ continuæ, aliquæ intermittentes: possunt .n. & quæ eidem, & quæ diuersæ speciei subijciuntur, vel ijsdem, vel contrarijs differentijs distingui. Genera febrium tria proposuimus [e] pro triplici genere subiectæ materiæ, si quidem versantur aut in partibus solidis sicut ethicæ, aut in spiritibus sicut diarię, aut in humoribus sicut illæ, quę oriuntur à putredine nunc nobis propositæ. iunguntur hæ interdum cum febre alterius generis veluti cum hæctica, [f] interdū eiusdem veluti cum plures simul concurrunt ortę ab humorum putredine; sed cum quatuor ipsarum species esse declarauerimus, synocham videlicet, quam excitat sanguis putris, tertianam quam flaua bilis, quotidianam quam pituita, quartanam quam humor melancholicus, copulantur inter se sæpius febres eiusdem speciei, vt duæ aut tres [g] tertianę, vel quartanæ, [h] aliquando tamen & diuersæ speciei vt tertiana [i] & quotidiana quemadmodum in hemitriteo, vbi concurrit tertiana intermittens cum quotidiana continente: quamquam concurrunt interdum plures continentes, aut plures intermittentes [k] simul. harum febrium compositio cum diuersis horis ęgrotantem inuadunt ἐπιπλοκὴ [l] quasi complexio quędā appellatur; vbi eadem hora hominem vexent nominatur κρᾶσις, hoc est mixtura seu temperatio. dupliciter autem possunt eadem hora inuadere, vel quod ita inceperint & perseuerauerint, vel quòd ex his quæ diuersis horis inuadunt, aliæ pręueniant, aliæ tardentur. adeo vt aliquando in vnam & eamdem horam incidat vtriusque initium. Quæ diuersis horis inuadunt facilius [m] distinguuntur; quæ eadem hora magis confusæ sunt præsertim si ipsarum initia in vnū

atque

a Gale. 2. de differ. feb. cap. 7. & 8

b Gal. l. p. ad Glauc. cap. 4. & 4. aph. com. 73.

c Gal. l. 2. de differ. feb. cap. 7. & 8

d Galen. l. 2. crisiū. ca. 9

e Supra l. p. c. 9. & Gale. p. de dif fe. feb. c. p

f Gale. p. de diff. febr. cap. x. & l. 3. de pręs. puls. ca. 3.

g Gale. l. 2. crisiū. ca. 9.

h Gale. p. ad Glauc. cap 11.

i Gale. 2. de diff. febr. cap. 7. & 8.

k Gale. 2. de diff. febr. cap. 8.

l Gale. 2. de differ. feb. cap. 7.

m Galen. ibidem.

atque idem tempus incidant. Quod si copulentur hæ febres cum alijs diuersi generis, vt cum hæctica, qua ratione & dignoscantur & curentur enarrabimus cum explicauerimus febres hęcticas; neque .n. intelligi potest vis rerum compositarum (vt in superioribus [a] diximus) nisi prius simplicium natura perspecta fuerit. at si plures iungantur inter se eiusdem generis, ita vt omnes oriantur ab humorum putredine aut sunt eiusdem speciei, aut alterius, si eiusdem, necesse est diuersis horis inuadant, nam eadem hora vna esset febris duntaxat; sed si diuersis horis, plures erunt, eadem autem erit natura omnium quod attinet ad calorem, ab eadem causa orientur, superuenient eadem symptomata, eodem modo & sensu & mente præsentia compręhendentur, nisi quòd reuertentur diuersis horis [b] & iterabuntur. Euentus erit magis periculosus. Tempus longius si sequi debet salus, breuius si interitus. Via & salutis & interitus eadem erit ac si vna esset febris. Sed si iungentur diuersæ speciei febres, veluti tertiana cum quotidiana poterunt & diuersis [c] horis & eadem accedere; si diuersis horis apparebit diuersus calor [d] vt alijs valde acris, & parum fumosus alijs parum acris & valde fumosus: quod si eadem hora concurrant erit calor inęqualis mixtus & quasi compositus. Causæ, siue eadem hora siue diuersis inuadant, sunt duo humores diuersis locis putrescentes; vt in vno flaua bilis in altero pituita. Symptomata distincta sunt vt tertianæ & quotidianæ, vbi diuersis horis [e] inuadant, vbi eadem, mixta & confusa. Cognoscuntur diuersis horis inuadentes vnaquæq; suis indicijs superius enarratis: vbi eadem hora indicia confusa sunt. Euentus magis periculosus est vbi febres diuersi generis sunt, si cætera paria sint, quam vbi eiusdem ob varietatem humorum. Tempus etiam longius est. Via varia & ea quam cuiq; humoris ac febris speciei tradidimus aptari. Ratio curandi composita esse debet ex ea quam ad vnam, & ex ea quam ad alteram scripsimus febrium simplicium: magis autem spectare oportet ad eam quæ grauior est. Hæc, quæ de febribus compositis in vniuersum dicta sunt, magis perspicua erunt si posito vno hemitritei exemplo patefiant.

a Supra in hoc l. cap.

b Galen. 2. crisiũ. ca. 9

c Gal. l. 2. de diffe. febr. cap. 7. & 8.

d Galen. ibidem.

e Gale. locis dictis & l. 2. crisium cap. 9.

De hemitriteo. Cap. IIII.

APPELLATVR à Gręcis ἡμιτριταῖος, febris composita [f] ex tertiana & quotidiana. significat ἥμι, id quod latini dicunt semis, vnde nominant ἡμίθεον semideum & ἡμίονον semiasinum, hoc est mulum. interdum tamen vsurpatur vocabulum ἡμι ad significandum nõ dimidium: sed totum & alteram partem vt ἡμιόλιος; [g] quo modo videtur significare hemitriteus tertianam totam & alteram partem

f Gale. 2. de differ. fe. cap. 8.

g Gal. de Typis cap. 4.

partem manet.n. tertiana exquisita duodecim horas, adeo vt illa, quę prorogatur ad decem & octo, contineat totum tempus duodecim horarum & alteram partem; quamq; accipitur à quibusdam hemitriteus pro tertiana longiore[a] siue occupet decem & octo horas tantum, siue viginti quatuor, siue triginta sex, aut etiam quadraginta octo. Accipitur tamen apud Hippocratem[b] hemitriteon, non simpliciter pro tertiana producta, sed pro febre continente, acuta, mortifera, horrifica, in qua scilicet diebus imparibus multiplex accidit horror; qui finitur & rursus renascitur adeo vt eiusmodi dies maxime molesti sint, sed dies pares leuiores sũt, in quibus febris tantum cum frigore incipit, aut etiam cum modico horrore, qui vbi cessabit eodem die non amplius repetit. Hanc febrem scribit Hippocrates[c] vocari hemitriteum, quam dicit esse continuam, & non intermittentem, non quò non possit etiam eiusmodi febrium compositio intermittere, sed minus proprie dicetur hemitriteus. necesse est autem eam quam descripsit Hippocrates componi ex tertiana & quotidiana non quidem ex ambabus intermittentibus, quia non esset febris continens, non ex ambabus continentibus quia non esset horrifica, sed necesse est vnam esse[d] continentem alteram intermittere, cumque tertio quoque die reuertatur ille multiplex horror, necesse est tertianã esse illam quæ intermittit: & idcirco quotidianam eam quæ continens est; reuertitur hæc quotidie cum frigore aut modico horrore & paribus diebus, quò sola est, non sentitur multiplex horror, neque ita magna molestia, sed dies impares[e] longe molestiores sunt; quòd præter quotidianam superueniat tertiana cuius rigor in horrorẽ degenerat, quòd vis illa vehemens flauæ bilis remittatur à pituita. Reuertitur autem sæpe eodem die horror quòd flaua bilis accendatur & superet pituita & ita cesset horror & non persæueret sed paulo[f] post superueniat quòd vincatur flaua bilis à pituita & calor contrahatur: quod cum sępius accidat necesse est imparibus diebus multiplicare horrorem & quiescentem rursus excitari, adeo vt vix eo die febris ad vigorem perueniat & accendatur ex toto flaua bilis ac superet pituitam. augentur autem circuitus hemitritei in dies dum perueniatur ad vigorem. Possunt hæ febres tertiana scilicet intermittens & quotidiana continua vel à primo[g] die incipere eadem hora, ita vt miscentur & quodammodo inter se confundantur talesque reuertantur vsque ad vigorem; at possunt etiam eædem febres diuersis horis hominem præhendere, ita vt distinctę sint & non confusę, sed confundantur in vna accessione tantum, si vna anteuertat & altera tardetur, aliquando enim in vnam & eamdem horam incident

a Galen ibidem.

b Hippoc. p. p. epid. 23. & 3. p. epid. 5.

c Hippoc. locis citatis.

d Gale. 2. de diff. feb. 8.

e Hipp. p. p. epid. 23.

f Gale. 2. de diff. febr. 8.

g Gal. 2. 1. de diff. febr. Hip. 7.

dent ambæ & confundentur, eritque ea sola accessio hemitritei, cum aliæ distinctæ sint & non confusæ. Causa hemitritei est putredo pituitæ in venis, quæ quotidianam continuam, & flauæ bilis extra venas, quæ tertianam intermittentem efficit. Contrahuntur humores hi contrarij à causis contrarijs vt flaua bilis à calore & siccitate, pituita à frigore & humore: quæ quidem possunt vel diuersis temporibus contrariæ corpori nostro euenire & ita contrarios succos procreare, sed possunt etiam eodem tempore, nam euenit interdum vt ventriculus frigidus sit & pituitam contrahat, quo tempore calidius iecur auget flauam bilem; quid quòd exsculenta & poculenta possunt simul contraria sumi? vt alia, quæ calida sint & sicca apta ad flauam bilem contrahendam, alia, quæ frigida & humida, ad pituitam. Romæ [a] scribit Galenus frequentissimum esse hemitriteum vbi inæquales & contrariæ causæ inter se concurrunt. Symptomata, quæ sequuntur hemitriteum sunt maxime multiplex [b] ille horror, quem diebus imparibus accidere diximus, tum sitis ob vim flauæ bilis, somnus grauior ob vim pituitæ, animæ defectio quòd vtraque [c] mordere possit os ventriculi. Recognoscitur in homine ægrotante hemitriteus sensu, tactu enim percipitur calor assiduus qui quotidie reuertitur, sed imparibus [d] diebus cum multiplici horrore, paribus vero cum frigore duntaxat, aut cum modico horrore semel tantum inuadente, ita vt non difficile sit hemitriteum sensu iudicare: quamquam potest etiam conijci ex causis vt ex flaua bile extra venas & pituita in venis putrescente; ex communiter vagantibus quòd alij ægrotantes tunc hemitriteo laborent; ex his quæ prodesse aut obesse tertianæ, vel quotidianæ febri mõstrauimus; postremo ex effectis vt ex [e] pulsu vario, ob tertianam quidem magno, celeri, ac frequenti, sed ob quotidianam cõtrario, ita vt valde inæqualis sentiatur; ex siti, somno, animi defectione, inæqualitate frigoris & caloris, sudore vrina, deiectione, varijs partim ad tertianã partim ad quotidianam spectantibus. Causa proxima, flaua bilis videlicet & pituita putrescens, colligitur ex causis à quibus vterque humor gignitur, tum calidis & siccis, tum frigidis & humidis siue diuersis temporibus inciderint, siue in idem concurrant. huc spectat locus vbi est eiusmodi inæqualitas quemadmodum Romæ [f] vbi hemitriteus frequens est. Colligitur etiam proxima causa ex varietate eorum quæ prosunt aut obsunt, & tandem ex effectis & potissimum ex his quæ detruduntur varijs ac inæqualibus, flauam bilem ac pituitam indicantibus. Symptomata sensui manifesta sunt quemadmodum multiplex ille horror, sitis, somnus grauis, animæ defectio. Euentus [g] periculosus est, & ob magnitudinem symptomatum,

a Galen. 2. p. epid. com. 25.

b Hippoc. & Gale. p. p. epid. 23 & l. 2. de diff. febr. cap. 7 & 8.

c Galen. l. de Typis c. 4

d Hippoc. & Galen. 2. p epid. 25.

e Gal. 2. crisium c. 9.

f Galen. 2. p. epid. com. 25.

g Gale. l. de Typis c. 4.

tum, & ob aſsiduitatem febris, & ob difficultatem, quam affert tam naturæ quam arti varius humor à quo febris hęc accenditur, merito igitur ponitur hemitriteus ab Hippocrate [a] in mortiferis, plerumque enim hominem abſumit: vbi tamen leuior ſit, & ſymptomata leuiora afferat & natura nõ omnino imbecilla ſit pollicerí ſalutem poſſumus. Tempus, quo expectare euentum debemus, breue eſt, cum hæmitriteus inter [b] acutas febres referatur. ſi ſequi debet interitus, quò grauior eſt morbus & natura imbecillior, eò celerius expectandus eſt; ſed ſi debet ſequi ſalus, quamuis hemitriteus ſit febris acuta, neceſſe eſt multum temporis intercedat: finitur .n. hemitriteus paucis diebus; quoniam finitur [c] tertiana, ex qua componitur, ſed relinquitur quotidiana, quę diuturna eſt, ita vt ſanitas non ſequatur niſi poſt longum tempus. Via ſanationis eſt varia expulſio & flauæ bilis [d] & pituitę per ſudorem, vrinam, vomitum, deiectionem, vt in quotidiana, & tertiana ſimul iunctis. interitus ſequitur ob aſsiduitatem febris, grauitatem ſymptomatum, varietatem humoris putreſcentis. Curatio hemitritei mixta eſt ex ea quę tertianæ, & ea quæ quotidianæ conuenit; oſtendimus [e] autem in tertiana conſilium magis dirigendum eſſe ad febrem refrigerandam & madefaciendam quam ad cauſam detrahendam. contra in quotidiana magis ad cauſam detrahendam, extenuandam, incidendam, quam ad febrem refrigerandam & madefaciendam. In hemitriteo exquiſito cum pares ſint tertiana & quotidiana pariter ad vtramque ſpectandum eſt, & idcirco non magis dirigendum conſilium ad morbum quã ad cauſam, vel ad cauſam quam ad morbum. in tertiana ſpuria quamuis ægregie ad vtramque conſilium dirigatur, plus tamen tribuitur morbo quam cauſæ, quòd flaua bilis ſuperet pituitam, ſed cum inter ſe pugnant quæ morbo, & quę cauſæ conueniunt, cum illa refrigerare & madefacere debeant, hęc magis calefacere & ſiccare ad extenuandum, incidendum atque educendum, quæret quis quo pacto ſuccurrere vtrique ſimul liceat? dicendum eſt, aut viciſsim vtendum nunc his nunc illis, aut mixtis inter ſe ita vt vtriuſque vim temperent. Inſtrumenta quibus ad refrigerandum & madefaciendum vtimur ſunt & ſex res non naturales ad rationem victus attinentes, & medicamenta, debent autem eiuſmodi eligi vt moderata ſint, ne cum medentur febri, nimis cauſę vim augeant. Ad extenuandum atq; incidendum vtendum quoque eſt partim victu, partim medicamentis, ſed ſimiliter, moderatis ne [f] febrem exaſperent; valet oximel dilutum aqua, in qua bullierit fæniculus, & anhetum, ſyruppus acetoſus de duabus radicibus, de bettonica, de biſantis; quæ medicamenta accommodantur

a Hipp. 3. p. epid. 5.

b Hipp. ibidē & p. p. epid. Tex. 23.

c Galen. 2. diff. febr. cap. 7.

d Galen. 3. criſiũ. cã. 3

e Supra l. 5. cap. 4.

f Gale. l. 11. meth. ca. x

dantur etiam ad mouendam vrinam . fudor euocatur relaxantibus siue intus datis siue extrinsecus admotis, maxime idoneum est [a] chamomelum. Vomitus excitatur aqua [b] in qua bullierit radicula. Danda preterea sunt cathartica quę simul educant & fluam bilem & pituitam vt hiera, cui additum sit aliquid scammonij, & collocynthidis. Rhabarbari atque agarici dilutum. Diaphinicon cum electuario ex succo rosarum ac syruppo rosato solutiuo. Vbi desijt tertiana ad curandam deinde quotidianam licet vti medicamentis acrioribus, quæ pituitam [c] extenuent, incidant, atque educant. Symptomata leniri debent, vt multiplex ille horror diebus imparibus, per moderate calefacientia pręsertim extrinsecus imposita vt fomenta, olea. Sitis per ea quæ refrigerant & madefaciunt, cuiusmodi est potio aquę in qua bullieri thordeum & maxime si ei addatur aliquid zulapij viola conditi. Somnus per excitantia cuiusmodi sunt ea quæ quouis modo dolorem faciunt & omnibus sensibus molestiam inferunt. Animæ defectio per ea quæ vires [d] reficiunt, vt per vinum tenue quod facile distribuatur; sicuti & per elysir, quod appellant, præsertim aliqua frigidiori aqua temperatum; per ea quæ auertunt ab ore ventriculi cuiusmodi sunt clysteres, ac balani sępius in anum inditi; aut adstringendo ipsum confirmant veluti oleum ex absinthio, ex nardo, ex mastiche, siue etiam ex cidonijs, quod melinum vulgo nuncupatur.

a Gal. 3. simplic. cap. x.
b Gale. p. ad Glauc. c. 12.
c Gale. p. ad Glauc. ca. 12.
d Gale. l. 12 met. ca. 4

De febribus Pestilentibus, & de contagione. Cap. V.

EX differentijs febrium, quas seorsum enarrandas proposuimus, restant pestilentes quas Græci [e] nominant λοιμώδεις, nam λοίμος pestem significat; sunt autem pestilentes ex his quæ communiter [f] vagantur & plures eodem tempore occupant; non tamen omnes communiter vagantes dicuntur pestilentes; sed illæ duntaxat, quæ prauæ sunt & plerosque [g] interimunt eorum, quos attingunt. minus proprie pestilentes dicuntur illæ, quæ aut pernicioſæ sunt & non vagantur communiter, vt prauę quædam febres, quæ quosdam inuadunt; aut vagantur quidem communiter, sed licet sint graues, non tamen sunt valde pernicioſæ, quemadmodũ illę quæ cum maculis, quæ similes lentibus sunt, aut cum variolis, vel morbillis iunguntur; quas omnes differentias nunc tractabimus. Veniant primò in medium illæ, quæ proprie pestilentes, sunt, quòd videlicet communiter vagentur & simul pernicioſæ sint. Continentur hæ acri & fumoso calore, vt aliæ omnes, quæ putredinem sequuntur. caloris acrimonia primo contactu non

e Gal. l. p. de diff. febr. cap. 4.
f Galen. p. p. epid. com. p.
g Galen. 3. 3. epid. com. 20.

percipitur, sed diutius tangenti subinde calor acriorem se ostendit, contra quam in tertiana cuius acrimonia magna initio sentitur sed paulatim videtur superari, principio igitur cum tangitur calor tepidus videtur in partibus [a] externis, quamuis internæ videantur vri. quod à Tucidide in Actica pestilentia descriptum præclare interpretatur Lucretius [b] his versibus,

„ *Nec nimio cuiquam posses ardore tueri*
„ *Corporis in summo summam feruescere partem:*
„ *Sed potius tepidum manibus proponere tactum:*
„ *Intima pars hominis verò flagrabat ad ossa:*
„ *Flagrabat stomacho flamma vt fornacibus ignis*

Sunt autem pestilentes febres omnes assiduæ, inficit .n. prauitas putredinis humores qui in venis sunt, neque vires sub ea valere adeò possunt vt expellant ex venis humorem noxium: quò fit vt numquam intermittant. Ordo circuituum quiuis esse potest; quotidianus, tertianus, quartanus, cum quiuis quatuor humorum hanc prauitatem putredinis, [c] quę pestilentem, febrem affert, possit contrahere. Sanguis si hoc pacto putrescat celerrime vertetur [d] in flauam bilem. ita vt pro synocha tertianam efficiat; febres igitur pestilentes, aut tertianæ erunt, aut quotidianæ, aut quartanæ: erunt autem plerumq; tertianæ: quoniam sunt [e] ardentes & idcirco fiunt à flaua bile: quamuis possunt etiam esse quotidianæ & ardentes à pituita [f] salsa, quæ perinde ac flaua bilis excitat sitim illam inexhaustam ardentium febrium. rarò datur quartana continens [g] & multo rarius inuenitur pestilens.

Causa febris pestilentis proxima, est humor putrescens, plerumque flaua bilis, interdum pituita salsa, interdum sed raro atra bilis: sed cum pestilentes febres ab alijs distent quòd pernicioſæ simul & communes sunt, necesse est proximæ causæ hoc est prædictorum humorum putredini addi aliquid, quod & prauitatem efficiat & communitatem. efficit prauitatem qualitas [h] putredinis, & locus vbi materia putrescit: qualitas ad repugnantiam quandã totius substantiæ refertur talis .n. est putredo, quæ pestilentem febrem affert, vt non tantum excessu caloris & humoris, quemadmodum in alijs febribus, sed etiam tota substantia aduersetur naturę nostræ. Locus etiam vbi putrescit humor, qui pestilentes febres excitat, est dexter [i] ventriculus cordis, aut certe locus maxime cordi vicinus, in alijs febribus neque putrescit materia in corde neque ita vicina, sed focus in quo accenditur magis distat, ita vt cor tantum accipiat vapores putres non materiam putrescentem quemadmodum in pestilente, quæ ob hanc causam vrit etiã internas partes & in externis quodammodo tepida sentitur; con-

currit

a Galen.p.6. epid. com. 29. & l. 9. simplic.ca. de Terra armena.

b Lucretius. l. 6.

c Galen.p.6. epid. com. 29.

d Gal.l.p.de diff.febr. cap. 9.

e Galen.3.3. epid.com. 9.

f Hippoc. & Gal.4.acutor.13.

g Gale.2. de diff.febr. cap. 2.

h Gale.p.6. epid. com. 29.

i Gal. l.3.de præsag. pulſ. ca. 3.

k Galen.p.6. epid. com. 29.

currit .n. calor innatus ad cor, quò allicitur ſpiritus & ſanguis ex vniuerſo corpore ob eiuſmodi putredinis feruorem perinde ac ſi à cucurbitula attraheretur. Cauſa verò cur communis ſit peſtilens febris, & multos eodem tempore præhendat eſt ſimilis differentia cauſæ afferentis eiuſmodi putredinem; nam, cum febris & putredo multorum communis ſit, neceſſe eſt cauſam putrefacientem eſſe communem; huiuſmodi eſt [a] aer; qui quo pacto poſſit putrefacere humores in corpore noſtro iam perpendendum eſt. Duplici nomine poteſt aer humores noſtros putrefacere, & quòd valde calidus ſit, & quòd valde putris. qui valde calidus eſt, quemadmodum æſtiuus in conſtitutione admodum calida, poteſt humores putrefacere, non tamen in quouis corpore, ſed in [b] eo quod putredini maxime expoſitum eſt: cuiuſmodi eſt illud quod prauis ſuccis redundat, quemadmodum euenit in penuria annonæ; pauperes .n. tunc quibuſlibet cibis veſcuntur etiam deterrimis, ex quibus gignuntur praui ſucci, qui ob aeris calorem vehementem prauã contrahunt putredinem & peſtilentem febrem afferunt, qualem conſtat fuiſſe [d] Commodo Imperatore. Sed cum ſupra, quã de cauſis febriũ in vniuerſum, oſtenderimus putreſcere in nobis humores ob prohibitum perſpiratum, vertitur in dubium quo pacto poſsit per ſe aer calidior humores in nobis corrumpere. Soluitur tamen quod aer calidus externus, qui ad pulmonem & cor penetrat, circumfuſus humoribus qui ibi verſantur eos putrefacit: perinde ac calida expiratio retenta; & cum valde calidus eſt magnam excitat putredinem, quam ſequuntur febres peſtilentes: proxima enim putredinis cauſa poſita eſt ab Ariſtotele [e] calor aeris circumfuſi corrumpens calorem internum; quare non eſt quod miremur ſi valde calidus aer quem haurimus poſsit noſtros humores putrefacere cum idem poſsit & expiratio retenta. Cęterum externus aer magnam putredinem & febrem peſtilentem affert in illis [f] duntaxat corporibus quæ prauis ſuccis redundant. Alio nomine diximus aerem poſſe putrefacere humores noſtros & afferre peſtem; quòd ſcilicet ſit valde putris, redditur autem talis facile cum naturaliter ſit calidus & humidus: quòd ſi reddatur calidior [g] & humidior facile corrumpitur, veluti in peſtilẽtia illa, quam in Cranone accidiſſe Hippocrates [h] teſtatur æſtiuo tempore ob pluuiarum multitudinem. Putredinem etiam ſequi pluuias [i] multas idem tradidit; quamquam putreſcit quoque ob mixturam putrium vaporum, vel in bello ex multis cadaueribus [k] inhumatis, vel ex palude, aut auerno aliquo exhalantibus, licet non ſit effectus calidior & humidior. Ad putrem aerem referri poteſt contagio [l] eorum qui peſtilenti febre laborant, contaminant

a Galen. p. de diff. febr. cap. 4.

b Galen. ibidem.

c Galen. p de diff. febr. cap. 3.

d Galen. ibidem. & l. de ſuccorum bonitate & vitio cap. p.

e Ariſtot. l. 4 Metheor. cap. p.

f Gal. l. p. de diff. febr. cap. 4.

g Galen. ibidem.

h Hippoc. 2. epidem. ab initio.

i Hippoc. 6. aphor. 16.

k Galen. p. de diff. febr. cap. 4.

l Gal. p. de diffe. febr. cap. 2.

minant enim aliosqui proximi sunt, ob vapores quos exhalant valde putres ac glutinosos, qui aerem putrem reddunt, quem qui proximi sunt allicientes incidunt in similem febrem pestilentem, licet non attingantur ab ægrotante. Quid quòd etiam vestes excipiunt eiusmodi putres vapores, quos retinent ita vt contaminare etiam post diuturnum tempus possint eos, à quibus tractantur? sed multo magis per contactú vapores putres, qui ab eiusmodi [a] ægrotantibus expirant, possunt proximos homines afficere, atque hæc est vera & propria contagio; quamuis & aer & vestes à quibus eiusmodi vapores excipiuntur aliquo pacto ad contagionem referantur. Habet autem vim aer putris putrefaciendi etiam in hominibus qui non redundant prauis succis; quod non eueniebat cum calidior erat duntaxat, quamquam etiam vbi putris est non æque afficit omnia [b] corpora, sed magis illa, quę magis sunt putredini expositа: cuiusmodi ea sunt in quibus aut multi aut etiam praui humores abundant, & non patent foramina cutis & canales: nam paruo momento hæc incidunt in putredinem, à qua illa defenduntur quę contraria sunt, hoc est quę non redundant multis aut prauis succis, neque canales clausos habent, aut foramina minus patentia. eiusmodi enim corpora nõ facile incidunt in putredinem & in febrem pestilentem, sed facile defenduntur & ab aere putri, & à contagione. Curabant veteres medici eos, qui pestilenti febre perinde atque eos qui alijs morbis laborabant, neque contagionem timebant, cum pulsum aut [c] thoracem tangebant aut inspiciebant linguam, freti corpore puro, & canalibus ac foraminibus apertis. Si quis obijciat putrem aerem magis permeare corpora patentia quam clausa, atq; idcirco magis defendi posse ab eo quę minus patent: respondebimus, cum cogimur versari in aere putri nullo modo posse ipsum euitare adstrictis canalibus aut foraminibus clausis, si quidem per os transit, & guttur assidue necessario ad cor & pulmonem. sed multum interesse, purum nè sit corpus & pateat exitus vaporibus putribus, an redundans multis vel prauis succis & intercluſum habens exitum fuliginis & calidæ expirationis, nam hoc maxime lędit ab aere putri, illud facilius defenditur. Tanta autem est vis interdum aeris putris, vt non tantum humores qui in corde sunt, sed ipsius quoque substantiam solidam possit afficere: & ita simul febrem [d] hæcticam afferre, & eam quæ putredinem sequitur, adeo vt febris pestilens quamuis in illis ponatur, quæ versantur in humoribus, possit etiam inter hæcticas referri, cum versabitur in ſub ſtantia ipsa cordis putrescente. Sed cum ab aere putri possint affici & humores, & partes solidæ cordis, videntur etiam posse putrefieri

a Galen. ibi dem.

b Gal. p. de differ. feb. c. 4.

c Gale. 3. de præsag. puls. c. 3.

d Gal. ibidem.

trefieri ſpiritus eiuſdem: quod vbi accidat, febris peſtilens cum in ſpiritibus verſetur, videbitur in diarijs ponenda: quod tamen prętermiſſum eſt à veteribus auctoribus, quia eiuſmodi diaria exigui admodum temporis erit: celerrime .n. aut humores, aut etiam ſolidæ partes cordis concipient eiuſmodi putredinem, & ita fiet aliud genus febris. ſed longius labimur in exponendis cauſis febris peſtilentis, pergamus ad effecta. Symptomata quæ febrem peſtilentem ſequuntur plurima & maxima ſunt, cum non tantum proficiſcantur ab exceſſu caloris aut ab humoris qualitate vel quantitate quemadmodum in alijs febribus, quæ oriuntur à putribus ſuccis; ſed multo magis à qualitate [a] putredinis tota ſubſtantia pugnantis cum natura noſtra, ita vt non mirum videri debeat ſi adeò multa & grauia ſuperueniant, cuiuſmodi & perſpecta ſunt à nobis in peſte illa, quæ triginta octo ante annos tota ferè Italia vagata eſt, & à Thucidide [b] enarrata vbi peſtem illam deſcribit quæ Athenas occupauit, eamdem ex Thucidide exceptam pręclarè latinis verſibus expreſsit [c] Lucretius. Accidunt eadem ſimptomata plurima & grauiſsima etiam ſine peſte febribus illis prauis quas Græci [d] λυπηρίαϛ dicunt, ſunt autem ea quæ proponuntur [e] ab Hippocrate in pronoſticis ad interitum ſignificandum; lędunturn. valde actiones, affectus & qualitates corporis plurimum à naturali ſtatu mutantur, quę detruduntur [f] maximę præter naturam apparent. Ex animalibus actionibus offenditur tam mens, quam ſenſus, & motus. mens quidem perturbatur, homo delirat, decipitur immagine rerum, obliuiſcitur etiam ſui ipſius. Quòd attinet ad ſenſum, vigilat, dolet, percipit enim morſum quendam in ore ventriculi, oculi caligine occupantur, & aures, vt inquit Lucretius, [h] ſonoribus plenę ſunt. At debilitatur etiam motus voluntarius & linguæ & aliarum partium ita vt reſoluantur nerui, qui nonnumquam etiam diſtenduntur, ex quo ſequitur difficultas anhelitus, deprauatio vocis. At debilitatur actio quoque vitalis ita vt ſequatur animæ defectio. debilitatur & naturalis potiſsimum concotricis & expultricis facultatis; lędiditur item appetitio cibi & potionis, quæ quamuis pertineat ad ſenſum cum reſideat in ventriculo, & ad alimentum ſpectet, aliquomodo ponitur in naturalibus. repudiant ægri cibum, adeo vt niſi vel ſe [i] ipſos cogant, vel cogantur ab alijs intereant fame, ſed ſiti [k] tenentur inexpugnabili ob quam vt inquit [l] Lucretius,

„ *Multi precipites lymphis putealibus alte*
„ *Inciderunt ipſo venientes ore patente*,

At valde etiam mutari diximus affectus & qualitates corporis id quod Lucretius [m] optime expoſuit cum dixit

a Gale. p.6. epid. com. 29.

b Thucidides l.2. ſuę hiſtoriæ.

c Lucretius l.6.

d Gal.2.prognoſt.com 4. & 4. aphoriſm. com.48.

e Gal.2.criſ. cap. 14.

f Galen. 3.3. epid. com. 57.

g Hipp. 3.3. epid.62.

h Lucretius. l.6.

i Galen.3.3. epid. com. 58.

k Hipp.3.3. epid. 59.

l Lucretius. l.6.

m Lucretius ibidem.

„ *Principio caput incensum feruore gerebant,*
„ *Et duplices oculos suffusa luce rubenteis.*
„ *Sudabant etiam fauces intrinsecus atro*
„ *Sanguine, & vlceribus vocis via septa coibat:*
„ *Atque animi interpres manabat lingua cruore,*
„ *Debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.*
„ *Triste supercilium, furiosus vultus & acer:*
„ *A pedibusque minutatim succedere frigus,*
„ *Non dubitabat: item ad supremum denique tempus*
„ *Compressę nares: nasi primoris acumen*
„ *Tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,*
„ *Duraque, in ore iacens rectum frons tenta meabat.*

Tenduntur etiam pręcordia in febre pestilente, nascuntur & pustulæ variæ in vniuersa cute, aridæ, nigræ, aut etiam rubręquales Lucretius [a] enarrat cum ait

a Lucretius. l. 6.

„ *Et simul vlceribus quasi inustis omne rubere*
„ *Corpus: vt est per membra: sacer cum diditur ignis.*

Pro pustulis superueniunt liuores, carbones, tumores in inguinibus, sub alis, post aures, gangrenæ in partibus extremis, vt in manibus & pedibus, tum in [b] genitalibus. qui affectus in symptomatibus numerantur cum sequantur alium morbum nempe febrem; non tamen omnes omnibus accidunt, sed alij alijs superueniunt, pro vt quisque his vel illis humoribus redundat tenuioribus crassioribus, magis vel minus corruptis, pro vt item hæ aut illæ partes imbecilliores sunt, & facilius tentantur à materia putri. Ea verò quæ [c] detruduntur maxime aliena sunt, male enim ob putredinem olent, & adipem ob vim caloris liquatam præseferunt: destillat frequenter sanguis ex naribus corruptus atque ater. aluus [d] liquida & corrupta quædam reddit. Vrina [e] turbida, vel aquosa ac tenuis est, in qua vel nihil vel pingue aliquod natat. sudor & sputum qualia sint commemorat similiter Lucretius [f] cum inquit

b Hipp. 3. 3. epid. 12. & 26.

c Gale. 3. 3. epid. com. 57. & p. 6. epid. com. 29.
d Gale. l. 5. meth. c. 12
e Hipp. 3 3. epid. 15.
f Lucretius. l. 6.

„ *Sudorisque madens per collum splendidus humor,*
„ *Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore*
„ *Salsaque per fauceis rauca vix edita tussi.*

Huiusmodi igitur sunt symptomata quę febrem pestilentem sequuntur. Sed satis de cognitione absoluta rerum præter naturã. In homine, qui laborat febre pestilente, recognoscere primo ipsam oportet, quę tum sensu percipi, tum ratione conijci potest, sub sensum cadit calor qui internas partes g vrit; in externis tepidus sentitur, præsertim primo contactu, nam diutius tangenti acriorem se ostendit in omnibus febribus prauis, contra in arden

g Gale. p. 6. epid. com. 29.

tibus

tibus quæ prauæ non sunt quo diutius tangitur eo magis superari videtur caloris acrimonia; est etiam calor in pestilenti febre cõtinens, neque enim intermittere potest vt supra monstrauimus, circuitus verò plerumque tertianus est, cum sit ex numero ardentiũ, quæ maxima ex parte fiunt à flaua bile, quamquam oriuntur etiã à pituita salsa, & tunc circuitum habent quotidianum. Mente verò conijcitur pestilens febris, & primo ex causa ipsa proxima, quam diximus esse putredinem, non tamen talis qualis [a] excitat alias febres, sed quæ tota substantia aduersetur naturæ nostræ, quam vbi versari in ęgrotantis corpore constet constabit etiam febrem esse pestilentem. Plurimum verò conferunt ad eamdem cognoscendam febres similes quæ communiter vagentur, par .n. est & talem [b] esse qua laborat homo ad quem curandum adhibemur: id quod vulgo etiam notum est, aiunt enim tempore quo ficus matureſcunt, quamlibet auem esse ficedulam, volentes significare tempore pestis quaslibet febres esse pestilentes. Eadem colligitur ex his quę vel prosunt, vel obsunt vbi scilicet prosint non solum quæ putredini obsistunt, sed antidota quoque & ea quæ tota substantia eiusmodi prauitati aduersentur, vbi item quę quouis modo putredinem augent, obsint longe magis quam soleant alijs febricitantibus. Postremo indicant pestilentem febrem ipsa effecta, hoc est symptomata cuiusuis generis. Ex actionibus primo obseruandus est pulsus, [c] qui imbecillior est quam in alijs febribus humorum putredinem sequentibus, celer, frequens, inæqualis, celerior autem est contractio quam dilatatio, non solum vt in alijs febribus humorum putredinem sequentibus, sed multo maxime, quòd maxima sit necessitas expellendi fuliginem non solum multam ac putrem sed etiam prauam, quamuis magna etiam sit necessitas refrigerandi. Accedunt lęsiones aliarum actionum quas supra in symptomatibus numerauimus, vt delirium, obliuio, vigilia, dolor, morsus in ore ventriculi, caligo, sonitus aurium, difficultas spirandi, neruorum distentio, aut resolutio, deprauatio vocis, animæ defectio, incredibile [d] cibi fastidium, sitis inexhausta, tum anxietas quædam & iactatio corporis, nullius tegmenti tollerantia, nam vt scribit [e] Lucretius.

„ *Nil adeò possis cuiquam leue, tenueque membris*
„ *Vertere vtilitatem ad ventum, & frigora semper.*

Præterea ex affectibus & qualitatibus corporis, rubor faciei & oculorum, liuor [f] in varijs partibus corporis, & erisipelatis species, in ore fætor, nam vt scribit [g] Lucretius

„ *Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem,*
„ *Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu.*

a Galen. ibi dem.

b Gal. 2. crisium. ca. 3.

c Gal. l. 3. de præsag. ex puls. c. 3. & Auic. l. 4. f. p. tr. 4. cap. 2.

d Hipp. 3. 3. epid. 13. & 3. 3. epid. 58.

e Lucretius. l. 6.

f Galen. p. p. epid. com. 29.

g Lucretius ibidem.

Tum frigus partium extremarum, distentio precordiorum, tum pustulæ in cute rubræ aut etiam nigræ & aridæ, carbunculi, tumo
a Hipp. 3. 3. epid. 12. res glandularum, vt in inguinibus, sub alis, post aures, gangrenæ in manibus, pedibus, aut etiam in partibus [a] genitalibus. Ad hæc quæ detruduntur corrupta sunt & liquatam adipem præseferunt. proprie autem vrina aut turbida est, aut aquosa ac tenuis in qua aut nihil residet, aut quasi tela araneæ in lanæ speciem coacta. deiectio biliosa vel atra est maxime fætida, ac fere semper cum colliquationibus, sæpissime etiam cum lumbricis, teste etiam Lucretio,

„ *Sudorisque madens per collum splendidus humor.*

Fluxus ex naribus sanguinis nigri. Monstrant omnia hæc effecta febrem pestilentem. Proxima eius causa, putredo scilicet humorum tota substantia pugnans cum natura nostra, sensum latet, ideo necesse est conijciatur ex causa, vt ex contagione & consuetudine cum hominibus peste laborantibus, ex aere vel nimis
b Gale. p. de diff. febr. cap. 4. calido [b] & humido, vel etiam valde putri, ex corpore item ægrotantis exposito eiusmodi putredini; quale esse diximus, quod aut prauis, aut etiam multis [c] succis redundat, & cuius caua clausa
c Galen. ibidem. sunt. Colligitur eadem causa ex his quæ prosunt aut obsunt, hæc autem non alia sunt quam quæ prodesse vel obesse ipsi febri pestilenti tradidimus. Eiusdem etiam fidem faciunt effecta, sed potissimum pestilens febris quæ adesse non potest nisi adsit eius causa. Symptomata, cuiuscumque generis sint, sensui manifesta sunt tum medico tum ipsi ægrotāti atque assidentibus. percurre actiones læsas, qualitates corporis mutatas, expulsa ipsa, comperies omnia sensu iudicari. Quæ hactenus exposita sunt, non quamuis febrem pestilentem indicant, sed illam duntaxat quę consistit in humoribus putribus. at docuimus eamdem versari interdum in
d Gale. 3. de præsag. ex puls. c. 3. substantia [d] cordis & hæticam esse, interdum in spiritibus & poni in diarijs, quamobrem has quoque internoscere oportet. In hæctica pestilēte calor magis squallidus sentitur & valde acris circa thoracem, quamuis non percipiatur ab ægrotante cum æqualis [e]
e Gale. l. de inequali intemper. cap. 7. sit, putat enim se non febricitare, non reuertuntur nouæ accessiones, pulsus longe imbecillior [f] est, sed tamen æqualis in magnitudine tamen & celeritate moderatus si quidem calor qui est
f Gal. l. 3 de præsag. puls. ca. 4. in substantia cordis temperatur à frigore humorum quos continet idem cor. Vrina [g] fere naturalis est, non apparent in cute neq;
g Galen. ibidem. rubores, neq; tumores, neq; pustulæ aut carbunculi aut alij tumores, cū neq; putrescant humores neque ob naturę imbecillitatem detrudantur ad cutem, summa autem tunc adest virium imbecillitas. Quod si pestilens febris resideat in spiritibus cordis ita vt sit

diaria,

diaria, de eius cognitione laborandum non est cum celerrime de generet in aliam: tamen quandiu manet vehementiorem prę-fefert calorem quam hęctica, sed minus aerem ac minus squallidum,& facilius affert animæ defectionem,non tamen cætera sym ptomata quæ afferri diximus vbi versatur in humoribus putribus, ita vt non valde difficile sit inter ipsas diudicare. Sequitur prædictio futurorum, opere precium autem est primo docere qua ratione impendens pestis præsagiri possit, vt deuitari queat priusquam incipiat, cum vbi iam incepit nec opinantes oprimat & plerosque enecet; Præsagietur autem vt quoduis aliud futurum ex causis. Quod si videas aerem valde calidum & humidum vt æstiuo [a] tempore vbi pluuia magna & frequens sit, aut etiam putrem redditum ex vaporibus, qui vel à cadaueribus, [b] vel à corruptis aquis exhalantes cum eo miscentur. Si tempestas item inconstans sit. si ob caritatem annonæ homines [c] vsi fuerint prauis cibis cum eiusmodi aere, prædicere futuram pestem oportet. Sed vbi iam inceperit & hominem præhenderit quem curamus, prædicere vt in alijs febribus euentum debemus,& tempus, ac viam. Euentus ob magnitudinem febris, ob prauitatem putredinis, ob grauitatem symptomatum plerumque [d] pernicioſus est; quod vel ex ipso Thucidide colligitur in pestilentia quam Athenis fuisse narrat, quod Lucretius [e] significauit cum ait.

„ *Vastauitque vias, exhausit ciuibus vrbem,*
„ *Inde cateruatim morbo, mortique dabantur,*

Siqui autem euadebant incidebant in tabem, [f] aut in profluuium sanguinis narium, ita vt tandem morerentur. Verum vbi vires validiores sint febris leuior, minor putredo,& minus grauia symptomata, seruari [g] homo potest id quod conijcies si recte æstimabis vires naturæ & morbi inter se collatas. intelliges morbi vires potissimum ex symptomatibus: illud tamen obliuiisci non oportet quòd vbi putredo prehendat substantiam cordis & febris pestilēs hæctica [h] sit, res omnino desperata est, ita vt necesse sit hominem interire. Tempus in his, qui seruari debent, potest breue esse quòd natura valida detrudat totum id quod noxium est; sed plerumque minus valet quam vt possit totum opus perficere, quamobrem necesse est morbum primo remitti sed deinde diutius trahi, in illis verò qui interituri sunt, nisi remissa febre paulatim in tabem incidant necesse est tempus esse breue, id quod Lucretius [i] testatur cum ait.

„ *Octauoque ferè candenti lumine solis*
„ *Aut etiam nona reddebant lampade vitam*

Sed possunt multo celerius mori. Recessit Hippocrates [k] Critonem

a Gal. l. p. de diff. febr. cap. 4.
b Galen. ibidem.
c Galen. ibidem.
d Galen. 2. aphorism. com. 13. & Hipp. 3. 3. epid. 21.
e Lucretius. l. 6.
f Hipp. 3. 3. epid. 19.
g Gale. l. de constitut. artis c. 18.
h Gal. 3. de præsag. ex puls. c. 3.
i Lucretius. l. 6.
k Hipp. 3. p. epid. 26.

tonem quendam qui laborare cepit tumore pedis & obortis nigris puſtulis poſtridie deceſsit. Via qua homo ſanatur eſt quòd putreſcens materia aut educatur ex corpore, aut transferatur ad partes ignobiliores & puſtulas[a] efficiat, vel alios excitet tumores. Via interitus eſt quòd vires ſub prauitate putredinis, ſub grauitate ſymptomatum conuellantur præſertim vbi adſit animi defectio aut ſuperueniat gangrena, aut euaneſcant tumores prius apparentes, aut nimiũ vel alui, vel ſanguinis profluuium ſequatur, ita vt vel ſtatim abſumatur homo, vel proceſſu temporis tabeſcat.

a Gal. 5. meth. c. 12.

His ita conſtitutis de cognoſcenda febre peſtilente proximum eſſet, quemadmodum in alijs morbis, vt ad curationem aggrederemur: ſed quia attingit quam plurimos, grauiſsima eſt, & plerumque pernicioſa, opere præcium iudicauimus docere prius qua ratione deuitetur, facilius .n. deuitatur quam tollitur. ergò cum imminet, ne ſequatur auferenda cauſa eſt, vna ſi quidem via eſt prohibendi quæ alioquin expectantur, nimirum amotio cauſæ effectricis videlicet vnà cum habilitate[b] accipientis; qua ablata non amplius timendum erit quod impendebat malum. Effectrix cauſa prauæ putredinis & propterea febris peſtilentis neceſſe eſt communis ſit, huiuſmodi eſſe monſtrauimus & contagionem, & aerem ſiue nimis calidum, ſiue etiam valde putrem. Contagionis vocabulo ſignificamus proprie contactum veluti eorum qui peſtilenti febre laborant, ſed vſurpamus ipſum minus proprie ad vapores putres ab ęgrotante corpore[c] exhalantes qui vel cum aere circunfuſo mixti, vel veſtibus retenti alios contaminant quos attingunt; quocumque modo accipiatur contagio deuitanda eſt, aut vbi id fieri non poſsit tale reddendum eſt corpus vt minus habile ſit ad huiuſmodi putredinem accipiendam. Quod quo pacto fiat ſubijciemus ſi prius quo pacto contra vitium aeris pugnandum ſit expoſuerimus. Aer igitur aut nimis calidus eſt, aut putris, vteruis ſit aut fugiendus eſt, aut parcius hauriendus. Pręſtat vt vulgo dicunt cito ac longius abire & tarde reuerti, hoc eſt poſt quam aer ad priſtinam ſalubritatem redierit. Quod ſi diſcedere non liceat parcius vtendum aere quemadmodum docuit Hippocrates[d] in morbis qui aeris vitio incidunt, parcius autem hauritur aer in reſpiratione ſi neceſsitatem minuamus. quod fiet corpore puro atque exinanito, & cauis[e] patentibus, atque vbi homo à motu atque animi perturbatione abſtineat, ſic .n. minus attrahetur vitioſi aeris ad cor, minor enim & rarior erit reſpiratio. Verum non ſolum vitatur aut parcius accipitur noxius aer, ſed etiam corrigitur nam ſi valde calidus ſit refrigerandus eſt eo modo quo docuimus[f] cum de curatione febris in vniuerſum egimus, eligitur,

b Gale. p. de differ. feb. cap. 4.

c Gal. l. p. de diffe. febr. cap. 2.

d Hipp. l. 2. de natura humana Tex. 4.

e Hipp. ibidem. & Galen. l. p. de differ. feb. cap. 4.

f Supra l. p. c. 8. & Galen. l. 10. meth. c. 8.

gitur enim conclaue frigidius, perfunditur aqua frigida, ſternuntur ſtirpes frigidiores, vitatur hominum frequentia. At ſi aer putris ſit vtendum remedio quo & Hippocratem Athenis, & Acronem Agrigenti vſos fuiſſe in peſte memorię proditum eſt. Acceudetur ignis[a] in vrbe pluribus locis vt à multa flamma abſumatur materia putris, quæ in aere eſt. Quod ſi incendantur odores, vt Aromata, vt ſtirax, belxoinum, thus, coſtus, cypperus, aut ligna cupreſsi, lauri, iuniperi remittetur ſimul etiam prauitas putredinis. Quò ſpectant etiã vnguenta quibus parietes inungantur vt in more poſitum erat apud veteres deliciarum cauſa: ſcribit. n. Lucretius de amatore„ Poſteiſque[b] ſuperbos vngit Amaricino, Geſtabantur etiam à veteribus pilæ ex odoribus quemadmodum teſtatur Erodianus cum peſtem deſcribit, quæ Commodo Imperatore exitioſa admodum fuit, temperatur enim putredo aeris qui per nares attrahitur Aromatum odoratu, cuiuſmodi ſunt quæ pilæ Ambaris, ladani, ſiue ad peſtem depellendam à Pharmacopolis nuncupantur. ad quod valet etiam pila fraxinea in qua ſpongia aceto roſeo, aquaroſea, ac florum aurantij inſperſa incluſa ſeruetur. Supereſt vt doceamus qua via corpus reddi tale poſsit vt renitatur vitio aeris, quando interdum ita pernicioſus eſt, vt nullo pacto corrigi queat, neque facile eſt hominibus cęlum mutare vt auibus, multa. n. ſunt impedimenta, vxor, liberi, ſupellex, negocia, paupertas illis præſertim, qui ciuilem & non Diogenis aut Anacharſis Scytæ vitam degere conſueuerunt. Duo autem ſunt, quę corpus noſtrum exponunt eiuſmodi iniurię aeris, materia hoc eſt humor vel copioſior vel vitioſus[c] & perſpiratus prohibitus; quę duo ſi auferantur corpus noſtrum facile renitetur. Vbi redundent humores in corpore noſtro exhauriendi ſunt venæ ſectione vbi vires & ætas conſentiant. Si vitium ſit in qualitate humorum, expedit eos partim idoneis[d] catharcticis educere, partim corrigere ac temperare contrarijs præſidijs, calidos refrigerantibus, frigidos calefacientibus. humidos ſiccantibus, ſiccos madefacientibus, craſſos extenuantibus, & ita ſuperantem qualitatem ad mediocritatem redigere. Expedit etiam tales reddere humores vt obſiſtant repugnantiæ totius ſubſtãtię, quam vel aer vel contagio inferre poteſt, hoc præſtabunt quæ propriam quandam vim habent aduerſus venena & repugnantiam totius ſubſtantię ſiue ſimplicia ſint, vt[e] terra armena, terra lemnia, lapis Bezaar, cornu vnicornu, rinocerotis, herba[f] myrrhis, ſcordeon, galega, ſucciſa, tormentilla, vincetoxicum, carlina, dictamnus, ſcorzonera & alia id genus quam plurima, ſiue mixta veluti theraice, mitridatum, electuarium ex peonita, electuarium ex ſcordeo, ſiue quod Hippocrate

a Gale. 1. de theriaca ad Piſonẽ. cap. 16.

b Lucretius l. 4.

c Gal. 1 p. de diff. febr. cap. 4.

d Gale. ibidem.

e Gal. 9. ſimplic. ca de terra ſamia

f Dioſcorides l. 4. ca 111.

crati tribuitur ex quo magnam gloriam fuit adeptus in Attica pe ſtilentia quod recipit. Calami odorati, iunci odorati, Sabinæ ſin gulorum triens, ſeminis viticis, cardamomi, cypperi, crocomagma tis, ſingulorum quicunx, ſpicæ nardi ſelibram, coſti triens, folij, bes, cœſiç ſelibram, amomi quadrans, maſtices triens ſeorſum teritur, ſtiracis dextans paulatim bellarijs in mortario adijcitur, nardi celticæ ſelibram, aſpalati ſeptunx, ammoniaci vnciam, pillularum cupreſsi quadrans, roſarum triens, terebintinæ libras tres, mellis attici libras quinque, viṇi veteris quod ad adbellaria maceranda ſatis eſt, munde & ſedulo melle excipiendum, additoque ladeni, myrrhæ, thuris, ſingulorum libra & baccarum iuniperi quadrante ſimul omnia probe contrita permiſcenda ſunt & electuarium prẹſtantiſsimum in hominibus à peſte præſeruandis conficiendum eſt. Valent ad idem opus perficiendum etiam catapotia quæ accipiunt [a] myrrhæ partem vnam, croci tantumdem, Aloes partes duas, vtiliter .n. ſumitur drachma vna ex vino. Valet & confectio ex ammoniaco, myrrha & aloe, quæ ex vino diluta bibitur, ſicuti & quæ conſtat ex myrrhẹ, croci, terrẹ armenæ, corallorum rubrorum, charabis, cuiuſque drachma, myrabolanorum chebulorum drachmis duabus, aloes drachmis ſeptem quæ ſimul permixta cum vino excipiuntur. Idem præſtant [b] nuces iuglandes cum ruta & ficis aridis ſi quotidie ſumantur, tum puluis radicis tormentillẹ, angelicæ, carlinẹ, dictamni, zedoariæ, ſeminum citri, ſeminum cardi benedicti ſingulorum tantundem cuius drachma cum vino albo & odorato in conſtitutione frigidiori, & temperationibus frigidioribus, cum aqua verò cardi benedicti in calidioribus & conſtitutionibus & temperamentis, ſummo mane exibeatur. ſumetur & eodem tempore maxima cum vtilitate portio aliqua anthidoti quam Andreas Mattiolus vir doctiſsimus ex ingenti numero medicamentorum contra venena compoſuit, ſiue quod à Manardo Ferrarienſi medico clariſsimo conficiebatur ex ſanguinis Anẹtis maſculi ac feminẹ, Anſeris atque hedi exſiccati, Armellis ſeminis cumini fœniculi Anheti, Napi ſilueſtris ſingulorum drachmis tribus, radicis gentianẹ trifolij ſchinanthi, thuris, roſarum ſiccarum, ſingulorum drachmis quatuor, piperis albi, piperis longi, coſti, valerianæ, aniſi, cinamomi ſingulorum drachmis duabus, myrræ, ſpicæ nardi ſingulorum drachmis ſex, belzoini, aſſari ammoniaci ſingulorum drachmis tribus, maioranæ, agarici ſingulorum drachmis duabus granis carpobalſami numero viginti, radicis ireos, croci rapontici, zinziberis maſtiches ſingulorum drachma, ſtechadis drachmis quinque, quẹ omnia in tenuiſsimum puluerem redigantur & debita optimi mellis

a Auic. l. 4. p.f.r. tr. 4. cap. 5.

b Gal. l. 2. de alimentorum facul. cap. 28.

mellis quantitate excepta in electuarij formam conuertantur, cuius duæ drachmæ ſępe ſummo mane ex optimo vino exhiberi poſſunt. Commendatur à nonnullis iunioribus ad eandem prę ſeruationem ab eiuſmodi peſtilenti contagio ſi aſsidue ſupra ſiniſtram mammam Arſenici criſtallini portio ad pondus trium ſeu quatuor vnciarum incluſa ſericeo ſacculo aſsidue geſtetur, quod à tota ſua natura & ſubſtantia referunt, atque occulta quadam vi homines ab hoc vitio intactos ſeruare: quod, cum aſsiduo experimento confirmatum eſſe aſſerant, facile admittimus interim ſuadentes vt dum id geſtatur appenſum medicamentum declinentur omnes occaſiones quę ſudorem excitare conſueuerunt, ne rarefactis & dilatatis poris cutis venenoſi vapores cum vitæ diſcrimine cor infeſtent. Sed finge hominem iam præhenſum febre peſtilenti ita vt curandus ſit, quę opera effici debeant, & quibus inſtrumentis iam videndum eſt. Cum peſtilens febris, quæ curanda eſt, neque hęctica ſit, quia [a] curationem non admittit, neque diaria, quia ſtatim degenerat in alterum genus, ſed ex numero earum quæ conſiſtunt in putredine humorum, eadem poſtulat prę ſidia quæ ab illis poſtulari iam monſtrauimus, ſed quia iungitur cum prauitate quadam putredinis, & repugnantia totius ſubſtantiæ, deſiderat etiam quæ huic aduerſantur. Opus igitur eſt in hac febre peſtilenti tueri vires, vti refrigerantibus ac madefacientibus ad tollendam febrem, detrahere materiam putrem totam, quoniam concoqui non poteſt, relaxare quæ adſtricta ſunt, occurrere obſtructioni [b] remouendo multitudinem & extenuando atque incidendo craſsitudinem ac veluti glutem humorum, lenire ſymptomata. quibus omnibus accedere debet id quod eſt proprium febris peſtilentis, vt ſcilicet ſuperetur prauitas illa, & repugnantia totius ſubſtantię. Sunt omnia hæc opera adeo neceſſaria in curatione febris peſtilētis, vt nullum debeat prætermitti, ſed omnia perficienda ſint, ita tamen vt quæ ex ipſis repudiantur à viribus, à morbo, à cauſis, vel à ſymptomatibus minora efficiantur. Sed intueamur iam inſtrumenta quibus vnumquodque perficiatur exorſi à conſeruatione virium, cōſeruantur autem vt ſæpe [c] dictum eſt, cibo & potu, qui maxime neceſſarius eſt in hac febre, quòd prauitate putredinis labefactentur; quamobrem alimento ſuſtinendę ſunt, cumq; ferè omnes, qui peſte laborant abhorreant à [d] cibo, legimus in veterum medicorum [e] monumentis eos ſolum euadere, qui animoſe ac fortiter contra eiuſmodi faſtidium pugnant, & ſe ipſos cogunt ac cibos ſumunt, qui tamen neceſſe eſt parcius ſumantur & ne impediant naturæ munus [f] in expellendis humoribus corruptis, & ne nimis implendo obſtructionem augeant.

a Gal. l. 3. de præſag. ex pulſ. ca. 3.

b Gal. l. p. de diff. febr. cap. 4.

c Supra l. 4. cap. 2.

d Hipp. 3. 3. epid. 58.

e Galen. ibidem in comento.

f Hip de natura humana Tex. 4.

augeant. Aduerſus febrem vtemur ad refrigerandum & madefa
a Supra l. 4. cap. 2. ciendum partim victu frigido & humido, quem ſupra [a] deſcripſi-
b Supra l. 4. cap. 3. mus in curatione febrium putrium, partim medicamentis [b] refri
gerantibus ac madefacientibus quę ſupra ſæpius enarrata ſunt,
c Galen. p. 6. epid. com. 29. magis autem vtemur his quę intus dantur, quam illis quæ extrin
ſecus imponuntur, & quia calor magis [c] moleſtus eſt partibus in-
d Ætius l. 5. cap. 95. & Raſis l. de peſtilentia. cap. 6. ternis, & ne repellamus quod à natura transferri ſolet ad partes
externas. ſunt qui feruorem illũ febris [d] extinguant potione aquę
frigidæ, quæ vbi timeatur ob aliquam ex cauſis, à quibus prohibe
ri in vniuerſum frigidæ aquæ potionem monſtrauimus, large bi-
e Supra l. 5. cap. 4. benda erit [e] tepida, ſiue in qua hordeum bullierit præſertim ſi ei
adijciatur aliqua portio ſyruppi ex onphacio, ſiue ex oxalide, vel
mali medici, aut etiam limonis ſucco acidiori. Quod ſi vtendum
ſit externis, maxime ad thoracem admouenda ſunt cum focus pu
f Ætius l. 5. cap. 95. tredinis ſit in corde, quamobrem ſuperimponebat [f] Ruffus in fe-
bre peſtilenti refrigerantia thoraci, cui vtiliter admoueri poteſt
vnguentum roſaceum, ſandalinum, ceratum album, veluti &
epithema ex ſpeciebus & aquis cordialibus refrigerandi vi prædi
tis: quæ præſidia paſsim apud pharmacopolas parata ſeruantur.
Detrahitur materia illa quę vel putris eſt vel obſtructionem facit,
miſsione ſanguinis, purgatione, euocatione vrinę & ſudoris.
Vbi redundet ſanguis, [g] mittendus eſt preſertim in morbi initio,
g Auic. l. 4. f. p tr. 4. cap. 5. ex patenti aliqua vena cubiti dextri, vel ſiniſtri. Vbi vitium ſit in
alijs humoribus, conuenit purgatio. [h] vbi ſimul concurrat & mul
h Auic. ibidem. titudo ſanguinis & prauitas ſuccorum, & mittere ſanguinem, &
purgare oportet, neque verendum eſt, vt ex recentioribus non-
nulli faciunt, ne impediatur motus naturæ, quę ſolet in febre pe
ſtilenti tranſmittere corruptos humores ab internis partibus ad
externas; Sed diudicare oportet eiuſmodi tranſmiſsio ſit ne opus
naturæ an ſymptoma. id quod facile diſcernitur ſi vtamur regula
i Hippoc. p. aphoriſm. 2. & 25. Hippocratis [i] de his quæ educuntur: nam ſi qualia educere opor-
tet educantur, confert & bene ferunt, ſi vero non contra. Eadem
ratio eſt eorum quę ad cutem transferuntur, nam ſi eiuſmodi tran
ſlatio confert & bene fertur, iam eſt naturæ opus, ſi neque con-
fert neque bene fertur, ſymptoma eſt. Vbi ſymptoma ſit, non
eſt quod timeamus ne naturam auertamus à ſuo munere, qua-
mobrem ſi redundet aut ſanguinis, aut aliorum ſuccorum mul-
titudo non eſt cunctandum ipſam exinanire. ſed vbi ſit opus na-
turę, videndum eſt, perfectum ne ſit an imperfectum, hoc eſt
tranſmiſſa ne ſit tota materia vitioſa ad partes externas, an reſtet
k Hippoc. p. aphor. 20. aliquid in internis. vbi ex toto tranſmiſſa ſit nihil mouendum eſt,
quemadmodum prȩcipit Hippocrates [k] in his quæ iudicata ſunt in

tegre,

tegre, si quid in interioribus partibus relictum fuit, exhauriendum est misso sanguine, vel dato catharctico pro vt res postulat, neq; verendum est ne natura auertatur ab expulsione ad partes externas cum non amplius expellit, aut ne intro alliciatur materia illa, quæ iam transmissa est ad cutem. discernes autem aliquid ne corruptæ materię in internis partibus relictũ sit ex his quæ excernuntur vt ex vrina, ex deiectione. Iubet Hippocrates[a] vbi tubercula in corpore nascuntur, vt inspiciamus ea quæ detruduntur, nam si bilioſa fuerint (inquit) corpus vnà ęgrotat, si verò simile sanis tutum est corpus nutrire. Ergo vbi vel eiusmodi transmissio imperfecta fuerit, vel symptoma, & non naturæ opus esse videatur, audacter aut mittendus est sanguis si his redundet, aut catharcticis vtendum si vitium sit in alijs succis. Respicere tamen ad vires oportet, quæ, vbi valde imbecillæ sint, neutrum auxilium ferunt, tutius autem vbi minus valeant pro venæ sectione aut defiguntur cucurbitulæ, & scalpello exasperatur cutis, aut admouentur sanguisugæ ad venas ani. cum secatur vena, interna eligitur cubiti vel dextri vel etiam siniſtri quòd pars effecta præcipue sit cor. Vbi nimiũ inflammentur partes aliquę externæ non alienum est venam seccare quæ è regione illarũ sit. Si purgatio conueniat, eligenda sunt ea catharctica quæ possint maxime superantem ac vitiosum humorem educere, maxime idonea est hiera ad flauam bilem ex scammonio, ad atram ex veratro nigro, ad pituitam ex colocinthide veluti & alia quam plurima quæ omnibus apertissima sunt & ea ratione non referuntur. Medicamenta quæ vrinam mouent non valde acria sint[b] propter magnitudinem febris, sicuti neque illa quę extenuant atque incidunt humores crassos ac glutinosos qui obstructionem afferunt. Sudor euocabitur relaxantibus quę simul etiam sanant quod adstrictum est, sed hæc communia sunt aliarum febrium consistentium in putredine succorũ: proprie autem in hac pugnandum esse diximus aduersus prauitatem putredinis & repugnantiam totius substantiæ, valent ea quę media[c] quodammodo sunt inter vim veneni & naturam nostram, *αλεξιφάρμακα* gręce nominantur, siue ex rinsecus dentur quemadmodum oleum ex scorpionibus: tum quod varijs modis paratur, tum illud potissimum Gregorij Carauitę, cuius descriptio legitur apud Andream Mattiolum[d] in comentario super sextum librum Dioscoridis, siue quod Serenissimo Cosmo Magno Ætruriæ Duci tribuitur, quibus sæpius inunguntur tempora, brachia ad radices manum & thorax è regione cordis, quibus item partibus vtiliter adhiberetur eodem modo balsami liquor, & ille pręcipue qui ex orientali plaga affertur. Siue intus dentur quemadmodum

a Hippoc. 2. aphor. 15.

b Gale. l. 11. meth. ca. x.

c Gal. 5. simplic. c. 18.

d Mattiolus. l. 6. cap. p.

dum terra armena[a] aut lemnia, qua veteres medebantur febribus peſtilentibus, tum lapis bezaar, cornu vnicornu, rinocerotis, cerui præſertim vſtum, puluis radicum angelicę, gentianæ, tormentillæ, momordicæ, carlinæ, ſuccus ſiue etiam aqua per deſtillationem extracta ex ruta ſilueſtri. eleixir quod proprie aduerſus febres peſtilentes, ſeu etiam quod communiter aduerſus quecumque morbum totam noſtram ſubſtantiam oppugnantem componitur, & apud pharmacopolas aſsidue paratum ſeruatur. Aqua quę proprie aduerſus peſtem inſcribitur, quę paratur ex ſonchi, vincetoxici, rutæ ſilueſtris, ebuli, cardui benedicti, carlinæ, betæ, luiulæ, dictamni cretici, ſcordei, verbenę ſingulorum tantundem: quæ omnia ſimul ex arte deſtillentur, & aqua extrahatur, cuius potus preſtantiſsimus eſt ad duas vncias; præſertim ſi quis ante aſſumpſerit aliquam portionem electuarij peoniæ, theriacæ, mitridati, ſiue electuarij de gemmis, ſiue ex ſcordeo quod diaſcordeon nuncupatur, ſiue etiam magni illius ac præcioſi electuarij, quod aduerſus omnia venena doctiſsimus[b] Mattiolus compoſuit: veluti & elixir quod per ipſius anthidoti deſtillationem ad eadem opera perficienda præſtantiſsimum extrahi monſtrauit. Inter quæ præſidia reponi etiam poteſt tanquam experimẽto confirmatum electuarium, quod paratur ex terra armena, dictamni cretici, myrrhæ, pimpinellæ, verbenę, zedoariæ, carlinæ, biſtortę, tormentillæ, momordicę, angelicæ, gentianę, cardui benedicti ſingulorum draghma, terræ lęmniæ vncijs duabus, ſeminum citri, ſeminum cardui benedicti, napi ſilueſtris ſingulorum vncia, quę omnia in tenuiſsimum puluerem conterantur atque interim per horas vigintiquatuor probatiſsimæ theriacæ vncia in quatuor electiſsimæ aquæ ardentis vncijs infundatur, ac ſimul vehementer agitentur & poſtmodum percolentur: cuius liquoris percolati duabus vncijs ſiue etiam pluribus paulatim inſpergatur puluis iam relatus, & addita ea quæ ſatis eſt potione ſyrupi ex acido ſucco citri confecti, in mortario electuarium conficiatur, cuius caſtaneæ põdus ſummo mane & in veſperis accipiatur, ſuperbibita aliqua ex aquis quas paulo ante retulimus. Quibus preſidijs addi poſſunt alia cuncta quibus ſuperius defendi hominem à prauitate contagionis, atque aeris putris monſtrauimus, ijſdem enim reſtituitur ac defenditur bona valetudo, & quę ſequentia ſanant, teſte Hippocrate,[c] antecedentia prohibent. Symptomata interdum adeo moleſta & grauia ſunt vt non permittant expectari[d] dum morbus tollatur aut cauſa ſed interim leniri debeant, veluti animæ defectio per odores, vini,[e] deſtillati pulli, aquæ carnis, ſiue etiam elixiris potionem & alia cuncta quæ vires reficiunt.

a Gal. l. 9. ſimplic. cap. de terra ſa mia.

b Mattiolus. l. 6. c. p.

c Hipp. 3. 6. epid. 40.

d Gale. l. 12. meth. ca. p.

e Gale. p. ad Glauc. c. 14

Vigilia

Vigilia per ea quæ ſomnum faciunt, ſitis per refrigerantia ac madefacientia, cibi faſtidium per ea quę os ventriculi confirmant vt per mala punica aut medica, ſiue etiam per vinum ex punicis ac cidis extractum. Puſtulę & tumores glandularum ſequuntur hanc febrem veluti ſymptomata, debent autem curari quemadmodũ ſi abſque febre peſtilente orirentur: tantum vitanda ſunt repellentia: ne quod prauum eſt ad nobiliores partes reprimatur, quin potius ad externas omni conatu vitioſa materia attrahenda eſt etiã affixis vbi opus fuerit cucurbitulis, & ſiue ſcalpello cutis pręcidenda eſt, ſiue cauſtico aliquo medicamenta abrumpenda, vt quantò citius fieri poteſt virulentæ materiæ exitus patefiat, quod ſi tumores & proprie inflammationes adeo increſcant vt in gangrenam vertantur pars [a] corrupta ne proximam corrumpat præcidenda eſt & locus adurendus, quod & in Attica peſtilentia obſeruatum fuiſſe teſtatur Lucretius [b] cum inquit,

„ *Et grauiter partim metuentes limina læti*
„ *Viuebant ferro priuati parte virili*
„ *Et manibus ſine nonnulli, pedibuſque manebant*

Sed ſatis de curatione febris proprie peſtilentis, pergamus ad eas quæ non ſunt proprie tales.

a Hipp. 4. de articulis à Tex. 34. ad 37.

b Lucretius. l. 6.

De febribus non vere peſtilentibus. Cap. VI.

EXPOSITIS febribus proprie peſtilentibus, illæ nũc ſequuntur quæ nõ ſunt proprie tales, vt pote quibus deſit aliquid ex ijs quę concurrere ad efficiendam peſtilentem febrem monſtrauimus, cum aut non ita ſint communes aut non ita lædant contage proximos, aut non ita ſint prauæ, huiuſmodi ſunt febres illæ quas Græci nominant [c] λυπιξιας, hæ enim quamuis prauæ ſint, minus tamen pernicioſæ apparent; non ſunt communes, neque contagione lædunt ſicuti veræ peſtilentes; tum illæ in quibus maculæ quædam apparent rubræ ad immaginem lentis, quæ non æquę prauæ ſunt, non æque communes, non æque contagione contaminant ſanos, veluti vere peſtilentes. poſtremo illæ quibus accedunt morbilli, & variolę, quæ non æque prauę ſunt, non æquę communes, ſed magis contagione quoſdam offendunt. Has igitur omnes nunc perſequi oportet, ſumpto initio ab illis quę prauæ ſunt, non tamen communes, aut tales vt contagione proximos offendant. Sunt igitur vt ex alijs morbis, ita etiam ex febribus quædã prauæ, quędam mites, quę prauę ſunt, magna ex parte, non tamen neceſſario, pernicioſę ſunt: conſiſtit prauitas febris non in magnitudine caloris, ſed magis in grauitate ſymptomatum, quæ

c Gal. 4. aph. com. 48. & l. de inæquali intẽperie ca. 7.

longe maiora ſunt, quam proportione caloris expectanda eſſe videantur. Quod ſi tantum prauę ſint non communes, non contaminantes contactu, λυπηρίαι vt diximus græce nominãtur. Continentur autem calore acri & fumoſo cõmuniter vt cęterę febres humorum putredinem ſequentes: ſed proprie acrimonia intus ſentitur, [a] nam foris calor apparet mitis præſertim primo contactu. internæ igitur partes vruntur, externæ aut tepidæ ſunt, aut etiam frigidę, quemadmodum manus & pedes. Circuitus varij eſſe poſſunt pro vt varius eſt humor putreſcens, à quo eiuſmodi febris oritur; ſed quicumque ille ſit, hæc omnino [b] aſsidua eſt, neque .n. poteſt intermittere febris illa, cum qua totum tempus copulatur extremarum partium frigus. Cauſa proxima prauæ febris eſt prauus humor qui putreſcit; eſt autem prauus, vel ob manifeſtam qualitatem, vel ob latentem, & repugnantiam totius ſubſtantiæ. Ob manifeſtam qualitatem praua eſt atra bilis cum vritur, quamobrem vt tumores, [c] vlcera atque alios morbos, ita etiam febres prauas efficit. Ob latentem quiuis humor ita corrumpi poteſt, vt tota ſubſtantia pugnet cum natura noſtra, contrahunt .n. aliquando in nobis humores vim veneni, [d] atque horum putredo maxima ex parte efficit febres prauas. Verum focus putredinis neceſſario eſt in [e] viſceribus vel vaſis magnis, a quibus valde cor afficitur; non tamen neceſſariò in corde vt in febre vere peſtilenti. Alię cauſæ ſunt illæ a quibus hęc proxima oritur, veluti victus prauus, & immoderata viſcerum temperatio, neque enim poteſt eiuſmodi febris, cum non ſit communis, referri ad putredinem aeris qui cõmunis eſt. Accedit obſtructio vel adſtrictio prohibens perſpiratum, & putredinem efficiens. Symptomata, quæ huic febri ſuperuniunt, multa & grauia ſunt, vt ex actionibus læſis delirium, diuturna vigilia, aut ſomnus grauis, animæ defectio, ſitis, cibi faſtidium. Ex effectibus & qualitatibus corporis aſsiduum frigus [f] partium extremarum, nihil tamen in cute mutatum apparet. Ex his quæ præter naturam detruduntur, alui profluuium, ſanguis ex naribus paulum & ſępius exiens [g]. Hæc, quæ præter naturam attenduntur in febribus prauis, recognoſcere oportet in homine ęgrotante. Recognoſcitur febris partim ſenſu, partim mente, tangitur enim calor acris, fumoſus, feruens in partibus internis, [g] in externis verò lenis, præſertim primo contactu, nam quò diutius tractatur, eò acrior apparet, idem aſsidue ſentitur. At poteſt etiam conijci ex cauſa proxima, vt ex humore qualitate ſiue manifeſta ſiue latente prauo; non tamen ex communiter vagantibus, fingimus .n. propriam febrem & non communem; ſed ex ijs quæ proſunt aut obſunt, proſunt enim proprie ea quæ

a Galen. 4. aphoriſm. com. 48.

b Hippoc. & Galen. 4. aphoriſm. Tex. com. 48.

c Hippoc. & Galen. 4. aph. Tex. com. 24.

d Gale. 3. de loc. affect. cap. 7.

e Galen. 7. aphoriſm. com. p.

f Hippoc. & Galen. 4. aphoriſm. Tex. com. 48. & l. 7. aphor. p.

g Hippoc. & Gal. locis dictis

tota

tota ſubſtantia prauitati medentur, valde obſunt ea quæ putredinem augendo prauitatem ſimul augent. Poſtremò ex effectis vt ex actionibus læſis quas paulo ante commemorauimus, ſed potiſsimum ex aſsiduo frigore partium extremarum, ex alui profluuio, ex vrina, quæ aut turbida eſt, aut tenuis alba & aquoſa, aut etiam nigra. Cauſa proxima, vt putredo atrę bilis vſtæ, vel cuiuſcunque humoris corrupti & tota ſubſtantia pugnantis cum natura noſtra, deprehenditur ex cauſa, à qua gignitur hic humor, vt ex victu prauo; & ob quam putreſcit, vt ex adſtrictione, vel obſtructione, deprehenditur etiam ex his quæ proſunt eiuſmodi humorem educendo, aut obſunt eumdem augendo. poſtremo ex effectis potiſsimum ex colore & eorum quę detruduntur, & ipſius cutis. Symptomata ſiue ſint actiones læſæ, ſiue affectus & qualitates corporis præter naturam, ſiue referantur ad ea quæ expelluntur ac retinentur à naturali ſtatu mutata, omnia ſub ſenſum cadunt. Ex futuris euentus [a] periculoſus eſt, minus tamen in hac febre quam in vere peſtilenti, cum putredinis focus non neceſſario ſit in corde, prędicemus interitum vbi ſymptomata adeo [b] grauia erunt, vt naturam pœnitus occupent, vel labefactent. ſi vires validiores [c] ſint & reniti videantur licebit ſalutem polliceri. Tempus breue eſt, neque enim poteſt homo tam graui febre diutius occupari, plerumque tamen minus breue quam in febre vere peſtilenti. Via eadem eſt & curationis & interitus in hac atque in illa, minus tamen in hac transfertur materia ad cutem. Conſilium curantis ſimiliter dirigi debet ad vires, ad febrem, ad putredinem, ad prauitatem, ad adſtrictionem, ad obſtructionem, ad ſymptomata; opus enim eſt vires ſimiliter conſeruare, febrem refrigerare ac madefacere. putredinem educere. obſtructionis cauſas tollere, adſtrictionem relaxare, prauitati occurrere his quæ tota ſubſtantia illam corrigant, ſymptomata lenire. ex quibus operibus magis ſpectandum eſt ad illud quod magis requiritur. Inſtrumenta, quibus ſingula perficiuntur, ea ipſa ſunt quę narrauimus in febre vere peſtilenti, illud tantum ſcire conuenit quòd tutius licet in hac febre quam in illa, & catharcticum dare, & ſanguinem mittere cum humores non transferantur ad cutem, neque puſtulas efficere ſoleant; cætera eadem aptantur.

a Hippoc. & Galen. 4. aphor. 48. & l. 7. aph. p.

b Gale. 1. de conſtitut. artis c. 18.

c Galen. ibidem & l. 4 de præſag. pulſ. ca. 11

De febribus quibus ſuperueniunt maculæ quædam cutis veluti lentes. Cap. VII.

EX minus proprie peſtilentibus, ſunt etiã illæ febres in quibus cutis totius corporis, ſed potiſsimũ dorſi & thoracis diſtingui-

tur compluribus maculis rubris quæ lentis figuram repræsentant similes autem sunt illis, quæ ex morsu pulicum oriuntur, appellantur ἐξανθήματα, ab Hippocrate[a] primo libro de morbis vulgaribus, quæ parua esse ait non digna expulsione morborum, & celeriter rursus euanescere; superueniunt fere inter quartum & septimum diem, neque enim à principio se ostendunt; quamuis autem febres quibus illę accidunt, prauæ sint & communes, contaminentque contagione eos qui proximi sunt, quemadmodum febres proprie pestilentes, minus tamen perniciosæ sunt cum pauciores interimant; minus communes, cum nō tam multos præhendant, minus cōtagione proximos cōtaminant cum solo contactu duntaxat eos afficiant, atq; idcirco minus proprie pestilentes à nobis dicuntur. Calor quo continentur similiter in internis partibus feruet, in externis mitior sentitur, præsertim cum statim tangitur, nam diutius tangenti acrior apparet. Circuitus varij esse possunt pro varietate humorum à quibus nascuntur, vt plurimum autem typum seruant duplicis tertianæ nothæ, sed quicumque sint, hæ febres numquam intermittunt. Proxima causa earum est putredo cuiusuis humoris, sed potissimum flauæ bilis, & pituitæ, cui putredini prauitas quædam accedit tota substantia naturæ nostræ inimica, atque hæc causa est cur hæ febres in prauis ac perniciosis numerentur, sunt autem cōmunes quod causa quæ eiusmodi putredinem efficit communis sit, vitium videlicet aeris valde calidi, aut etiam putris, & contagio eorum qui huiusmodi febre laborant, quæ tantum in corporibus[b] obstructis vel adstrictis, & quæ prauis succis redundant, vim suam ostendunt. in cute autem superueniunt maculæ illæ rubræ ob cruditatem succorum, quos, si quando natura tentat expellere, nihil proficit, sed superatur ita vt sępe[c] euanescant, aut quia paruę sunt illis accedant[d] abscessus. Symptomata quę has febres sequuntur minus grauia sunt, quam quę vere pestilentes; accidit autem lassitudo totius corporis, inquietudo, grauitas capitis, delirium, hebescunt sensus, deest appetentia cibi & interdum etiam potionis, lingua sordida redditur, oculi rubri, præter maculas illas totius corporis quæ postea superueniunt, vrina primo alba est & aquosa, mox rubra aut etiam turbida, deiectio corrupta ac fœtida. In homine febricitante, febris recognoscitur sensu, tactu .n. percipitur calor fumosus feruens in partibus internis, minus acris in externis, assiduus, aut inuestigari etiam potest coniectura ducta à causa proxima, vt à prauitate putredinis, à communiter vagantibus quę tale sunt, ab his quæ iuuant tota substantia prauitati occurrentia, vel valde nocent putredinem augendo, ab effectis vt à symptomatibus

a Hipp. 1. p. epid. 38.

b Gal. l. p. de Temper. cap. 4.

c Hipp. 1. p. epid. 38.

d Hipp. ibidem.

ptomatibus quæ proxime commemorauimus ſub quouis trium generum, quibus adde pulſum rarum atque humilem: ſed cum iam apparent eiuſmodi maculæ notæ ſunt hę febres etiam vulgo; priuſquam appareant arte conijciuntur à medico hæ febres ex ſignis enarratis, ex quibus licet etiam prædicere expectandas eſſe eas maculas paulo celerius vel tardius, pro vt & ipſa febris celeriter aut tarde mouetur. Proxima cauſa prauitas, videlicet putredinis, cum ſenſum lateat, colligenda eſt ex cauſis à quibus oritur, vt ex vitio aeris & corporis illius quod ægrotat; tum ex his quæ vel iuuant eam educendo ac corrigendo, vel nocent augendo: poſtremò ex effectis & proprie ex febre quam deſcripſimus, demonſtrat enim tanquam effectum propriam cauſam eiuſmodi putredinem. Symptomata, quæ retulimus, ad quodcumque genus referantur, omnia ſenſui manifeſta ſunt. Ex futuris euentus periculoſus eſt minus tamen in hac febre, quam in vere peſtilenti, tunc autem maxime timendus interitus eſt, [a] cum nihil leuatur æger vbi maculæ illæ ſuperueniunt, præſertim ſi liuidę aut nigræ fiant, aut etiam euaneſcant. At, ſi ex ea traſmiſsione materiæ homo leuior fiat, ſperanda ſalus eſt, diligenter autem æſtimare [b] robur morbi, & naturę oportet & inde futurum euentum conijcere. Tempus quo expectari debet breue eſt, non ita tamen vt in vere peſtilenti, cum aliquando vltra decimumquartum diem trahatur. Via [c] ſalutis eſt quod natura vel expellat & potiſſimum per vrinam, vel ad cutem transferat humores putres in ſatis inſigni quantitate. via interitus eſt quod praua illa putredo cor iam occupet, ſiue etiam delata vitioſa materia ad caput phrenesim, aut etiam lęthargum afferat, & ita grauiter laborantibus prę cipuis viſceribus vires deficiant. Ratio curandi eadem fere eſt atque illa, quam poſuimus in febre vere peſtilenti: cum ſimiliter tueri vires oporteat cibo & potione, occurrere febri refrigerantibus & madefacientibus, putredinem educere, obſtruentem materiā exinanire, incidere atque extenuare, quod adſtrictum eſt relaxare, prauitatem curare his quæ tota ſubſtantia illi medentur, vt oleis, atque anthidotis tam ſimplicibus quam compoſitis ſuperius relatis in curanda febre verè peſtilenti, ac pręcipue aqua illa, quę apud pharmacopolas ex moderniorum inſtitutione parata ſeruatur, quam ad depellendas petechias vulgo appellant (ita enim eiuſmodi maculas italis placuit nuncupare) cuius exigua admodū portio exhibetur per horam ante acceſsionē admixta tamen longe maiori quantitate aquæ oxalidis, ſeu ſonci: vt immoderatus illius aquæ calor aliquantiſper remittatur, quod tamen medicamentum non niſi facta ſanguinis miſsione cęteriſque vniuerſa-

[a] Gal. l. 2. p. epid. com. 38. & Hip. Tex. 40.

[b] Galen. de conſtitut. artis ca. 18

[c] Hipp. 2. p. epid. 41. & 42.

lioribus adhibitis præſidijs, exhibendum eſt, ne ex illius calore, febrilis calor vehementer exacerbaretur. Symptomata poſtremo eadem ratione, ac in verè peſtilentibus oſtendimus, lenire oportet, proprie tamen hic animaduertentes, cum apparent maculæ illæ rubrę, an redũdet adhuc materia in partibus internis, id quod intelliges ex vrina & deiectione adhuc præter naturam perſeuerante: tunc .n. aut ſecare venam, aut applicare hyrudines venis ani, aut dare catharcticum neceſſe eſt nulla habita ratione paruæ illius tranſmiſsionis ad cutem . alioquin ab huiuſmodi præſidijs abſtinendum eſt & ad id potiſsimum ſpectandum vt per frictiones atque etiam cucurbitulas quamplures cum inciſione cutis admotas eiuſmodi naturæ impetus & ad cutem tranſmiſsio validior fiat. Proprie autem poſtmodum in remouendis illis maculis obſeruandum eſt, (niſi receſſerint) vt ante vniuerſum corpus exinaniatur, deinde excutiantur illæ. Quò ſpectant fomenta & olea calida digerentia, quæ ſi prius dentur quam totum corpus fuerit exinanitum periculum eſt, ne dum humores ad cutem trahuntur, obſtructio augeatur.

De febribus quibus Morbilli & Variolę ſuperueniunt. Cap. VIII.

SVPERSVNT ex febribus minus proprie peſtilentibus illæ quibus variolæ & morbilli ſuperueniunt, ambo autem ſunt puſtulæ, variolę quidem rubræ, quæ cum incipiunt parum extra cutem excedunt, ſed proceſſu temporis magis augentur atq; prominent, neque retinent ruborem ſed aut albę fiunt, aut etiam liuidæ vel nigræ: morbilli verò ex rubro magis flaui ſunt, ita vt referant paruula eryſipelata, quemadmodum variolæ paruulas inflammationes, vt autem minus prominent eriſypelata, quam inflammationes ita [a] minus morbilli quam variolæ, ſed deutriſque vberius agemus, cum tumores præter naturam & puſtulas perſequemur. Nunc ſatis ſit expoſuiſſe quid variolarum & morbillorum nomine ſignificetur. Febres quibus eiuſmodi puſtulæ ſuperueniunt in peſtilentibus numerantur quòd graues ſint, quòd communes, quòd contagione proximos contaminent, non tamen proprie dici poſſunt peſtilentes: cum, licet graues ſint, paucos ægrotantes abſumant, licet communes, cum multos eodem tempore afflictent, licet contagione noceant, paucos offendant, & eos duntaxat qui maxime expoſiti ſunt eiuſmodi morbo, vt paulo poſt in referendis cauſis exponemus. Merito igitur habentur in minus proprie peſtilentibus, continentur autem calore vehementi, qui quamuis acris ſit & in externis partibus, & in internis, magis tamen ſentitur in his quam in illis, eſt præterea aſsi-

[a] Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. 8.

duus

duus sine vlla intermissione. Accessiones tertianæ sunt, quamquam illæ febres, quas sequuntur variolæ, cum fiant à sanguine putri, synochæ sint: quia tamen putrescens sanguis processu temporis vertitur [a] in bilem, biliosæ fiunt & tertio quoque die reuertuntur, calorem tamen multum potius quam acrem præseferunt. Contra illæ in quibus apparent morbilli, cum proficiscantur [b] à flaua bile putri magis ardentes sunt, & acriorem calorem præseferunt, summum .n. feruorem sentiunt febricitantes. Exposita iam est proxima causa propositarum febrium, cum sit aut sanguis veluti in variolis, aut flaua bilis velut in morbillis putrescens. Causa cur putrescat videtur vt in alijs febribus à putredine ortis prohibitus perspiratus propter cauorum obstructionem, vel adstrictionem: sed quia hæc nimis communia sunt inuenienda est proxima causa, quamobrem eiusmodi febres ita vehementes sint, ita communes, ita contagione quosdam afficiant, ita denique processu temporis variolas, vel morbillos afferant. Existimant Arabes medici, qui [c] primi has febres tractarunt, cum ex sanguine menstruo procreamur partem aliquã ipsius tenuem ac biliosam esse, aliquam verò crassam & veluti fæcem, atque has retineri in nobis, dum processu temporis ferueant atque expellantur vt spuma ex vino cum ebullit, volunt autem cum feruet pars crassior, accendi febrem synochæ similem & superuenire variolas, cum tenuior, excitari veluti ardentem, & oriri morbillos: feruet autem vel tenuis sanguis solus & fiunt morbilli, vel crassior [d] duntaxat & fiunt variolæ. Causa cur ferueat, calor est partim externus aeris circumfusi, partim internus calidę expirationis retentæ, vnde simul fit feruor & putredo, ob eiusmodi feruorem fit vtraq; febris vehemens vt docuimus, ob eumdem cogitur natura non multo post principium expellere feruentem materiam ad cutem, ad quam, quod ferueat, & nullo pacto concreta sit, facile transfertur ibiq; si crassior sit excitat variolas, si tenuior morbillos: sed, cum ab eadem exhalent vapores putres glutinosi, contagione proximos contaminant, & ita etiam communes fiunt pluribus eiusmodi febres, non tamen præhendunt verè multos vt vere pestilentes, sed illos duntaxat in quibus apposita materia siue tenuis siue crassa fuerit: hi enim duntaxat obnoxij sunt propositis febribus, & in his duntaxat accenduntur siue ob æstum, siue ob calidam expirationem retentam, siue ob contagionem. Illi qui semel experti sunt has febre fere numquam amplius in eas incidunt, maxime autem his laborant infantes ac pueri; paucique admodum sunt quos hæ febres ante iuuentutem non attigerint, aut certe ante senectutem; nonnulli tamen qui eas ante euase-

a Gal. l. 2. de diff. febr. cap. 9.
b Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. 8.
c Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. 6.
d Auic. ibidē

rant iam ſenes in ipſas inciderunt. Symptomata, quæ has febres ſequuntur præter variolas & morbillos, de quibus diximus, ſunt [a] dolor dorſi, pruritus narium, pulſus temporum, ſenſus pungentium, in gutture & thorace anxietas, iactatio totius corporis, diſtentio quædam membrorum qualem in oſcitantibus cernimus, difficultas anhelitus, raucedo, moroſitas, rubor faciei & oculorum, fluxus lachrymarum præter voluntatem, deiectio liquida. Ex preſentibus, febres in ægrotante recognoſcuntur partim ſenſu, partim mente, cadit ſub ſenſum calor, qualem deſcripſimus, non ſolum acris & fumoſus, ſed etiam feruens in partibus etiam externis, ſed multo magis in internis, continuus, qui contagione proximos afficit modo expoſiti ſint eiuſmodi morbo adeo vt efficiatur communis pluribus. Mente verò colliguntur eædem febres ex cauſis, vt ex contagione eorum qui ſimili febre laborant, tum ex aere valde calido & humido in corpore, quod non amplius laborauerit eiuſmodi morbo; plurimum autem valet coniectura ſumpta à communiter vagantibus, nam ſi in alijs vagentur eiuſmodi febres indicant eum quoque quem curamus ſimili laborare præſertim ſi puer [b] ſit: plerumque enim in pueritia excitantur eiuſmodi feruores. At indicantur eædem ab his quæ iuuant vel nocent, vbi videlicet proſint refrigerantia intus ſumpta, obſint extrinſecus impoſita, contra verò quę calefaciunt noceant vbi ſumantur, iuuent vbi adhibeantur ad partes externas. Maximam tamen fidem faciunt earumdem effecta, velut ex actionibus leſis grauitas [c] capitis, ſenſus pulſantium in temporibus, timor in ſomno, prurigo narium, ſenſus pungentium in vniuerſo corpore, dolor in dorſo, thorace, ac gutture, tremor pedum, raucedo, difficultas ſpirandi, tuſsis, anxietas, magnitudo pulſus, iactatio corporis, oſcitatio, diſtentio membrorum, moroſitas. Ex his quæ detruduntur vrina turbida & rubra, ſputum craſſius, exitus lachrymarum præter voluntatem, deiectio liquida, difficultas inteſtinorum. poſtremo ex affectibus corporis ſplendor oculorum, rubor faciei ac totius corporis, puſtulæ tales quales finximus variolas & morbillos non ſolum in cute totius corporis, ſed in naribus, in ore, in faucibus, quæ vbi iam apparent, cognoſcuntur hę febres etiam vulgo: medici munus eſt magis ex febre aduentum eiuſmodi puſtularum prædicere, quam ex ipſis febrem dignoſcere. At non ſatis eſt communiter has febres nouiſſe, ſed debet vna ab altera diſcerni, illa videlicet quam ſequuntur variolæ ab ea quam morbilli. diudicabis autem inter vtramq; ſi primo ad calorem reſpicias, qui in ea quam ſequuntur variolæ, plurimus eſt & parum acris, in ea, quam morbilli, acrior & non

[a] Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. 7.

[b] Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. 6.

[c] Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. 7.

ita

ita multus, cum hæc febris sit similis ardenti, illa vero synochæ: deinde ex causa vt ex contagione illius qui hac vel illa laborat, & simul ex corpore ipso ægrotantis, quod si vnam expertus fuerit alteram expectabis: tum ex his quæ prosunt aut obsunt, nam ei, cui superueniunt morbilli, refrigerantia interna magis prosunt, & externa magis nocent, quam ei cui variolæ. denique ex effectis & potissimum ex [a] pustulis ipsis, quæ in cute variæ se ostendunt, & quales vtrasque declarauimus: comparauimus .n. variolas paruis inflammationibus, morbillos paruis erysipelis, diximus etiam cum incipiunt apparere, morbillos statim [b] ex cute exire, sed variolas paulatim. at licet prius etiam quam appareant ex alijs symptomatibus diudicare inter vtramque, nam vbi expectantur variolæ fluunt lachrymę prẹter voluntatem, dolet dorsum vehementer, quod vena caua distendatur [c] à multitudine sanguinis quod non euenit vbi superuenturi sunt morbilli. Causa proxima harum febrium, putredo videlicet cum feruore, quia sensum latet, mente colligenda est, & primo ex causa, vt si in homine non dum ebullierit eiusmodi spuma ac fęx sanguinis mẽstrui, si fuerit contagio aliorum in quibus sit eiusmodi feruor, tum ex his quæ prosunt quatenus eiusmodi materiam vel educunt vel refrigerant aut nocent eiusdem calorem augendo, & tandem ex effectis & proprie ex febribus, quas descripsimus, quæ pro vt magis vel ardentis vel synochæ similes erunt, ita magis hunc vel illum humorem monstrabunt, vt flauam bilem vel sanguinem, quem discernes etiam ex eo quod in homine alter ebullierit, illius .n. feruor expectandus est qui non dum feruuit. Symptomata [d] quæ has febres sequuntur cuiuscumque generis sint, sub sensum cadunt, ita vt non opus sit signis à quibus indicentur. Ex futuris euentus maxima ex parte salubris est, paucos enim absumunt hę febres, nonnullos tamen & ob virium imbecillitatem, & ob cutem duriorem quę non excipit materiam ab internis partibus tansmissam, maxime verò ob multitudinem & prauitatem ipsius: nam vbi vires validę sint, cutis mollis qualis est in pueris, materia non nimis multa neque praua, sanantur febres cum transfertur ad cutem. optimum est si pustulæ [e] rubræ aut albæ sint & simplices; celeriterque egrediantur, & grandiores sint, malum si virides, liuidę aut nigræ, si duplices ita vt paruæ magnis supernascantur, si vix egredi possint, si egressæ statim euanescant: sed deterrimum si cum his reddatur vrina [f] nigra, sequatur animę defectio, valde lædatur vox & anhelitus, indicant enim hęc interitum futurum. Tempus vtriusque euentus omnino breue est, nam intra decimumquartum diem necesse est salutem sequi aut interitũ,

a Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. 8.

b Auic. ibidẽ & cap. 6.

c Auic. ibidẽ cap. 8.

d Auic. locis citatis.

e Auic. ibidẽ cap. 6.

f Auic. ibidẽ.

sed

sed celerius aut tardius intra hoc tempus, pro maiori vel minori robore naturæ & morbi. Via qua sequitur salus est cum ex toto noxius ac feruens humor transfertur ad cutem. Via interitus cum idem reuertitur ad viscera & partes præcipuas, ita vt grauitate symptomatum & magnitudine febris hominem conficiat. Spectare autem in curatione oportet ad illa eadem; ad quæ spectandum esse demonstrauimus in cæteris febribus ab humorum putredine ortis, quandoquidem tueri vires oportet alimento, occurrere febri per refrigerantia & madefacientia, materiam putrem vel concoquere vel educere, extrahere humores multos, extenuare crassos, incidere glutinosos obstructionem efficientes, relaxare quę adstricta sunt. sed præter hæc necesse est dirigere consilium ad ea quæ propria sunt harum febrium, & videre quid proprium in curatione postulent. diximus in his febribus non solum putrescere, sed etiam feruere humores à quibus oriuntur: eosdem ad cutem detrudi & pustulas illas excitare, quamobrem habenda est ratio feruoris, transmissionis ad cutem, & pustularum. feruor coerceri debet vt qui nimis molestus sit, & vna cum corde vniuersum corpus offendat. transmissio materię ad cutem cum sit opus naturæ nullo modo impediri debet; sed, vbi imperfecta sit, arte augeri. Pustulę [a] sua requirunt remedia, & priusquam maturescant, & postquam maturuerint atque apertæ sunt, & vlceratæ. sed simul etiam habenda est ratio illarum partium in quibus hę residēt: huiusmodi sunt opera quæ proprie desiderantur à propositis febribus. Remittitur feruor si bulliens humor refrigeretur & crassior reddatur, quę crassiora sunt minus facile vim feruefacientem concipiunt, quam quæ tenuiora, minus igitur ebullient humores si crassiores reddantur, sed multo minus si refrigerentur, deferuet enim aqua cum in lebete bullit si frigida adijciatur Transmissio ad cutem non impeditur cum cutis neque refrigeratur neque adstringitur. euocatur verò humor ad cutem per ea quæ calefaciunt & relaxant. plurimum etiam conferunt quæ intus dantur extenuantia incidentia ac relaxantia, nam sic bulliens materia facilius expellitur ab internis partibus ad externas. Pustulæ, pro vt vario modo sunt affectæ, ita varia postulāt auxilia, si nimis distendantur & doleant scalpello exasperanda cutis est, si crudæ sint fomētis ad [b] maturitatem perduci debent, vbi maturuerint aperiendæ ac [c] detergendæ sunt, deinde vlcera siccantibus sine morsu sananda, & vbi nobiliores aliquæ partes afficiantur, vt oculi, os, fauces, intestina, adstringentibus confirmandę sunt, vt defendantur ab eiusmodi noxa. Pugnant aliqua ex propositis operibus, & inter se, & cum his quæ communiter desiderantur in

a Auic. l. 4. f. p. tr. 4. c. x.

b Auic. ibidē

c Auic. ibidē

curatione

curatione illarum febrium quę consistunt in humoribus putribus, refrigerantia enim, quę desiderantur à feruore & à febre, & eductioni & euacuationi ad partes externas aduersantur. ea quæ crassos reddunt humores, obstructionem faciunt & transmissionem ad cutem impediunt, eductio humoris putris aut obstruentis impedit naturę motum, & non sinit superantem humorem ferri ad cutem. quæ cum ita se habeant, ea opera subinde efficienda sunt quæ magis requirantur & minus noceant, eo etiam modo efficienda sunt quo minus reliqua impediant, sed cum alio tempore alio pacto affectum sit corpus, alia etiam opera magis desiderantur & minorem noxam afferunt. Principio cum materia multa est, & non dum transfertur [a] ad cutem exinaniri debet, neque enim impedietur tunc naturæ motus qui non dum incepit. Cum iam plurimum feruet materia, coercendus est feruor ijs quæ vt diximus crassum reddunt ac refrigerant humorem; quod, si fiat ante quam pustulæ appareant in cute, non erit periculum ne auertatur natura à suo opere, refrigerantia autem intus sumi debent, nam quouis tempore præstat cutem calidam [b] conseruare, nisi ob feruorem videatur sibi homo strangulari. Tunc autem euocanda materia ad cutem est cum iam transmitti cæpit à natura, quo tempore non nocent aut calefacientia externa, aut extenuantia, incidentia & relaxantia intus data cum iam remittatur feruor, licet igitur proposita opera omnia efficere sed vnumquodque suo tempore. Instrumenta restant ad vnumquodque efficiendum necessaria. Redditur crassior humor qui ebullit cibis crassioribus vt lentibus, palmulis, [c] zizifis, pręterea tragachanto, gummi. Refrigeratur fructibus acerbis aut acidis vt piris, malis cotoneis, medicis, punicis, moris, fructibus rubi, cucurbita, cucumere. Euocatur ad partes externas si relaxetur cutis & simul calefiat fomentis ex aqua, in qua bullierit chamomelum, anhetum, sertula campana, radix altheę, tegaturque corpus vestibus, stragulis. [d] intus autem dantur extenuantia & incidentia, vt aqua in qua bullierit appium, anhetum, fœniculus, camemelum, lentes præcipue in variolis, sicuti ciceres rubri in morbillis, vel aridæ fici, aut vuæ passæ. huc spectat etiã potio vini tenuis quod non conuenit nisi vbi iam ex toto deferuuit humor, nam cum feruet bibenda est aqua in qua bullierint fructus [c] acerbi aut frigida aliqua herba vt lactuca viola endiuia. Ad humores educendos à principio vtemur venæ [e] sectione, si per vires & ętatem liceat, alioquin exasperabimus cutem scalpello, & defigemus cucurbitulas præsertim si redundet sanguis. vitabimus cathartica validiora ne nimis calorem augeant, sed soluemus aluum aut cassia fistula quam vocant, aut syruppo

a Auic. ibidē

b Auic. ibidē

c Auic. ibidē

d Auic. ibidē

e Ibidem.
f Ibidem.

ex pluribus infusionibus rosarum aut saccaro viola condito vel melle quod ex rore concrescit; quò item spectabunt mitiores liquores qui per clysteres in ipsam infundātur. Symptomata si qua grauiora sunt, quę expectare non permittant dum curetur morbus, & causa, leniri debent quemadmodum in alijs febribus docuimus. proprie autem pustulæ ad maturitatem perducuntur fomentis, aperiuntur acu [a] aurea vbi per se non abrumpantur, deterguntur lana vel gossypio, abluuntur primum muria, dein aqua in qua bullierit miricha, ac mirthos, respergunturetiam polenta, farina [b] orizæ, millij, fabarum, qua vtiliter etiam culcitra superqua iacere homo debet impletur, vlcera vbi pura sunt siccantur, valet puluis ex radice [c] arundinis, aristolochiæ, costi cui additur aliquid croci, postremo datur cerussa, cadmia, ac pomphoix, dum vt cicatrix [d] inducatur. Quòd si oculi à pustulis atque vlceribus lædantur, abluentur aqua in qua bullierit hordeum, & coriandrum, deinde adhibebitur collirium, quod accipiat rosam, crocum, & roem, siue collirium album quod appellant auctore Rasi, quæ collyria lacte præsertim muliebri, aut etiam decocto fenu gręci dissoluantur: à quibus ad collirium thuris Mesues, vt vlcera & pustulæ melius concoquātur, transire oportet. In nares indemus succum vuæ acerbæ. Ad os & fauces dabimus medicamentum quod ex moris conficitur, quas etiam partes vtile est succo punicorum acidorum frequenter abluere. Si lędantur [e] intestina infundemus per clysterem in aluum succum plantaginis, portulacę, aut aquam in qua bullierit mirtus, lentiscus, poligonium, plantago rosæ, balaustria & alia id genus similia. hactenus de febribus humorum putredinem sequentibus.

a Ibidem.

b Ibidem.

c Ibidem.

d Auic. ibidē cap. 11.

e Auic. ibidē

Finis libri sexti de Febribus Vidi Vidij.

VIDI VIDII
DE FEBRIBVS
LIBER SEPTIMVS.

QVI EST DE FEBRE HECTICA ET TABE.

Propositum huius libri & quid sit hæctica febris. *Cap.* I.

QVOT sunt genera partium, quibus nostra corpora continentur, totidem, vt [a] ante ostendimus, sunt prima genera febrium, cum alius insit calor & idcirco alia febris in alia subiecta materia, vt in spiritibus, in humoribus, in partibus solidis; versantur autem in spiritibus febres diarię, sicut in humoribus illæ quæ putredinem sequuntur (vtrasque autem persequuti sumus) in partibus solidis illę quas Greci hæcticas vocant, atque hæ supersunt in hoc libro exponendæ, quibus tabem, quam Græci [b] μαρασμον, nominant subijciemus, tum quia superuenit hæcticis cum non statim sanantur, tum quia per se ipsam est ex ijs morbis quos pręstat seorsum vberius tractare, veluti febres, repugnantiam totius substantiæ, tumores pręter naturam, motionem articulorum ex suis sedibus, solutionem continui, hęc si quidem non raro accidit, & aut difficulter curatur, aut hominem interimit. Veniat igitur in medium febris illa quæ residet in partibus solidis, quem morbum Græci vocant ἑκτικὸν, απὸ [c] τῆσ ἕξεοσ, hoc est ab habitu, qui duo significat & ipsas partes solidas cordis quæ opponuntur humoribus ac spiritibus, & stabilem dispositionem, ab vtraque significatione appellatur iure hæc febris hæctica, cum & versetur in habitu totius corporis, hoc est in partibus solidis, & stabilis sit, neque facile submoueatur, partes .n. solidę vt vix concipiunt alienas qualitates, ita etiam vix amittunt; quod contra vsu venire constat in humoribus ac spiritibus in quibus

a Supra l. p. cap. 9. & Gal. l. p. de diff. febr. cap p.

b Galen. l. de marcor. cap. p.

c Galen. p. de diff. febr. cap. 7.

bus accenditur febris non ita ſtabilis & quę à Gręcis dicitur. κατασχέσιν, potius quam κατ' ἕξιν. vocant[a] .n. κατ' ἕξιν qualitatem illam quæ firmiter hæret, ſiue ſit ſecundum naturam ſiue præter naturam, eam quæ facile tollitur dicunt κατασχέσιν. potiſsimum igitur, nominata eſt hæc febris hæctica quia ſtabilis eſt non ſecus quam color in lanis ante tinctis, ſed præterea quia verſatur vt diximus in partibus[b] corporis, hoc eſt in habitu totius corporis. Continetur hæctica febris calore[c] acri, quo differt à diaria quæ lenem pręſefert, præterea ſquallido quo diſtat ab ea quæ verſatur in humoribus putribus, cuius calor fumoſus eſt, & merito, nam humores cum putreſcunt inſtar lignorum viridium plurimũ edunt fumi, contra à partibus ſolidis cum accẽduntur nihil exhalat fumi perinde atque à lignis aridis. Cęterum calor in materia denſa acris eſt, & idcirco talis in hęctica ſentitur, cum inſit in partibus ſolidis. Copia autem caloris parua eſt, & longe ſuperatur à qualitate acri, contra, quam in ſynocis[d] oſtendimus quarum calor plurimus eſt, ſed mitior quamuis in vtriſque[e] aſsiduus ſit & vno circuitu contineatur à principio ad finem, eſt igitur hęcticæ calor continens, ſine circuitibus, ſquallidus, acris ſed paruus & non qualem acutæ febres præſeferunt, eſt præterea ſine dolore, cum verſetur in partibus ſolidis, non amplius aduentitius, ſicuti cum reſidet in humoribus aut ſpiritibus cordis, ſed velut naturalis ita vt minime ſentiatur, neque moleſtiam afferat, ſed homo iudicet ſe non febricitare. Eſt item ęqualis ac ſibi ſimilis à principio[f] ad finem, numquam videtur augeri, numquam decreſcere, cui ſententiæ aduerſatur vnum quod Hippocrates[g] in prognoſticis interdiu leuiorem eſſe, noctu creſcere eiuſmodi[i] febrem teſtatur, alterum quod diſtinguitur temporibus[h] vt alię febres, habet .n. principium cum humor, quo ſolidæ partes nutriuntur non dum manifeſte abſumitur, incrementum cum iam manifeſta eſt eius conſumptio, & abſumitur ille ex quo caro & adeps componuntur. vigorem, cum hic iam tabefactus eſt, & iam tabeſiunt partes vere ſolidæ veluti fibræ: quod ſi detur diuerſa eſſe tempora hæcticæ febris, dandum quoque erit eamdem inæqualem eſſe & non perpetuo ſibi ſimilem cum incipiat augeatur vigeat. Verum non difficile eſt vtrique rationi reſpondere; Hippocrates[i] augeri dixit hanc febrem noctu, hoc eſt poſt cenam & à cibo quod cum cor humorem exalimento accipit quodammodo perfunditur, ita vt ipſius calor ferueat, non ſecus quam calor calcis non extinctæ cum perfunditur aqua ſtatim enim augetur: hanc ſimilitudinem egregie affert Galenus[k] iniuriaque reprehenditur à non nullis[l] qui obijciunt humorem alimenti non eſſe contrarium

a Gale. 3. de loc. affect. cap. 2.

b Gal. p. de diff. febr. cap. 7.

c Gale. p. de diff. febr. cap. 9.

d Galen. ibidem.

e Ibidem.

f Galen. 11. de inæquali intemper. cap. 5.

g Hippoc. 2. progn. 60.

h Gale. p. de diff. febr. cap 9.

i Hippoc. 2. progn. 60.

k Gale. p. de diffe. febr. cap. 9. & l. 2. progn. com. 60.

l Auerr. l. 4. collig. cap. 33.

cordi

cordi vt est aqua calci,sed quid tum postea? neque enim similitudo consistit in ipsa conuenientia quam habet inter se alimentum & cor,aut in repugnantia quam habet calx & aqua, sed in humore,qui cum nanciscitur solidam substantiam calidiorem,præbet calori pabulum, & ita ipsum auget, adeo vt maiorem se ostendat quam ante. Ergo crescit calor hæticæ febris post cenam, post prandium ac denique post cibum quacumque [a] hora detur, quod non vsu venit in febribus occupantibus spiritus aut humores, remittitur.n.magis earum calor post cibum & potionem quam augeatur, augetur autem in hæctica propterea quia squallidus est in partibus solidis, quæ vbi perfunduntur humore alimenti, longe maiorem calorem præseferunt quam ante, non secus quam candentes lateres vbi respergantur aliquo humore: augetur autem in febribus hæcticis calor vnam vel alteram [b] horam post cibum,nec est quod mireris si tam celeriter cor perfunditur humore alimenti cum maximam [c] vim habeat attrahendi, ita vt inopia alimenti postremo ex omnibus partibus attrahat.Coquuntur celerius tenuiores partes alimenti in ventriculo, quam crassiores, quò fit vt celerius etiam per venas quę à ventriculo ad portam iecinoris pertinent distribuantur, & inde attrahantur à corde. Videmus refici vires in animę defectione celerrime post [d] vini, aut etiam elixiris potionem,quare non mirum est si tam cito cor perfundatur humore alimenti atque incalescat, sed paulo post deferuet & perseuerat calor paruus, acris,quemadmodum ante cibum,semperque sibi similis est, nisi ab externa causa vt à cibo augeatur. Neque obstat quod de principio, incremento, & vigore hæcticæ febris dictum est,quandoquidem hæc tempora sunt [e] siccitatis consequentis ipsum calorem, magis quam ipsius caloris quo continetur, ita vt propria magis sint tabis, quam hæcticæ, cuius calor ita celeriter prehendit partes solidas & ita etiam celeriter frigidis remedijs tempestiue datis curatur, vt non appareat, neque quando incipit, neque quando remittitur, sed tota ipsa febris sit veluti vigor æqualis à principio ad finem manens. Sed cum dixerimus tempora hæcticæ febris referri ad siccitatem quæ ipsam consequitur, quæret quis num hæctica contineatur siccitate sicuti continetur calore:ita vt definiatur non solum calor sed etiam siccitas, cum incipiat hæctica febris tantum in illis corporibus quæ non solum [f] calida sunt, sed valde sicca, cumque curetur non minus madefacientibus [g] auxilijs quam refrigerantibus? Cui respondebimus hęcticam non necessario [h] contineri siccitate, sicuti continetur calore:sed,si diutius maneat, eiusmodi calorem afferre siccitatem, posse tamen inueniri febrem hæcticam ad huc cum

a Gale. p.de diff. febr. cap.9.

b Galen.ibidem.

c Galen.l.de marcore cap. 5.

d Gale.p.ad Glauc. ca. 14.& l.12. meth. c. 4.

e Galc. p. de diff. febr. cap. 9.

f Galen.p.de diff. febr. cap. 9.

g Gal. x.meth. cap.6

h Gale. p.de diff. febr. cap. 9.

cum humore aut mediocri, aut certe cum non tanta ſiccitate, vt vitæ munera impediat.

De ſpeciebus ac differentijs febris hæcticæ. Cap. II.

SED qualis ſit calor quo hæctica febris continetur ſatis iam expoſitum eſt, videamus nunc ipſa ne ſit vna ſpecies duntaxat indiuidua, an quaſi genus plures ſub ſe complectatur: ſicut illa quę humorum putredinem ſequitur. profectò ſi ſolida ſubſtantia, quę partes noſtras conſtituit, ita multiplex & ſeparata eſſet, ſicut eſt humor qui putreſcens febrem accendit: vt multas eſſe oſtendimus febris ſpecies quæ in hoc verſantur, ita nunc multas oſtenderemus eſſe quæ in ſubſtantia ſolida: diximus[a] enim à ſanguine ſynocham, à flaua bile tertianam, à pituita quotidianam, ab humore melãcholico quartanam febrem cum putreſcunt excitari: ſed ſubſtantia ſolida cum vna ſit & compoſita vnius ſpeciei duntaxat hæcticam efficit; eadem ratio eſt inflammationis[b] quæ ſi accipitur pro ardore, quam per ſe concipit ſubſtantia ſolida & non per aliquem humorem, vnius eſt ſpeciei[c] duntaxat, ſed ſi pro tumore quem excitauit calidus aliquis humor, multas ſub ſe ſpecies complectitur, & totidem quot ſunt calidi humores à quibus oriuntur. hæctica igitur febris cum reſideat in ſubſtantia ſolida, quæ vna eſt & compoſita ſimul, neceſſe eſt ſit vnius ſpeciei duntaxat; variæ enim ſpecies caloris, vt ante[d] oſtenſum eſt, fiunt à diuerſa materia ſubiecta. Quidam tamen ex[e] veteribus medicis ſtatuunt tres tantum eſſe ſpecies hæcticæ febris, mouentur autem triplici ſubſtantia ex qua partes[f] ſolidæ noſtri corporis conſtant: vna eſt humor diſtributus per parua earum foramina quaſi ros quidam inſperſus, à quo illæ aluntur, altera eſt caro & adeps, tertia ſubſtantia ſiccior ac durior qualis fibrarum eſt ac membranarum. totidem igitur volunt eſſe ſpecies febris hęcticę, primam dicunt eſſe cum calor occupat huiuſmodi humorem inhærentem partibus ſolidis, ſecundam cum carnem & adipem, tertiam cum ſubſtantiam ſicciorem ac duriorem; par enim eſſe aiunt in diuerſa ſubſtantia, & tenuiore, & craſsiore diuerſum febris genus accendi. His tamen auctoribus non ſubſcribimus, cum tres ſubſtantiæ partium ſolidarum non ſint inter ſe ſeparatæ vt humores, qui in alio homine, aut alio tempore diuerſi putreſcunt, ſed iunctæ ſimul, ita vt cõſtituant hoc pacto cõpoſitæ vnamquamque ex ſolidis partibus, quo fit cum vna quæuis ex his ſubſtantijs accenditur, neceſſe ſimul ſit accendi reliquas duas, & ita vnam duntaxat hæcticę ſpeciem excitari. neque obſtat quod primo accenda-

a Supra. l. 5. cap. p.

b Gale. p. ad Glauc. c. p.

c Galen. ibidem.

d Supra l. 5. cap. p.

e Auerr. l. 7. cap. 15.

f Gal l. p. de diff. febr. c 9. & l. 7. meth. c. 6.

tur

tur humor ille veluti ros inſperſus, vt qui facillime concipit calorem; deinde caro, & adeps; poſtremò ſubſtantia illa ſiccior & durior; nam celerrime in tota parte compoſita vna ſubſtantia accenſa reliquæ duæ calorem concipiunt, ita vt nullum ſit tempus quo medicus diſcernere poſsit diuerſas hæcticæ ſpecies, ſed ſemper vna duntaxat appareat: nec eſt quod obijcias ſiccitatem, quę primò refertur ad humorem illum veluti rorem inſperſum, hic .n. [a] primo abſumitur, deinde ad carnem & adipem, quę deinceps liquantur, poſtremò ad duram & ſiccam ſubſtantiam, quæ vltima tabeſcit, ita vt alio tempore alia appareat ſiccitatis ſpecies. Sed alia eſt ratio caloris, alia ſiccitatis, illa celerrime conſpicitur in tota parte compoſita ex triplici ſubſtantia, hæc paulatim fit, manet aliquamdiu humor ille antequam ſiccetur, caro & adeps non ſtatim liquatur, longiori tempore ſubſtantia ſicca & dura, ita vt merito ponantur tres ſpecies ſiccitatis, quæ diuerſæ deprehendun tur in diuerſis temporibus, pro triplici illa ſubſtantia quæ abſumitur. Si quis autem cenſeat ſpecies hæcticæ febris reſpondere ſiccitati, ita vt prima ſpecies ſit cum calor primam affert ſiccitatis ſpeciem, ſecunda, cum ſecundam, tertia, cum tertiam, decipitur, cum vt [b] ſupra docuimus hæctica conſtituatur à calore, ſiccitas autem conſtitutæ ſuperueniat, & compoſitam efficiat non ſimplicem hęcticam, compoſita verò non ſit ſpecies, ſed vna ex differentijs ad quas iam pergimus.

Diſtinguitur hæctica, quam vnius ſpeciei duntaxat eſſe demonſtrauimus, pluribus differentijs, inter quas illæ potiſsimum ad rem pertinent; quòd aut ſimplex eſt, aut compoſita; ſimplex appellatur cum ſine altero affectu præter naturam conſiſtit in eo calore duntaxat quem deſcripſimus: compoſita verò illa, quæ iungitur cum aliquo affectu pręter naturam, vt cum ſiccitate, [c] quę ipſam neceſſario conſequitur ſi diutius manet: cum [d] putredine humorum, & febre quę ab ipſa oritur, cum inflammatione vel erysipelate, cum putredine in ſubſtantia cordis, & febre [e] peſtilente. Plerumque igitur iunctam videmus febrem hæcticam cum ſiccitate, cuiuſcumque ſit ſpeciei, ſiue abſumatur humor ille nutriens, ſiue liquetur caro & adeps; ſiue tabeſcat ſubſtantia ſiccior ac durior, nominatur autem tunc à Gręcis hæctica non ſimpliciter; ſed μαρασμώδεις, [f] quam proprie in ſequentibus perſequemur cum agemus de tabe quam Græci vocant [g] μαράσμων. Componitur & hæctica cum alia febre, cum diaria quidem non diſcernitur, quamuis, vbi accenduntur partes ſolidę, neceſſe ſit ſpiritus accenſos eſſe, non tamen diſcernitur; quòd acrimonia caloris ſolidarum partium obſcuret lenitatem, quam ille pręſeferre ſolet, qui

a Gale. p. de differ. feb. cap. 9. & 7. meth. c. 6.

b Ab initio capitis & Gale. p. de differ. feb. cap. 9.

c Galen. ibidem.

d Gale. p. de diffe. febr. cap. x.

e Gale. 3. de præſag. ex pulſ. ca. 3. & 4.

f Gal. l. p. de differ. feb. cap. 9.

g Galen. l. de marcore cap. p.

versatur in spiritibus. Longe aliter euenit, vbi iungitur cum hęctica febris in humorum putredine consistens, vtraque enim discernitur,[a] hæctica quidem cum calore acri, squallido, semper eodem modo perseuerante; sed illa, quæ cõsistit in humoribus putribus, cum calore similiter acri sed vaporoso, & qui mutatur pro temporibus accessionis: potest igitur hæctica febris copulari cum quauis specie illarũ febrium quę sequuntur humorũ putredinem siue putredo diffusa sit siue concluſa, vt in [b] inflammatione & erysipelate præsertim in viscеribus, vt in ventriculo, intestinis, renibus, vtero, pulmone; si quidem & cum [c] his aliquando copulatur, impertitur enim calor præter naturam ab eiusmodi partibus inflammatis substantiæ solidæ cordis, & ita iungitur simul cum inflammatione vel erysipelate hæctica febris. sed cum vagantur pestilentes febres iungitur hæctica tunc sæpius, siue hæcticæ calor quem descripsimus, cum repugnantia totius substantiæ & putredine, quam ex aere contraxit solida substantia cordis: ita vt simul cum hęctica tunc [d] sit & prauitas illa, & putredo. Huiusmodi ergo sunt affectus præter naturam qui compositam efficiunt febrem illam, quæ residet in partibus solidis, & quam nunc tractamus. Plurimę verò differentiæ, quas obseruauimus in febribus humorum putredinem sequentibus, cum proficiscantur à causa hoc est à materia putrescente, nullo modo pertinent ad hæcticam febrem simplicem; ideo omittentur quemadmodum illæ, quæ à magnitudine sumuntur, neque enim vt ex illis quæ residēt in humoribus, ita ex hæcticis, aliæ magnæ, aliæ paruæ sunt, aut mediocres, sed omnes sunt pares, & sicut eadem hæctica in eodem homine à principio ad finem perpetuo [e] similis est, ita etiam diuersæ siue in alijs hominibus, sine in eodem alio tempore, semper similes sunt & æquales, non maiores, aut minores; calor .n. acris, quem partes solidę conceperunt, æqualis est in omnibus; si qua subest differentia magnitudinis & paruitatis, illa spectat ad innatum calorem maiorem vel minorem, & non ad mutationem præter naturam magis vel minus factam.

a Gal. l. p. de diff. febr. cap. x.

b Gal. l. p de diff. febr. cap. 9.

c Galen. ibidem.

d Gale. 3. de præsagit. ex puls. ca. 3. & 4.

e Galen. de inæquali intemper. cap. 5. & 7

De causis febris hæcticæ. Cap. III.

CAVSA hęcticæ febris continens assignari nulla potest, cum non amplius fiat [f] sicut illa quæ sequitur humorum putredinem, sed iam facta sit: at quod factum est causam non habet, materia enim accipiente formam cessat motus, & ideo mouens, & causa ipsa. idem vsu venit & diariæ [g] febri, quę similiter caret causa continente, vbi enim spiritus calorem pręter naturam conceperunt,

f Gal. 8 meth. cap. p. & 11 meth. cap. 2.

g Galen. ibidem.

perunt, non calefiunt amplius: ita vt non sit causa continens, à qua foueantur: illa igitur febris duntaxat, quæ in humoribus putribus versatur, continentem [a] habet causam ipsorum putredinem, qua præsente ea febris adest, & qua absente abest, calor igitur qui in humoribus putribus consistens eam febrem constituit retinetur à putredine tamquam à causa continente: quod si habeatur ratio caloris qui in quauis febre occupare eas partes debet, quarum lędit actiones & idcirco solidas, pertinent enim ad has tam diaria febris, quam ea quæ sequitur humorum putredinem, causam habet continentem, in hac quidem humores putres; in illa spiritus accensos per quos calor versatur in partibus solidis, quibus tunc per se non hæret. Sed omittamus alias, reuertamur ad hæcticam, quam statuamus non foueri à causa continente, at non propterea non profecta est à causis, quicquid .n. ortum est à causa ortum est; quamobrem antegressas causas à quibus profecta est inuestigare oportet, quę licet nihil faciant ad curationem, morbum [b] tamen ipsum declarant quem excitarunt, & idcirco hęcticam febrem; quę cum sit calor præter naturam per se inherēs solidis partibus cordis, necesse est causa à quà oritur, siue externa siue interna, vim habeat calefaciendi eiusmodi solidam substantiam: sed quia renititur cum assidue refrigeretur ab aere, quem per respirationem allicimus, requiritur [c] simul & robur effectricis causę, & habilitas materiæ. consistit habilitas materiæ (vt ab hac ordiamur) in siccitate [d] corporis, à qua tanquam à cote quadam acuitur calor. Vbi copia sit humoris, siue roris modo insperſi partibus solidis, siue etiam contenti in substantia earum, & simul carnis atque adipis, defendit partes vere solidas vt fibras vel membranas, atque alias ex semine procreatas, ab appulsu tam frigoris quam caloris, quò spectare carnis copiam [e] voluit Plato: defendit igitur humor partes solidas corporis à vi caloris, id quod non facit siccitas, facile enim extenuata [f] corpora, & calorem, & frigus admittunt, siue ab externis, siue ab internis causis excitetur. In his tantum corporibus videmus incipere hæticas febres, nam in his quæ humidiora sunt non incipiunt, sed alijs superueniunt. ob eamdem siccitatem euenit, vt diaria [g] febris ex nimia inædia vertatur in hæcticam: tum vt hęctica febris sequatur alui profluuium, lęuitatem, aut difficultatem intestinorum: sub his enim inarescit & extenuatur corpus adeo, vt siqua subest febris ex humorum putredine orta, possit calorem solidis partibus cordis impertire. Causa effectrix interna calor est putribus humoribus inhęrens, qui vel quòd vehemens sit veluti in ardentibus febribus, vel quòd diuturnus, veluti cum putredo longam fe-

a Galen. ibidem.

b Gal. 4. meth. cap. 3.

c Gal. de caus. morb. c. 2

d Gale. p. de diff. febr. 9. & 1. x meth. cap. 5.

e Plato in Timeo.

f Gal. 9. meth. cap. 5.

g Gal. x. meth. c. 5. & 6.

brem retinet, ſolidam cordis ſubſtantiam calidiorem reddit: Euenit interdum vt humores putres qui febrem accendunt, non reſideant in venis ſed aliquo loco concludantur, vbi ſit putredo, & ipſe focus febris, inflammationemque aut eryſipelas efficiant, à quibus [a] ſolida ſubſtantia cordis calorem concipit, modo non nimis diſtent partes inflammatæ. valde autem afficitur cor à ventriculo, à iecinore, à renibus, ab vtero, ab inteſtino ieiuno, vel colo, tum à ſepto tranſuerſo, non ita valde à pulmone quamuis proximus ſit, quòd ex laxiore ſubſtantia conſtet & plurimum refrigeretur ab aere externo, qui per reſpirationem attrahitur. tantam autem [b] vim habent eryſipelata & inflammationes viſcerum, vt non modo ſimplicem hæcticam; ſed eam quoque, quę cum tabe iungitur, afferre poſsint. Poteſt etiam calor diariæ febris hæcticam excitare cum in corpore alioquin ſicco & bilioſo adhibetur [c] inædia, degenerat enim in hæcticam & concipitur à ſolida ſubſtantia cordis perinde ac febris [d] ardens cum non adhibentur externa, & interna refrigerantia vt reſpoſtulat. Externæ verò atque euidentes cauſę, à quibus calorem augeri ac fieri febrem in vniuerſum monſtrauimus, vt labores, animę perturbationes, [e] vbi vehementiores fuerint in corpore extenuato, non tantum ſpiritus cordis, ſed ſolidam quoque eius ſubſtãtiam calefacere queunt & afferre hæcticam. Illud tamen vertitur in dubium, poſsint ne eiuſmodi cauſę ſtatim hęcticam febrem efficere, an neceſſe ſit antegrediatur diaria? profectò, cum ſpiritus valde [f] tenues ſint, neceſſe eſt longe prius calorem præter naturam concipiant, quam ſubſtantia ſolida: quod, ſi fiat, ſemper, hæcticas febres, quę non ſuccedant illis quas excitat humorum putredo, ſed videantur ipſæ initio incipere, antecedent diarię, verum quia hæ interdum ſtatim degenerant in hæcticam, & minime conſpicuæ ſunt, idcirco dicimus tunc hæcticas initio incipere, quamuis re vera anteceſſerint diariæ. Interdum tamen hæ totam diem manent prius quam degenerent in hęcticam, & euidentes ſunt, adeo vt tunc non dicantur incipere hæcticæ febres, ſed ſequi diarias. Expoſitis cauſis hæcticæ febris proximum eſt vt eas percurramus à quibus proficiſcuntur differentiæ, quas ſupra in hęctica febre obſeruauimus, vt quòd vel ſimplex ſit, vel compoſita, ſeu cum tabe, ſeu cum febre orta ab humoribus putribus, ſeu cum inflammatione, aut eryſipelate, ſeu cum [g] putredine in ſubſtantia cordis qualis accidit in febre peſtilente. vtemur autem communiter hac regula, quòd eędem cauſę, quę faciunt hæcticam, faciunt hæcticę differentiam, ſi ſimilem aſſumant, ſimplex hęctica fit à ſimplici cauſa ſiue externa, ſiue interna quam retulimus, compoſita fit ab eadem cauſa,

ſed

a Gal l.p.de differ. feb. cap. 9.

b Galen.ibidem.

c Gale.l 10 meth.ca.6.

d Gal.l.x.meth cap. 5.

e Gale. 4. de præſag. puſſ.cap.4 & p.de dif. feb. c.9.

f Galen.p.de diff. febr. cap. p. & l. 2. de criſ. cap. 13.

g Gale. 3.de præſag. ex puſſ.c.3

sed coniuncta cum alia, vt cum illa quæ tabem affert, aut humorum putredinem, aut tumorem aliquem præter naturam, aut etiã putredinem substantiæ cordis, quales verò sint hæ causę efficientes vnumquemq; ex his affectibus qui cum hæctica febre copulantur, si exponere aggrederemur, nimis multi essemus, & vt prouerbio fertur, iam acta ageremus, vel paulo post agenda: egimus [a] enim ante de causis illarum febrium, quæ in humorum putredine consistunt, vel etiam pestilentes sunt; vbi diximus [b] putrefieri substantiam cordis ab aere putri, qui per os, asperam arteriam & pulmonem fertur ad cor. De causis efficientibus tabem, cuiuscumque speciei illa fuerit, agemus vbi hæcticam febrem simplicem absoluerimus, sicuti de inflammatione & erysipelate quà de tumoribus præter naturam in hoc ipso volumine, nunc ergò relictis causis, pergemus ad symptomata.

a Supra l. 3. cap. 2.

b Supra l. 5. cap. 5.

De symptomatibus febris hæcticæ. Cap. IIII.

SEQVVNTVR hæcticam febrem multa symptomata, non tamen quot illam quę ab humorum putredine oritur tanquam à causa continente, cum hæctica [c] sine causa sit, & idcirco ea tantum afferat, quæ à morbo, hoc est calore præter naturam proficiscuntur, at nocet febris putris magis plerumque ob putredinem, quæ varias partes nostri corporis tentans, quamplurima efficit symptomata, ita vt longe pauciora sint quæ sequuntur hæcticam, eadem tamen si comparentur cum his quæ diariam, multo plura sunt, diaria enim cum leni [d] calore contineatur simplicissima est vt suo loco monstrauimus, neque affert graue aliquod symptoma. sed omissis his quæ alijs febribus superueniunt ea persequemur quæ maxime ad hæcticam pertinent. proficiscuntur hæc à calore duntaxat illo acri ac squallido, quem proposuimus. Proxima vis caloris consistit in calefaciendo, sicut aliarum qualitatum omnium in efficiendo sibi [e] similem, sed cum calefacit simul etiã siccat ac liquefacit, à quibus effectis multa symptomata oriuntur, cum debilitentur vires & idcirco lædantur actiones, quæ vbi læduntur necesse est mutentur tum qualitates, & affectus corporis, tum retenta & expulsa; consistunt enim vires in [f] quantitate & qualitate moderata spirituum, humorum, & partium solidarum, calor quatenus calefacit moderationem qualitatis labefactat, sed quatenus siccat ac tabefacit, officit moderationi non solum qualitatis, sed etiam quantitatis, minuit enim quantitatem illarum partium ita vt duplici nomine debilitentur vires, quòd nec qualitatis, nec quantitatis moderatio amplius seruetur

c Gal. 8. meth. cap. p. & l. 11. met. cap. 2.

d Gal. 2. crif. cap. 13.

e Arist. l. 7. diuin. c. 9.

f Galc. l. 11. meth. cap. p. & 3.

quare non mirum est si actiones lędantur & propterea etiam mutentur affectus & qualitates corporis, retenta & expulsa. si quæras quæ actiones lędantur, dicendum est lędi[a] omnes, cum omnes vim suam consequantur à spiritu vitali, & à corde, cuius solidæ[b] partes, cum in hæctica febre male affectę sint, nequeunt robur reliquis totius corporis impartire, quò fit vt omnes lædantur, minus tamen illæ quæ calore aut siccitate gaudent; ita enim natura comparatum est, vt quamuis omnes actiones perficiantur à temperatione moderata, omnes item labefactentur à valde[c] immoderata, aliæ tamen alia immoderatione non tamen valida augeantur, veluti cibi[d] appetentia frigore, sensus siccitate, tactus & coctio calore. minus lędduntur in hæctica febre illæ actiones quibus calor & siccitas aptatur, illæ magis, quibus frigus & humor, magis autem minuuntur quam auferantur aut deprauentur: nam cum in hæctica febre calor paruus sit, licet acris, nullam auffert actionem priusquam cum ipso iungatur tabes, deprauatio verò licet magis fiat à calore, nam frigus actionem potius tollit, calor tamen hęcticæ cum neque vehemens sit, neque cum materia, magis debilitare atque imminuere actiones potest, quam corrumpere ac deprauare; multum tamen interest inter corpora laborantia pro vt humidiora vel sicciora sunt, magis .n. læduntur quò magis sicca, humidioribus magis renituntur, sicut & frigidioribus etiam, sed non admodum accidunt eiusmodi[e] corporibus hæcticę febres: principio enim tantum præhendunt ea quæ calida sunt & sicca, quamquam possunt versari etiam in contrarijs vbi succedant alijs febribus, vt his quę diuturnam putredinem sequuntur & non oriantur à principio; debilitantur ergo ab hæctica febre omnes actiones, & paulatim corrumpuntur ita vt tandem intereant, nullæ autem ægregie prętер cęteras videntur offendi. ex alijs verò symptomatibus, affectus & qualitates corporis ad duritiem cutis & maciem referuntur, quæ processu[f] temporis apparent, cum non est amplius hæctica simpliciter, sed copulata cum tabe. excernuntur verò pauciora quam soleant deiectione, vrina, sudore; quòd pars eorum quę excerni euidenter solet à calore absumatur; neque redduntur plura, quòd à calore liquæfiant quemadmodum in febre ardente, cum & calor paruus sit & corpus aridius, ita vt quod subinde liquescit sensum lateat, quemadmodum[g] cum assatur caro arida & sicca; nihil enim defluere super prunas conspicitur, sicuti conspici solet cum assatur pinguis, mollis, atque humida: eadem ratio est nostrarum partium, quæ vbi humidiores & molliores sunt, si à febre ardente liquantur, pinguem liquorem euidenter reddunt, quem vrina ipsa præse-

a Galen. 2. aphorism. com. 20.

b Gale. p. de differ. febr. cap. p.

c Galen. 2. aphorism. com. 20.

d Gal. ibidē. & 3. de causa sympto. cap. 3.

e Galen. p. de differ. febr. cap. 9.

f Galen. ibidem.

g Gal. 1. meth. cap. vlt.

præsefert, si duriores ac ficciores à febre hæctica tabefiant parum est quod liquatur, & id totum latenter discutitur [a] atque in vapores abit quare neque multa neque pinguia sunt quę ab his, qui hę ctica febre laborant, expelluntur.

a Galen. ibidem.

Signa & Pronosticum hæcticæ febris. Cap. V.

EX tribus præter naturam de hæctica febre iam expositis, vt præsentia recognoscere morbum & symptomata oportet; nam causę non agnoscuntur vt præsentes, sed vt iam antegressæ, aut coniectura inuestigantur, aut referuntur seu ab homine, seu à familiaribus: solum igitur cognoscere oportet symptomata, & morbum vnà cum suis differentijs vt præsentia. cæterum symptomata cuiuscumque generis sint sub sensum cadunt, ita vt non necesse sit diu in illis cognoscendis insistere, aut de ipsorum recognitione tractare. Incumbemus igitur in cognitionem morbi duntaxat, hoc est febris hæcticæ ac differentiarum quas supra commemorauimus. Sunt qui [b] hanc difficilem à principio existiment, sed processu temporis facilem, secus de curatione existimant, nam cum incipit hęctica febris facile inquiunt curatur, sed cum iam vetusta est, vix aut, ne vix quidem. Hoc quod de curatione asserunt [c] verum est perpetuo, at non ita perpetuo quod de cognitione, nam si hæctica febris sola sit, initio facile depræhenditur; plerumque tamen succedit illi, quæ ab humorum putredine oritur, & à principio iungitur cum ea, tuncque adeo obscuratur [d] vt vix discerni queat; sed hæc iam composita est. Loquamur primo de simplici, deinde ad compositam pergemus. Cognoscitur hæctica febris cum simplex est sensu, sub quem cadit calor quo contineri ipsam diximus, [e] acris videlicet præsertim quò diutius tangitur, squallidus, hoc est sine fumo aut vapore, assiduus sine circuitibus, quemadmodum in synocha febre: differt tamen quòd non est multus vt in ea sed paucus, non distinguitur temporibus ita vt manifeste videatur incipere, augeri, vigeri, remitti, sed æqualis manet ac sibi similis [f] à principio ad finem, tantum feruet cum datur cibus, aut potio [g] quacumque hora sumatur, sed vbi deferuuit semper manet similis atque æqualis, & ac si naturalis esset, & non aduentitius, non percipitur ab [h] ægrotante, adeo vt iudicet se non febricitare; quamuis autem quouis tempore æqualis sit, non tamen equalis inest cuiuis parti, sed cum tanguntur arteriæ, longe [i] calidiores sentiuntur quam cæterę partes; quod minime vsu venit in febribus diarijs aut in illis quæ humorum putredinem sequuntur, neque enim maiorem præseferunt

b Auic. l. 4. f. p. tr. 3. c. p.

c Galen. p. de differ. febr. cap. 9.

d Gale. p. de differ. febr. cap. x.

e Supra l. presenti cap. p. & Gale. p. de diff. feb. cap. 9.

f Galen. ibidem & l. de inęquali intemperie cap. 5.

g Galen. ibidem.

h Galen. ibidem & 3. de præsag. pul. cap. 9.

i Galen. p. de. differ. febr. cap. 9.

ATENEO VENETO VENEZIA

calórem in arterijs quam in alijs partibus ; ita vt ſit propriùm febrium hæcticarum ; in quibus cum ſolidę cordis partes calorem præter naturam conceperint merito magis calefaciunt arterias inde ortas , quam cæteras partes . Sentitur etiam maior calor in thorace ob viciniam cordis quam in alijs partibus , quod non ſimiliter accidit alijs febribus , in quibus non ſolida ſubſtantia, ſed humor vel ſpiritus cordis calefactus eſt , & facile permeans in reliquas partes corporis calorem præter naturam omnibus ęqualem impertit , huiuſmodi ergo calor , in quo febris hęctica conſiſtit , ſenſu tactus facile iudicatur . Verum mente etiam conijci poteſt hęc febris, & primo ex cauſis & externis , & internis . Illæ externæ cauſæ , à quibus excitari diariam febrem docuimus , vbi validiores [a] antecedant , & corpus ęgrotantis calidum ſit & ſiccũ , hęcticam febrem denunciant, quam par eſt ab ipſis fuiſſe allatam. Eamdem ſignificant cauſæ internę veluti febris aut diaria, aut ex humorum putredine , vel inflammatione orta ; diaria enim vbi diutius perſeueret & non finiatur primo die in homine calido & ſicco , qui conſilio imperiti medici [b] vtatur inædia ſine aliquo auxilio refrigerante, vt efficere , ita ſignificare hæcticam febrem poteſt . idem euenit febri quę humorum putredinem ſequitur , vbi vel ardens ſit , vel diu occupauerit hominem calidum & ſiccum , poteſt enim & excitare , & oſtendere febrem hęcticam: quemadmodum & inflammatio , [c] & eryſipelas ſepti tranſuerſi , ventriculi , iecinoris , inteſtini , ieiuni , aut coli , renum , vteri in homine ſimiliter calido & ſicco. Verum fit coniectura hæcticæ febris ex illis etiam quę proſunt aut obſunt , nam præter refrigerantia & [d] madefacientia quæ conueniunt omnibus febricitantibus , præter calefacientia & ſiccantia quæ omnibus aliena ſunt , & ideo febrem communiter monſtrant , proprie eos, qui hæctica laborant, iuuat mirum in modum cibus & potio , lædit abſtinentia; id quod magnam fidem facit propoſitæ febris . Ad quam ſignificandam poſtremo valent effecta , vt ex actionibus , pulſus neceſſario celer [e] & languidus , non tamen neceſſario creber aut magnus, cum & ſine crebritate ſępe numero ſentiatur , & paruus ſit præſertim poſt initium ; redditur enim arteria ſiccior & idcirco [f] durior maxime proceſſu temporis , ita vt pulſus , & ob duritiem , & ob imbecillitatem facultatis vitalis, nequeat eſſe magnus , quæ tamen non tanta ſunt vt non ſinant ipſum eſſe celerem. Reſpiratio pulſui ſimilis eſt , celeris ob calorem auctum , ſed parua , tum ob virium imbecillitatem , tum ob ſiccitatem ac duritiem inſtrumentorum , quæ vbi augeantur , neceſſe eſt cum celeritate iungi frequentiam . Ex affectibus verò & qualitatibus corporis, durities cutis ,

a Gal. ibidē & l. 3. de præſagit. pulſ. cap. 4.

b Gal. x. meth. c. 3. 5. 6.

c Galen. p de diff. febr. cap. 9.

d Gal. 8. meth. c. 9. & l. 10. meth. cap. 10.

e Gal. l. 3. de præſagit. pulſ. cap. 3.

f Gal. l. p. de diff. febr. cap. 9.

cutis,& gracilitas[a] partium omnium monstrant febrem hæcticam, cum paruæ quidem sunt, simplicem, cum magnę compositam[b] cum tabe. Quæ retinentur ac detruduntur nullam ferè fidem faciunt hæcticæ febris, nam retenta multa, & excreta pauca accidunt etiam alijs. Ex his, quæ expelluntur, vrina[c] quæ vt si quid aliud monstrat febrem ortam ex putredine humorum, qui in venis detinentur, talis enim redditur quales illi sunt, nihil mutatur neque in diaria febre, neque in hæctica, neque illas significare potest, nisi quod ferè secundum naturam reddatur; quod non euenit vbi humorum putredo febrem accendat. nihil etiam pingue præsefert vrina eorum qui hęctica febre laborāt: neque enim liquefit in eiusmodi corporibus mollior caro,& adeps euidenter, vt in alijs qui ardente febre laborant, quemadmodum paulo supra tradidimus, cum de symptomatibus loqueremur. Differentię febris hęcticæ quo pacto recognosci possint exponere nunc tempus est, neque enim habet species vt in superioribus[d] proditum est, quas recognoscere oporteat, distingui autem potissimum hęcticam febrem illis differentijs diximus, quòd aut simplex sit, aut composita. simplex consistit in calore præter naturam duntaxat, quem exposuimus: depræhenditur autem & sensu & ratione ex signis proxime traditis;composita verò necesse est ex compositis coniunctisque indicijs colligatur, ex his videlicet quæ monstrant simplicem hęcticam & ex his quæ affectum qui cũ ea iungitur. Fac primum iungi cum tabe, cum qua plerumque copulatur, vel potius perpetuo si diutius manet, significatur hęctica cum tabe à signis ipsius tabis, quæ in sequentibus tradentur iunctis cum signis monstrantibus hæcticam simplicem iam enarratis, paruo autem negocio ex vtrisque intelligitur; sed si hæctica febris cum ea copuletur quæ in humorum putredine consistit[e] non facile cognoscitur,ab inęqualitate enim caloris & expiratione vaporum putrium obscuratur; si quis tamen intermissionem obseruet illius febris quę putredinem sequitur, hæcticæ indicia non obscure depræhendet, quæ[f] iuncta cum inęqualitate caloris eiusmodi febrium cognitionem patefacient; quamquam præter inęqualitatem caloris cõcurrunt alia signa à quibus supra memorię prodidimus denunciari febrem ab humorum putredine ortã. Eadem ratio est inflammationis,& erysipelatis vbi cum hæctica febre copulentur. Colligitur enim eiusmodi coniunctio ex signis hæcticę febris simplicis, & simul ex his quæ fidem faciunt erysipelatis atque inflammationis in hac aut illa parte, quę à nobis explicabuntur,cum ad curandas singulas partes membratim veniemus, at vbi in febre hæctica substantia solida cordis non tantum

calida

a Galen. ibidem.
b Galen. ibidem.
c Gale. p. ad Glauc. c. 2.
d Supra c. 2. huius libri
e Gal. p. de diffe. febr. cap. x.
f Galen. ibidem.

calida sit, sed etiam putris: quemadmodum [a] accidere solet vbi communiter vagantur febres pestilentes, signis monstrantibus simplicem hæcticam accedunt illa, quæ monstrant prauitatem putredinis in substantia cordis, quę supra [b] à nobis exposita sunt. cum pestilentes febres, persequeremur, inter quæ maximum est summa virium imbecillitas. Sequitur præsagitio futurorum, & primo ipsius euentus, qui interdum salubris expectandus est, interdum pernicioſus. Vtrum expectare debeas conijcies æstimato [c] robore naturæ vel morbi. sed in dubium incertumque reuocatur quo pacto æxtimandum sit naturæ robur, cum nihil ad hæcticæ febris sanationem conferre natura videatur; neque enim debet aut concoquere, aut expellere materiam, à qua accenditur febris; quemadmodum in illa quæ sequitur humorum putredinem, sed sanationis causa sunt externa refrigerantia, quę partim intus dantur, partim extrinsecus imponuntur adeo vt non natura sed ars sit sanationis causa, & idcirco huius magis perpendendæ vires sint quam naturæ. Quibus respondendum est illud verum esse quod affertur, hæcticæ febris sanationem ab arte profici sci, & idcirco perpendendum esse quid ars possit; at magnifacienda etiam est natura, neque enim quæuis [d] citra periculum fert refrigerantia auxilia, quæ ab arte adhibentur; sed illa duntaxat quæ aut boni habitus est, aut non valde gracilis, si quidem extenuata corpora sub frigidis remedijs præcipitantur. plurimum ergo valet ad futuram salutem denunciandam natura corporis ęgrotantis, sed æstimandum etiam est vt diximus quale sit morbi robur. Conuenit inter omnes medicos, hæcticam febrem cum incipit [e] facile superari, processu verò temporis aut vix aut ne vix quidem posse submoueri, sed cum incipit sine [f] siccitate est, quam postea sibi adiungit, adeo vt quæ cum siccitate iungitur tanto difficilius curetur, quanto cum maiori siccitate copulatur, quæ simplex est facile curationem recipiat: de siccitate vero, quæ hæcticæ febri accedit paulo post dicemus quà de tabe; sed sanationis difficultatem auget etiam febris humorum putredinem sequens, inflammatio, vel erysipelas, putredo in solida substantia cordis si cum hæctica febre copulentur: nam febris quę humorum putredinem sequitur pręter grauitatem periculi quam ipsa per se affert, non permittit & frigida remedia & cibum & potionem dari, quibus sananda est hæctica febris, sicuti & quæ hanc curant medicamenta detrahentia, extenuantia, incidentia hæcticæ febri inimica sunt, adeo vt & valde molesta & periculosa sit hæc febrium coniunctio: sicut & illa in qua componitur cum hæctica febre inflammatio vel erysipelas viscęris alicuius, nam præter periculum quod affert

grauitas

a Gale. 3. de præsagit. puls. ca. 9.

b Supra l. 3. cap. 5.

c Gale. 4. de præsagit. puls. 11. & l. de const. artis c. 18.

d Gal. 9 meth. cap. 5. & 10. meth. cap. 10.

e Auic. l. 4. f. p. tr 3. c. p. & Galen. l. p. de diffe. febr. c. 9.

f Galen. ibidem

grauitas plurium morborum, non ſinunt inflammatio & eryſipelas adhiberi frigida remedia, ſumi cibum & potionem; cogunt aliquando medicum, vt ſuccurrat animę defectioni, dare aliquando vinum, quod alioquin maxime aduerſum eſt. De putredine in [a] in ſubſtantia cordis ſolida quid attinet dicere cum ita perniciosa ſit vt quaſi preſens venenum, hominem conficiat? Differentiæ euentus, tempus videlicet, & via ex ijſdem ſignis colligun tur ex quibus ipſum colligi docuimus aſſumentibus tamen ſimilem differentam. tempus quo expectatur vel ſalus vel interitus, poteſt & breue eſſe & diuturnum, vtrumuis expectari debeat, robur [b] demonſtrabit ſuperantis ſiue naturę ſiue morbi. vbi magnus eſt exceſſus tempus breue eſt, vbi paruus longum. natura boni habitus valde renititur ſuſtinetque remedia neceſſaria: gracilis vero & extenuata [c] neque hæc diu ſuſtinet, neque diu reniti poteſt, ita vt illa ad celeritatem ſalutis, hęc ad celeritatem interitus conducat: ſed maxime reſpicere oportet ad morbum, nam hectica febris aut ſimplex eſt aut compoſita, quæ ſimplex eſt celerius ſaneſcit ſi ſalubris ſit, ſed tardius hominem conficit ſi mortifera; contra quæ compoſita eſt tardius ſanatur vbi curationem admittit, & celerius hominem abſumit vbi curari non poteſt, compoſitio. n. morborum ſalutem differt, & maturat interitum, tum ob multitudinem & grauitatem affectuum, tum ob repugnantiam auxiliorum. Via ſupereſt & ſanationis & interitus, hectica ſimplex vt ante oſtenſum eſt, ab arte ſanatur [d] refrigerantibus, & madefacientibus: ſed mortifera eſt ob exceſſum elementi calidi & ſicci, nam vbi ex elementis vnum adeo ſuperat vt extinguat contrarium, teſte [e] Hippocrate, ſequitur interitus. Si hectica fuerit compoſita cum tabe, ſanatur ſimiliter arte per refrigerantia & [f] madefacientia, ſi cum febre ex humorum putredine, concurrit etiam natura concoquens & expellens: quemadmodum & vbi cum eryſipelate aut inflammatione copulatur. Quod ſi hęctica compoſita perniciosa ſit, via interitus non tantum ſpectat ad exceſſum caloris & ſiccitatis, ſed etiam ad nimiam copiam, aut vitioſam qualitatem materiæ, & ad ipſam putredinem in [g] ſubſtantia cordis, nulla tamen finitur cum perturbatione ſubito, quam viam Græci κρίσιν dicunt.

a Gale. 3. de præſag. pulſ. cap. 3.

b Gale. 4. de præſag. pulſ. ca. 11.

c Gal. 9. meth. cap. 5.

d Galen. l. x. methodi cap. 6. & 7.

e Gal l. p. de natura human. & Galen. p. de elem. ca. 6.

f Gal. x. meth. cap. 11.

g Gale. 3. de præſag. pulſ. cap. 3.

De curatione febris hectice. *Cap. VI.*

CONSILIVM in curanda febre hęctica ad morbum duntaxat dirigitur, cum nullum in ea ſit ſymptoma, quod propriam curationem deſideret, ſed omnia permittant expectari dum curetur

retur morbus: at neque etiam cauſa aliquid requirit cum [a] nulla ſit, ſupra enim proditum eſt, hęcticam febrem factam ex toto eſſe, & non amplius fieri, & quod tale eſt, non habere amplius cauſam. Antequam hæctica incipiat dum impendet, vt deuitetur, remoueri cauſa debet hoc eſt alia febris, ſiue diaria ſit, ſiue ſequatur humorum putredinem; eò enim diligentius his medetur, quò poſſunt in hanc magis periculoſam febrem degenerare: quamquam auxilia, quibus inpendens hęctica propulſatur, non alia ſunt quam ea quibus tollitur, cum iam præſens eſt, nam vt præclare monuit [b] Hippocrates, quæ ſubſequentia ſanant, anteuertentia prohibent. Ommiſſa igitur cauſa vnà cum ſymptomatibus ad ſolum morbum, hoc eſt ad ipſam hæcticam febrem ſpectabimus, quam primum diſtinguere oportet, cum aliam poſtulet curationem ſi ſimplex ſit, aliam ſi compoſita cum aliquo ex affectibus [c] ſupra commemoratis. inueſtigemus primò opera, deinde inſtrumenta quibus ſubmouenda eſt. finge hæcticam ſimplicem, hæc communiter quatenus febris eſt, refrigerantia [d] poſtulat & madefacientia, quemadmodum diximus de febribus in vniuerſum; proprie verò quatenus hęctica eadem deſiderat, ſed validiora, cum [e] ſtabilis ſit & valde inhæreat eiuſmodi calor partibus ſolidis cumque eas exſiccando poſsit tabem [f] afferre, requirit ea quæ validius refrigerent ac madefaciant, cum alijs febribus plerumque ſufficiant quæ mediocriter vtrumque præſtent, cum neque ita ſtabiles ſint, neque ita abſumant humorem partium ſolidarum. Si hæctica compoſita ſit vbi cum ſiccitate iungatur, nihil noui poſtulat, ſed ſatisfaciunt [g] ea quæ vehementer refrigerant, & madefaciunt: quod in ſequentibus etiam patebit, cum tabis curationem explicabimus. Vbi copulatur cum febre conſiſtente in putredine humorum aut inflammatione vel eryſipelate, pręter refrigerantia & madefacientia quæ deſiderantur ab ipſa hęctica proprie, & communiter à quauis febre, neceſſe eſt etiam ſpectare & ad putredinem eiuſque cauſam vt in ſuperioribus libris [h] memoriæ prodidimus, & ad inflammationem vel eryſipelas huius vel illius viſceris, de quibus dicemus in curatione membratim; nunc illud animaduertendum eſt, quod ante curari putredo humorum, inflammatio & eryſipelas debet, deinde hæctica febris, neque enim finiretur hæc illis manentibus, ſed aſsidue foueretur. interea tamen dum curantur non omnino eſt negligenda hæc. vbi ceſſarunt ad hanc duntaxat reſpiciendum eſt adhibitis remedijs quæ plurimum refrigerent ac madefaciant vt ante oſtenſum eſt, quæ vt hominem iuuent & nullo pacto lędant, ita debent refrigerare vt non [i] ſiccent, & ita made-

a Gal. 8. meth. cap. p. & 11. meth. cap. 2.

b Hipp. 4. 6. epid. 40.

c Supra in hoc libro cap. 2.

d Gal. x. meth. cap. 6.

e Gal. 8. meth. cap. p.

f Galen. p. de diff. febr. cap. 9.

g Gal. x. meth. cap. 11.

h Supra l. 4. cap. p.

i Auic. l. 4. f. p. tr. 3. c. 5. & 6.

madefacere vt non calefaciant ægrotantem, quecumque enim aut refrigerando siccant, aut madefaciendo calefaciunt aliena sunt: iam verò illa quæ madefaciunt semper tuta sunt, illa quæ refrigerant non semper; quę enim madefaciunt [a] lente hoc præstant & non nisi diuturnitate temporis; quæ refrigerant, cum per efficacissimam qualitatem vim suam ostendant, celerrime calorem præter naturam auferunt, sed periculum est ne simul extinguant naturalem, vel in aliqua parte vel in vniuerso corpore; præsertim vbi corpus pauci sanguinis sit & gracile, [b] hoc enim minime renitetur id quod Euripides etiam docuit ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον; neque mirum est si frigida remedia eiusmodi corporibus maxime sunt inimica, quæ neque caro, neque humor tuetur, accipiuntur tamen interdum, vt tabes prorsus imminens euitetur. Ad refrigerandum & madefaciendum vtemur partim his quæ [c] extrinsecus adhibentur, partim his quæ intus dantur siue à ratione victus, siue à medicamentis sumantur. perpendamus primo vnamquamque ex sex rebus nonnaturalibus quæ victui subijciuntur, deinde pergemus ad medicamenta. ad refrigerandum igitur & madefaciendum aer [d] sit frigidus & humidus; bene autem agitur cũ ægrotante vbi sponte habetur talis, libenter etiam excipitur ille, qui mediam temperationem obtinet, contentusq; tunc medicus est alijs instrumentis ad refrigerandum & madefaciendum; sed si calidus & siccus sit corrigendus est [e] ita vt in frigidum & humidum mutetur, id quod fit collocando ægrum in cubiculo frigidiore, perfundendo aquam frigidam, sternendo stirpes frigidiores, remouendo frequentiam hominum, vt in [f] superioribus diximus cum curationem febris in vniuersum enarraremus. Ex cibis huc spectat [g] cremor sicuti & tota substantia ptissanæ, sorbitio ex Alica cui paululum aceti sit adiectum, panis ex aqua frigida, lactuca tenera bene lota, & respersa aliquot aceti guttis, fructus æstiui, testes gallorum, cancri crusta detracta, caro tenerioris pulli gallinacei contusa cum seminibus mellonum, aut etiam cucumerum, vel strangurię, iuscula eorumdem pullorum in quibus prius lactuca, intybus siue endiuia bullierint. dari autem debent cibi omnes refrigerati, non tamen vehementer quemadmodum potiones, [h] nam hæ celeriter permeant per viscera; & ideo non nocent sicut cibi, qui cum diutius retineantur, nimis refrigerare illa possunt. detur autem potui [i] aqua aut pura, veluti his quibus quotidiana est & vsitata, aut in qua hordeum sine cortice bullierit, cum qua cõmode permiscetur aliqua portio zulapij viola conditi. Mulsa [k] inimica est, cum mel in homine febricitante facile vertatur in bilem & calorem augeat: nocet etiam vinum,

a Gal. x. meth. cap. 7.

b Gal. 9. meth. cap. 5.

c Gal. x. meth. cap. 7.

d Gal. x. meth. cap. 7.

e Gal. x. meth. cap. 8.

f Supra l. 1. p. cap. 3.

g Gal. x. meth. ca. 6.

h Gal. xi. meth. cap. 11.

i Gal. xi. meth. cap. 6.

k Gal. x. meth. cap. 11.

vinum, neque bibi debet in hæctica febre nisi ad reficiendas vires vbi conuellantur, sed tunc etiam sumi debet tenue, aquosum, dilutum. Adhibenda etiam moderatio est in somno & vigilia, cum hæc refrigeret internas partes calefaciat externas, somnus [a] ex contrario has refrigeret, illas calefaciat; sed quia vigilia diuturnior ingentem vim [b] habet exsiccandi, præstat vti somno longiore ad madefaciendum. Sternatur lectus non culcitra plumea aut aliqua eiusmodi materia quæ calorem foueat, sed folijs [c] refrigerantibus, vt semperuiuij, lactucæ, vitis, nimphææ, aut etiam corio assuto, quod follis modo impleatur & aerem simul atque aquam contineat. vitetur motus corporis, atque animi perturbatio cum calefaciendi & siccandi vim habeat. quies & tranquillitas commodissima est his quos refrigerare ac madefacere volumus. Adhibenda etiam moderatio est in his, quæ retinentur ac expelluntur, retenta enim præter modum non sinunt calidam expirationem exhalare, & idcirco calorem augent, immodice expulsa nimis hominem exhauriunt, atque exsiccant, itavt, quod à sapiente illo dictum fuit, ne quid nimis, huc maxime accomodetur. Exposita ratione victus pergemus ad medicamenta, si prius de lacte, de potu aquæ frigidæ, de balneo locuti fuerimus, quæ [d] quamuis referri ad victum possint quia tamen non frequentantur sanis possunt aliquo pacto in medicamentis numerari, de his igitur nunc loquemur sumpto initio à lacte, quod tamen vberius à nobis tractabitur in hoc ipso libro, cum ad curationem tabis veniemus.

a Gale. 3. de cauf. pulf. cap. 9.
b Gal 7. meth. cap. 6.
c Auic. l. 4. f. p. tr. 3. c. 5.
d Gal. x. meth. cap. 11.

Lac plurimum madefacit, [e] & leniter refrigerat; componitur enim ex butyro, caseo, & sero, ex quibus butyrum moderate calidum est, caseus paulo minus, serum frigidum est, adeo vt; si mixtura tota æstimetur, leniter refrigerare possit: sed ægregiam vim habet reficiendi substantiam humidam, id quod vel ex infante colligitur, qui lacte duntaxat contentus non solum alitur, sed plurimum etiam auget quam habet humidam substantiam; quo nomine valet etiam ad confirmandas vires imbecillas, ita vt hæctica febre laborantibus plurimum [f] accommodetur etiam si cum tabe iungatur: modo non adsit simul febris consistens in humorum putredine, aut inflammatio, vel tumor aliquis præter naturam præsertim in præcordijs; augerentur enim eiusmodi affectus epoto lacte. quamobrem merito edicit Hippocrates, [h] ne detur lac vbi sint affectus proxime commemorati. cauendum etiam est vbi detur his qui ab hæctica febre tenentur, ne aut [i] cogatur aut corrumpatur in ventriculo vt quibusdam solet, prohibebis ne cogatur si aliquid mellis adijcias. quod tamen paululum esse debet,

e Gal 4. simpl. cap. 17.
f Gal. l. x. meth cap. 11. & 7 meth. cap 6.
g Hippoc. & Galen. 5. aphor. 65.
h Hippoc. loco citato.
i Gal. 7. meth. cap. 6. & x. meth. cap. 11

bet, cum non mediocriter [a] febricitantium calorem augeat mel, quemadmodum supra monstrauimus. sicui corrumpi soleat, aut omittendum omnino est, aut paulatim tentandum an concoqui possit, nam vbi nequeat, omnino relinquendum est: sed de vsu lactis vberrime agemus paulo post in curatione tabis cui maxime succurrit. Bibitur aqua frigida in hectica febre in cena & [b] prandio, quibus eiusmodi potus est vsitatus vt paulo supra ostendimus cum ageremus de victu; sed alio modo etiam bibitur (vt Græci [c] dicunt ἀγονισικῶς) cum quasi medicamentum datur ad hecticam febrem sanandam & valde frigida, & valde copiosa; quod auxilium cum extremum [d] sit non necessarium est nisi vbi hectica febris extrema sit, huiusmodi est quæ vel iam adiunxit, vel mox adiunctura est siccitatem; abunde enim & refrigerare, & madefacere potest eiusmodi potio, sed cauendum est ne corpus exangue sit & [e] gracile: nam periculum esset ne calor vel in aliqua parte vel in vniuerso corpore extingueretur, neque enim esset à quo defenderetur; quòd si cum hectica febre alia iungatur in humorum putredine consistens, non temere danda est potui aqua frigida, sed videndum magis ne timenda sit tabes vbi non detur, an obstructio, cruditas, putredo, vbi detur; & ita spectandum magis est ad id quòd magis vrget. Eadem ratio est inflammationis, erysipelas verò interiorum partium non videtur posse alio remedio quam larga [f] potione aquæ frigidæ, & sanari & non permitti afferre tabem. Balneum aquæ dulcis hecticæ [g] febri maxime aptatur quatenus madefacit; perpetuo enim aqua siue calida, siue frigida sit madefacit corpus nostrum, sed potissimum vbi tepida, excipitur enim à foraminibus cutis quę illa delectantur, patent enim: quod si aut calida aut frigida sit ob molestiam quam percipiunt adstringuntur, ita vt minus madefiat corpus. Quantam vim habeat balneum aquæ dulcis tepidę illi [h] experiuntur, qui æstuosa & puluerulenta via iter facientes, plurimum sitiunt, paulo enim postquam ingressi fuerint in huiusmodi balneum à siti vindicantur. At non quouis modo adhibeatur aqua refrigerat, cum quę calida est calorem nostri corporis augeat, & idcirco hectica febre laborantibus obsit, quæ frigida est refrigeret, propterea medetur [i] huic febri. at prodest etiam ad refrigerandum quæ tepida est, siue moderate calida, refrigerat enim quod calidius est, calefacit quod frigidius, ita vt valeat etiam ad refrigerandum in hectica febre, quamobrem & vt madefaciat, & vt refrigeret hecticæ febre laborantes, oportune etiam vbi sit adiuncta tabes adhibebitur: solummodo [k] suspectum est vbi febris adsit, ex humorum putredine orta, ne cruditatem & obstructionem augeat,

a Gal. x. meth. cap. 11.

b Galen. ibidem.

c Galen. de marcore. cap. 8.

d Hippoc. p. aphor. 6.

c Gal. 9. meth. cap. 5.

f Galen. l. de de marcore c. 8. & 9 meth. ca. 5.

g Gal. x. meth. cap. x.

h Galen. ibidem.

i Galen. ibidem.

k Gal. 11 meth. cap. 20

geat;& ob eamdem cauſam quoque vbi ſit inflammatio aut eryſipelas : ſed, ſi appareant ſigna coctionis & corpus non redundet multis humoribus, non erit timendum. Balneum verò aquæ frigidę [a] efficaciſsimum eſt ad refrigerandum & madefaciendum : ſed ſimiliter [b] ſuſpectum eſt vbi febris ſit ab humorum putredine orta, & inflammatio & eryſipelas ; tum ſine his etiam vbi corpus gracile [c] & pauci ſanguinis, ne innatus calor extinguatur, aut plurimum debilitetur ; vbi tamen impendet ſummum periculum tabis vt euitetur, expedit aliud adire quod minus [d] graue eſt, & balneo aquæ frigidę vti etiam cum eryſipelate, aut inflammatione, & cum gracilitate corporis. Medicamenta reſtant quæ extrinſecus ad refrigerandum imponuntur, non debent autem ſimpliciter imponi thoraci aut cordi, ſed illi parti, in qua reſidet, veluti focus ipſius febris ; quemadmodum renibus, vtero, iecinori, [e] ſepto tranſuerſo, vbi eſt eryſipelas, aut inflammatio vnde hæctica febris proficiſcitur ; initio enim refrigerari debent partes cum hæctica naſcitur. quod ſi hęc ſufficiant non eſt quod vtamur potione aquę frigidæ ; tamdiu autem in ipſis perſeuerandum eſt, vt homo ſentiat ſe refrigeratum eſſe & liberatum à ſiti : ſed quia, cum diutius impoſita continentur, calefiunt à corpore noſtro & rurſus ipſum calefaciunt, frequenter mutari [f] debent & dari noua, quę refrigerata ſint aqua aut etiam niue. idoneum eſt oleum viola aut roſa conditum ; ſed multò magis ceratum liquidum, vnguentum roſatum, ſiue etiam ſandalinum, vtiliter etiam imponitur duplici linteo exceptus ſuccus lactucæ teneræ, inthibi, ſemperuiuij, nimpheæ, vuæ immaturę cum portulaca contuſę, quibus commode adijcitur aliquid polentæ [g] ne dilabantur ſed conſiſtant. hactenus de curatione febris hæcticæ.

a Gal. x. meth. cap. x.
b Galen. 11. meth. c. 20
c Gal. x. meth. cap. x.
d Galen. ibidem.
e Gal. x. meth. cap. 9.
f Galen. ibidem.
g Galen. ibidem.

Quid ſit Maraſmus, & quas ſpecies, ac differentias habeat. Cap. VII.

INTER morbos, qui propriam & vberiorem deſiderant tractationem, refertur etiam tabes, quam nunc hæcticæ ſubijciendam eſſe iudicauimus, cum quod plerumque cum ipſa copuletur, tum quòd immoderatio itidem ſit temperationis, ſed ad ſiccitatem ſpectans, vt hæctica [h] ad calorem, quamobrem hic locus maxime tabis tractationem exigere videbatur. vocatur autem à latinis tabes ſiccitas totius corporis, quam ſequitur macies, & corpora, quæ ita exiccantur vt gracilia fiant, tabeſcere dicuntur, ſicut & cauſa, quæ ipſam affert, tabifica vocatur, Græce autem eiuſmodi

h Gal. p. de diff. febr. cap. 9.

ſmodi ſiccitas appellatur μάρασμος,[a] non ἀπό τ῀ μεμάρανθαι, quod eſt, tabefactum eſſe, ſed ἀπό τ῀ [b] μαρένεσθαι quod eſt tabefieri; neque enim vere tabefactum eſt corpus cui accidit, quia non viueret, ſed tabefit, tranſlatum autem vocabulum eſt à flammis, quę vbi fomitis inopia deficiunt μαρενεσθαι[c] dicũtur vſurpatur autem maraſmi vocabulum non tantum ad animalia, ſed etiam ad ſtirpes quæ inopia alimenti inareſcunt; quamquam interitum ſtirpium à ſiccitate proprio vocabulo appelletur à Gręcis [d] ἄβανσισ. verum maraſmus in animalibus vſurpatur ad ſignificandam ſiccitatem totius corporis, ſed in ſtirpibus non tantum totius ſed etiã partis. intereunt animalia ac ſtirpes non ſecus ac cætera quæ mortalia ſunt, teſte Hippocrate, [e] cum calor, frigus, humor, aut ſiccitas ita exuperat, vt extinguat contrariam qualitatem, ſed ille interitus duntaxat dicitur maraſmus ſeu tabes. qui proficiſcitur ab [f] exceſſu ſiccitatis, loquor de interitu qui fit, non de eo qui iam factus eſt; magis tamen proprie eo nomine appellatur cum ſiccitas eô peruenit vt [g] curari amplius non poſsit: ſed cum debeat hęc ſiccitas eſſe in vniuerſo corpore neceſſe eſt ſit in [h] corde, alioquin neque eſſet in toto corpore neq; diceretur maraſmus: poteſt quidem in alijs partibus ſiccitas eſſe quamuis non ſit in corde & iecinore, quæ viſcera cum validiſsimã habeant facultatem alliciendi alimentum, poſtremo [i] omnium tabeſcunt, & cum tabeſcere incipiunt, neceſſe eſt reliquas partes tabuiſſe. Subijciuntur tabi plures ſpecies, non illæ quidem tres ἀτροφία, κακεξία, & φθίσισ, quas non [k] nulli ponunt; ſunt enim magis cauſę, vt in ſequentibus patebit, quam ſpecies tabis; ſed illæ quæ conſiſtunt in diuerſa [l] materia tabeſcente, nam, vt febrium ſpecies diuerſæ ſunt pro diuerſis partibus in quibus calor verſatur, ita par eſt diuerſas eſſe ſpecies ſiccitatis ac tabis pro diuerſo humore qui abſumitur. Sed cum triplex [m] hic ſit in partibus ſolidis ad quas tabes ſpectat, totidem aſſerendum eſt eſſe ſpecies tabis. Ineſt partibus ſolidis triplex [n] humor vnus veluti ros ipſis inſpergitur, à quo aluntur, altero continetur caro & adeps, tertio ipſa ſubſtantia vere ſolida membranarum ac fibrarum & partium omnium quę ex ſemine procreantur. primam ſpeciem tabis dicemus eſſe cum primus humor abſumitur, ſecundam, cum ſecundus, tertiam cum tertius. quartus verò humor, hoc eſt ſanguis qui reſidet in paruulis venis atque arterijs, cum abſumitur non efficit quartam ſpeciem tabis, neque enim ita neceſſarius eſt ad ſolidarum partium munera ſicuti triplex ille quem diximus, adeo vt cum abſumitur non ſtatim ſequatur tabes. Tres igitur tantum ſtatuemus eſſe ipſius ſpecies · quod ſi malis non ſpecies, ſed potius tres gradus ſiccita-

a Galen. l. de marcore cap. p.
b Galen. ibidem.
c Ariſt. l. de Iuuentute & ſenectute & Gale. l. 4. de cau. pulſ. cap. x.
d Ariſt. l. 5. de gener. animal ca. 3. & Gal. l. p. de Tu. val. cap. 2.
e Gal l. p. de natura humana.
f Galen. l. de marcore. cap. p.
g Galc. p. de diff. febr. cap. 9.
h Galen. de marcore. cap. 5.
i Galen. ibidem.
k Cor. Celſus l. 3. ca. 22.
l Gal. x. meth. cap 11.
m Gale. ibidem & p. de differ. febr. cap. 9.
n Galen. Ibi dem & Auic. l. 4. f. p. tr. 3. c. p.

tis appellare, non litigabimus de nomine, tantum addemus non ita exquisite accipi speciei vocabulum sicut à philosopho, neque aliunde magis sumi potuisse species tabis quam à diuersa substantia tabescente. Cuiuscumque autem speciei sit tabes pluribus distinguitur differentijs, ex quibus illæ potissimum attendun tur, quas in hæctica febre etiam diximus attendi; quòd scilicet tabes aut simplex est, aut composita, simplex dicitur cum solus [a] est excessus siccitatis, seruata quantum sensu percipi potest moderatione frigoris & caloris: componitur verò vbi vel cum calore, vel cum frigore, vel cum inęqualitate quadam frigoris & caloris coniungitur. Componitur cum calore in hæctica illa febre quæ græce dicitur [b] μαρασμώδης, appellabatur autem à Philippo μαρᾶσμος [c] περιφρυγής, hoc est torridus. Componitur autem cum frigore vel naturaliter, vt in senectute, [d] quæ tabes cum naturalis sit, non numeratur in morbis; vel præter naturam, diciturque [e] à Philippo γήρας ἐκ νόσου, hoc est senium ex morbo. cum inæqualitate vero frigoris & caloris, vocatur ab eodem [f] συγκοπώδης quod afferat συγκοπὴν, hoc est animæ defectionem, huiusmodi igitur sunt species ac differentiæ tabis.

a Galen. de marcore. cap. p.

b Galen. p. de diff. febr. cap. 9.

c Gal. de marcore ca. 5.

d Ibidem. cap. p.

e Gal. 7. meth. cap. 6. & 4. de caus. puls. cap. x. & 1. de marcore cap. p.

f Galen. ibidem cap. 5

De causis Tabis. Cap. VIII.

CAVSAS tabis primo communiter inuestigare oportet, tum à qua quæuis species ac differentia proprie proficiscatur explicare. In vniuersum igitur tabes cum sit siccitas [g] & cordis & totius corporis ab illis causis oritur, à quibus supra [h] generatim oriri siccitatem monstrauimus, sunt autem partim externæ, partim internæ, externæ sunt aer, cibi, potiones, & medicamenta, quæ vel sicca sunt, vel etiam calida; ad externas, quòd euidentes sint, redigi potest immoderatio [i] vigiliæ, motus, animæ perturbationum, expulsionis. ad internas referuntur febres omnes siue diariæ sint siuæ hæcticæ siue ex numero earum quæ in humorum putredine consistunt. huc spectant etiam praui quidam affectus tota substantia pugnantes cum natura nostra, qui vltra quam credibile est, corpus nostrum exsiccant. Sed cum siccitas vna sit qualitas necesse est ab vna causa per se oriatur, ab alijs verò quatenus hoc pacto referuntur ad hanc. Quicquid per sè siccat necesse est siccum sit siue tactu tale appareat veluti puluis & arena, siue facultate tantum quemadmodum acetum & muria, quæ quamuis humida appareant siccandi tamen facultatem habent, quicquid igitur per se siccat, aut tangitur siccum, aut facultate tale est, huiusmodi sępe numero sunt aer, veluti [k] aquilonius in montibus,

g Galen. de marcore cap. p. & cap. 5.

h Supra l. 2. de curatione gener. c. x. par. p.

i Gal. 7 meth. cap. 6. & 1. de caus. morb. c. 4.

k Galen. de caus. morborum. c. 4

cibus

cibus vt piſciculi ſaliti, potio vt vinum auſterum, medicamenta, quemadmodum ſales theriaci. Reliqua omnia quæ neque tactu neque facultate ſicca ſunt ſi ſiccant corpus noſtrum, id non per ſe efficiunt, ſed alio interiecto medio, quòd humorem quo partes noſtræ continentur aut exhauriunt ſiue latenter ſiue aperte, aut vbi naturaliter abſumatur refici non ſinunt. Abſumunt humorem latenter quæcumque calefaciunt, & eò magis, quò magis calefacere poſſunt. hoc nomine nimius motus, ac labor [a] corporis, animi perturbationes, & curæ hominem tabefaciunt. ad calorem referuntur & febres quæ ſimiliter tabificæ ſunt. Abſumitur & humor latenter à quadam vi, ac repugnantia totius ſubſtantiæ, quemadmodum ob virus aut canis rabioſi, aut viperæ [b] dipſadis. Aperte verò exhauritur humor in alui profluuio, in leuitate aut difficultate inteſtinorum, in vlcere pulmonis, aut in alia eiuſmodi vomica, in fluxu vrinæ vel ſeminis, & in vniuerſum ex quacumque parte corporis plurimum effundatur, ſiue etiam ex foraminibus [c] cutis quemadmodum nimius ſudor. At cum non reficitur [d] quod naturaliter abſumitur à calore tam externo aeris circumfuſi, quam interno ac corporis noſtri neceſſe eſt exſiccari atque extenuari ſolidas partes; tunc autem non reficitur cum aut non ſumitur [e] cibus & potio, aut ſi ſumatur, non concoquitur, aut coctus non diſtribuitur neque agglutinatur partibus reficiendis. non ſumitur vel quod non ſit, vel quod ſeu ob melancholicam ſeu ob aliquem ventriculi & gulæ affectum reijciatur. Non coquitur, non allicitur, non agglutinatur, quòd vel viſcera, vel canales, vel ipſæ etiam partes quæ nutriendæ [f] ſunt ægrotent, ob quancumque cauſam non reficiantur partes neceſſe eſt ſiccentur ac tabeſcant. Hæ ſunt in vniuerſum cauſæ effectrices ſiccitatis ac tabis, cum quibus, ſi concurrat habilitas corporis laborantis ad tabem, multo celerius ac magis tabeſcet; maxime autem habiles ſunt, qui naturaliter calidi ſunt [g] & ſicci, ſunt enim proximi tabeſcentibus, ac ſi paulo vlterius ſiccentur iam in tabem incident, quamquam renititur eorum ſubſtantia quæ durior eſt, neque facile abſumitur quemadmodum ſi mollis eſſet vt in pueris qui hoc nomine celeriter ac facile tabeſcunt, [h] quòd celeriter ac facile ipſorum ſubſtantia diſſipetur. vide vtra magis conferat ad tabem, naturalis nè ſiccitas quod non multum diſtet ab ea, an ſubſtantia mollis ac tenera quæ paruo negocio diſſipatur. Species tabis omnes ab ijſdem cauſis proficiſcuntur, ſiue internis ſiue externis, ſiue per ſe ſiue alio interiecto medio ſiccantibus, tantum maiorem vim neceſſe eſt habeant quæ grauiorem efficiunt ſpeciem tabis. Primam ſpeciem [i] diximus eſſe cum abſumitur humor

a Galen. ibidem.

b Galen. de Theriaca ad Piſon. c. 8.

c Galen. de cauſ. morb. cap. 4.

d Galen. ibidem.

e Galen. de marcore. cap. p.

f Galen 3. de cauſ. ſymp. cap. 2.

g Gale. p. de diff. febr. c. 9. in fine

h Gal. 9. meth. cap. 17.

i In hoc libro cap 7.

humor ille qui inhæreſcit partibus ſolidis vt eas nutriat, hęc cum leuis ſit à leuibus oritur cauſis. Secundam cum abſumitur ille ex quo conſtat caro & adeps, atque hæc vt validior eſt ita à validioribus fit cauſis. Tertiam cum abſumitur ille quo continentur partes vere ſolidæ & quæ ex ſemine procreantur, hæc vt validiſsima eſt ita à validiſsima oritur cauſa effectrice, & ab habilitate ægrotantis maxima. diximus [a] habilitatem conſiſtere vel in ſiccitate, vel in mollitudine ſubſtantię. effectrix cauſa vel ſua vi valida eſt, vt febris ardens, vel diuturnitate vt leuior febricula, vtraque enim quamlibet tabis ſpeciem poteſt afferre. Differentiæ tabis fiunt à propoſitis cauſis ſed aſſumentibus ſimilem differentiam, ſimplex tabes oritur à ſimplici cauſa, compoſita tabes à compoſita cauſa; diximus [b] autem ſimplicem eſſe tabem cum ſola eſt ſiccitas; quamuis non maneat diutius, nam ſimul affert aut frigus ob inopiam humoris quo nutriri calor debet, aut calorem quòd abſumatur nimia illa copia humoris à quo obruebatur: oritur autem ſimplex tabes ac ſola ſiccitas tantum ab inopia cibi & [c] potionis ob quamcumque externam cauſam non ſumatur: deficit enim humor qui aſsidue abſumitur vbi non reficiatur, ſeruaturque tunc moderatio frigoris & caloris; quamquam proceſſu temporis vt proxime diximus ſeruari non poſsit, ſed neceſſariò iungatur cum calore, aut cum frigore. Alię cauſę omnes ſiue ſiccent per ſe, ſiue quatenus aut latenter, aut aperte humorem exhauriunt, ſiue quatenus eum qui aſsidue abſumitur refici non ſinunt, efficiunt tabem non ſimplicem ſed iunctam cum alio affectu. Fac tabem compoſitam eſſe, afferunt hanc compoſitæ cauſæ ſeu diuerſæ ſint ſeu eædem multiplicem & compoſitam vim habentes, ita vt ſimul exſiccent & calefaciant aut refrigerent, aut vtrumque inæqualiter preſtent. Tabes cum calore iuncta quemadmodum in [d] hęctica febre fit à cauſis ſimul calefacientibus & ſiccantibus, ſiue externis ſiue internis, cuiuſmodi ſunt eryſipelata & inflammationes; illa verò quæ cum frigore copulatur, ſi naturalis eſt fit à calore naturali tandem [e] abſumente humorem illum in quo conſiſtit quemadmodum ſenibus accidit: ſi ſit præter naturam quemādmodum ſenium [f] ex morbo, fit ob vſum frigidiorum remediorum, quę aut nimis valida aut nimis diu, ſiue intus ſiue extra, fuerint adhibita. Quòd ſi cum tabe copuletur inæqualitas frigoris & caloris, quę ob pugnam & mutationem quandam excitet animæ defectionem, cauſare [g] oportet vſum ſimiliter frigidiorum quæ in alijs partibus cordis extinxerint, in alijs reliquerint calorem præter naturam.

a In hoc eodem cap.

b In hoc libro cap. 7.

c Galen. de marcore cap. p.

d Gale. p. de diff. febr. cap. 9.

e Gale. p. de Tuen. val. cap. 2. & l. de marcore c. 2. & 4.

f Galen. l. de marcore. cap. p. & 5.

g Galen. de marcore. cap. 5.

De symptomatibus Tabis. Cap. VIIII.

SYMPTOMATA quæ tabem sequuntur sunt primo imbecillitas ferè omnium actionum, [a] nisi siquæ sint quę siccitatem ament vt sensus. in his quæ expelluntur nihil apparet liquati, [b] ne que enim conspicitur adeps quemadmodum conspici solet in vrina eorum qui ardente ac praua febre iactantur, id enim quod paulatim tabescit latenter discutitur. Ex affectibus & qualitatibus corporis interit flox coloris & partes omnes apparent graciles, cutis corij modo dura est, laxa tamen, nam, vt præclare nos docuit Hippocrates, [c] macies laxat, refectio tendit: mammæ cum lactis plenę sunt distentę apparent, cum emunctæ laxiores conspiciuntur, quamquam extrema siccitas ac macies easdem contrahit. Symptomata hæc leuia sunt in prima specie tabis, grauia in secunda, grauissima in tertia, ita vt tantum supereſſe cutis & ossa videantur, reddanturque vngues adunci, & facies qualem de scripsit Hippocrates [d] in prognosticis; sunt enim nares acutæ, tempora collapsa, caui oculi, cutis in fronte dura. Pertinent symptomata hæc ad simplicem tabem. Compositam præter hæc alia sequuntur attinentia ad calorem, ad frigus, ad inæqualitatem vtriusque: proprie enim [e] ad hanc spectat animæ defectio quam diximus. Ad frigus cum siccitate iunctum referuntur ea effecta sub quouis trium generum siue sint actiones, siue retenta & expulsa, siue affectus & qualitates corporis quæ senum propria esse constat, quamquam in his naturalia sunt, in senio ex morbo præter naturam, veluti imbecillitas actionum omnium, sensus hebetes, respiratio parua, tarda, ac rara, cruditas eorum quæ expelluntur. ex affectibus corporis color plumbeus, frigus ac durities cutis: sed si tabes cum calore copuletur vt in hęctica febre, symptomatibus tabis adijciuntur ea quæ paulo supra [f] recensuimus cum hæcticam febrem tractaremus.

a Galen. 2. aphorism. com. 20.
b Gal. x. meth. cap. 11.
c Hipp. 3. 6 epid. 29.
d Hippoc. p. prognost. 6 & 7.
e Galen. de marcore cap. 5.
f Supra in hoc libro cap. 4.

De signis Tabis. Cap. X.

SED iam tempus est ad ea pergere, quæ cognoscenda sunt in homine qui tabe laborat, siue præsentia siue futura. Ex præsentibus morbus, hoc est ipsa tabes, seu siccitas cordis & propria totius corporis, non potest sensu deprehendi, neque. n. tangi aut conspici corpotest: in externis verò partibus quæ & tractantur & cernuntur, siccitatis & humoris excessus nequeunt solo tactu diudicari, sed necesse est simul accedat ratio, percipit tactus

g Gale. 2. de Temper. cap. 3.

ctus per mollitudinem humorem , per duritiem ſiccitatem ; ſed ratio eſt quæ diſcernit mollitiem proficiſci ab humoris copia , non à calore liquante, duritiem à ſiccitate , non autem à frigore: ſenſu igitur & oculorum & tactus accipitur & durities & macies partium externarum , non tamen ſiccitas earundem , ſed & multo minus cordis. relinquitur ergo vt tabes ratione depræhendatur ; qua mobrem coniicienda eſt , primùm ex cauſis ; vbi .n. corpus [a] alioquin gracile & ſiccum ſit, vel etiam molle quod facile diſsipari poſsit, & antegreſſæ ſint cauſæ ſiccandi vim habentes, ſiue per ſe quemadmodum illa quæ tactu vel facultate ſicca ſunt, ſiue quatenus humorem aut exhauriunt , ſeu latenter ſeu aperte, aut non ſinunt refici eum qui alioquin abſumitur , de his faciemus coniecturam ipſius tabis : fiet eadem ex his quæ proſunt vbi talia ſint vt vel madefaciant vel occurant cauſis exſiccantibus , tum ex his quę obſunt quouis modo ſiccando. at multo magis colligitur tabes ex effectis , & primo ex actionibus. cum tabes præcipue referatur ad cor, neceſſe eſt debilitetur actio facultatis vitalis quæ reſidet in corde ; quamobrem pulſus [b] & languidus efficitur & paruus ; durities verò , quam acquirit non tribuenda eſt facultati debilitatæ, ſed magis ſiccitati quę duram reddit arteriam. debilitantur cum pulſu alię actiones omnes, cum perficiantur à ſpiritibus vitalibus; id quod preſtare non poſſunt cum pauci ſunt & languet facultas cordis : quod ſi mens aut ſenſus adhuc vigere videatur , non ita magnum robur poſtulant , neque ita multos ſpiritus , cum intelligere [c] & ſentire ſit magis accipere quã efficere . Præter læſionem actionum ſuperuenit tabi mutatio qualitatum ; interit .n. nitor ac veluti flos quidam coloris qui prius aderat, cutis diſtenta & dura ſentitur & totũ corpus ſquallidum quale illud eſt quod via æſtuoſa & puluerulenta iter fecit : adeſt & gracilitas omnium partium . ea verò, quę detinentur ac detruduntur , parum indicant tabem, neque .n. multa excernuntur aut pinguia, [d] quemadmodum in febribus ardentibus, cum quod tabeſcit paulatim & latenter diſsipetur : inhæreſcit oculis humor quidam coactus & quaſi peruſtus. Signa hæc tabem in vniuersũ demonſtrant, ſed quo pacto diſcernantur ſpecies, ac differentię quas propoſuimus, perpendere nunc operę precium eſt. ſpecies igitur ternæ propoſitę [e] ſunt, prima cum abſumitur quaſi ros, qui ſolidis partibus in ſpergitur, ſecunda cum humor ex quo conſtat caro & adeps , tertia cum illæ quo ſubſtantia partium vere ſolidarum continetur . Monſtrantur hæ ſpecies ab iiſdem ſignis, à quibus totum genus indicari dictum eſt, tantum differunt ſigna inter sè quãtum ſpecies ipſæ demonſtrandę. differunt hę, quòd prima grauis [f] eſt, ſecunda grauior,

a Galen. p. de diff. febr. cap. 9. & l. de marcore cap. 5.

b Gale. 4. de cauſ. pulſ. cap. x. & l. de marcore cap. 5.

c Ariſt. l. 3 de anima Tex. 44 & l. 3. de anima cap. 5.

d Gal. x. meth. cap. 11.

e Supra in hoc libro cap. 7.

f Gale. p. de diff. febr. cap. 9.

grauior, tertia grauiſsima: quamobrem ſigna quæ monſtrant primam parua ſunt, quæ ſecundam magna, quæ tertiam maxima; plurimum autem in indicando ſpecies poteſt ipſa gracilitas, quæ cum adhuc leuis eſt in partibus externis, denunciat tabem incipere, & adhuc leuem eſſe in ſubſtantia cordis, magis .n. & celerius tabeſcunt aliæ partes quam cor, quod maximam[a] habet facultatem alliciendi humorem quo alatur, ſicut proxime ab eo ipſum iecur. ſi increſcat ipſa gracilitas & magna[b] appareat in partibus externis. tunc incipit caro cordis tabeſcere & iam facta eſt ſecunda ſpecies ſed cum macies ſumma eſt videturque corpus cute duntaxat & oſsibus contineri, quemadmodũ in facie illa cadauerosa, quam Hippocrates[c] deſcripſit cum oculi concaui ſunt, nares acutæ, tempora collapſa, facta eſt etiam tertia ſpecies tabis, cæpitque ſubſtantia vere ſolida cordis tabefieri. Iam verò & differentiæ, quibus diſtinguitur quæuis ſpecies tabis, ipſæ quoque à propoſitis indiciis ſignificantur aſſumentibus tamen ſimilem differentiam. Ergo tabes aut ſimplex eſt, aut compoſita, quæ ſimplex eſt illis indiciis denunciatur ſed ſimplicibus, hoc eſt non iunctis cum his quæ monſtrant alium affectum, ex contrario demonſtrãt ſimul cum indiciis tabis ea quæ denunciant affectum cum ipſa compoſitum. Ergo vbi notę, à quibus denunciari tabem in vniuerſum docuimus, ſolę ſine aliis fuerint, ſimplicem tabem denunciant. illud autem obliuiſci non oportet, quod paulo[d] ſupra monſtrauimus cum cauſas perſequeremur, ſimplicem tabem ab vna duntaxat cauſa oriri, inopia videlicet cibi & potionis, ex quo ſequitur vt ex cauſis hæc ſola ſimplicem denunciet. ſi tabes componatur cum calore veluti in febre hæctica, ſimul cum ſignis tabis ea ſe oſtendent quę febrem hæcticam ſignificant: maxime autem intuebimur pulſum & anhelitum, hic enim calidus reddetur, ille ſentietur[e] paruus, frequens celer, & durus. ſequitur durities pulſus non febrem vt crebritas & celeritas quemadmodum voluit Archigenes, ſed tabem. Quòd ſi tabes cum frigore copuletur hoc aut naturale erit, aut pręter naturam, ſi naturale iam ſenium eſt, quod & ex cauſa vt ex longa ętate acta, & multo magis ex effectis colligitur, quæ ſenectutem ipſam omnibus patefaciunt; quòd ſi eiuſmodi frigus cum ſiccitate copulatum pręter naturam fuerit, vt in ſenio ex morbo, eadem apparebunt effecta quæ in ſenio naturali: ſed ſimul etiam intelligetur ex cauſis, vt ex nimio atque intempeſtiuo[f] vſu frigidorum. inæqualitas verò frigoris & caloris quæ cum tabe aliquando coniungitur, colligenda eſt ex ſignis monſtrantibus tabem, & ſimul ex his quæ inęqualitatem hanc veluti ex cauſis, vt ex vſu ſimiliter intempeſtiuo[g] ac nimio,

a Galen. de marcore. cap. 5.

b Gale. p. de diff. febr. cap. 9. & 7. meth. ca. 6.

c Hippoc. p. prognoſt. Tex. 7.

d Supra c. 8. huius lib.

e Galen. l. de marcore c. 5. & l. 4. de cauſ. pulſ. cap. x.

f Galen. de marcore cap. 5.

g Galen. ibidem.

frigidorum, in homine febricitante qui tamen in omnibus partibus extinxerit ipſum calorem prẹter naturam ſed in aliquibus ipſum reliquerint; tum ex ijs, quę vel iuuant cum mediocritatem quandam obtinent inter calida & frigida, vel nocent vbi nimio calore vel frigore excedant. poſtremo ex effectis ſimul caloris & frigoris iunctis cum ſymptomatibus ſiccitatis, ſed proprium ſymptoma huius tabis diximus eſſe animæ defectionem, ob quam vocatur à Philippo [a] Medico μαρᾶσμος συγκοπώδης, ita que ab animæ defectione potiſsimum demonſtratur: ſed ſatis de recognitione morbi. Cauſa ſi adhuc præſens eſt quemadmodum febris ardens aut hęctica, vel inflammatio, aut eryſipelas viſceris alicuius, conijcienda eſt ex ſuis notis quas ſuo loco tractamus. Symptomata reſtant ex præſentibus, quæ tabi ſiue ſimplici, ſiue compoſitę diximus ſuperuenire, omnia autem, cuiuſcumque generis ſunt, ſub ſenſum cadunt ita vt non opus ſit indicijs à quibus demonſtrentur. Prognoſticum ſupereſt, prẹſagire enim tabis euentum oportet vnà cum tempore ac via ipſius. poteſt euentus & ſalubris & pernicioſus eſſe, vtrum magis expectare debeas intelliges ex cauſis hoc eſt ex robore naturæ & morbi, maior [b] ſpes eſt vbi natura magis poteſt morbo reniti, maior timor vbi morbus validior ſit & magis poſsit naturam ſuperare. renititur magis tabi natura illa quę calidior eſt & humidior, ad quam ſpectat ætas puerorum; habet enim hæc cum incipit tabes plus humoris, adeo vt non ita celeriter exſiccetur ſubſtantia ſolida. præſtat etiam magis facultate reficiente quòd abſumptum eſt, vbi alioquin refici poſsit, calida enim & humida [c] corpora magis coctionem perficiunt & melius nutriuntur, ita vt ætate tenera, non tantum recuperent quod aſsidue abſumitur; ſed etiam augeantur, quod contra euenit frigidis & ſiccis, ita vt minus contra tabem renitantur, melius agitur cum calidis & ſicſicis propter calorem, cum frigidis & humidis propter humorem ita vt magis reficiãtur vbi tabeſcere incipiunt, quam frigida & ſic ca; optime tamen omnium affecta natura & calida & humida eſt, paruo enim negocio reficit quod alioquin refici poteſt, quamquam vt in [d] ſuperioribus monſtratum eſt cum de cauſis agerẹmus, facilius diſsipatur. Robur morbi hoc eſt tabis non ſemper æquale eſt, ſed maius vel minus pro alia ſpecie ac differentia ipſius, ſpecies tabis ternas [c] poſuimus, vnam cum conſumitur ille humor, qui roris modo ſolidis partibus inhæreſcit: altera cum ille qui in carne & adipe conſiſtit: tertia cum ipſa humida ſubſtantia qua ſolidæ partes continentur. Quòd ſi abſumatur ſanguis tenuium venarum atque arterierum, illa non eſt ſpecies tabis cum

a Galen. ibidem

b Galen. de conſt. artis c. 18. & 4. de præſag. pulſ. c. 11.

c Gale. 3. de cauſ. ſymp. cap. vlt.

d Supra in hoc libro c. 8. & Galen. 9. meth. cap. 7.

non

non dum lædantur actiones partium ſolidarum, neque enim per eiuſmodi ſanguinem funguntur ſuis muneribus, paruo autem negocio alius nouus gignitur ex cibis & potionibus bene in ventriculo & iecinore concoctis: tantum igitur tres illæ prius poſitæ cenſentur ſpecies tabis, ex quibus prima facile [a] ſanatur, neque .n. difficile eſt gignere eum humorem qui roris modo ſolidis partibus inheret vbi ſit copia boni ſanguinis & partes ſolidæ alioquin bene habeant; neque .n. ex eius conſumptione adeo debilitatæ ſunt vt nequeãt ſanguinem vertere in eiuſmodi rorem, ex quo tanquam idoneo & parato aliméto ali debent. At non æque facile curatur [b] ſecunda ſpecies; difficilius enim eſt reficere carnem & adipem quam eiuſmodi rorem, & quòd maiori mutatione opus ſit, & quòd partes à quibus mutari debet alimentum, & ſimile reddi, caro ſcilicet tabeſcens & adeps, factæ ſunt imbecilliores, ita vt hæc ſecunda ſpecies difficulter curetur. Tertia cum tabeſcit ſubſtantia ipſa partium vere ſolidarum, nullo [c] pacto ſanari poteſt, ſed bene agitur cum homine ſi non vlterius tabeſcat, ſi reſtitui poſſet eiuſmodi humor, poſſent [d] ſenes reuerti ad iuuentutem, & ita homines fieri immortales, ſanareturque neruorum diſtentio orta à ſiccitate quam conſtat eſſe [e] inſanabilem. gignuntur partes ſolidæ ex ſemine non autem ex ſanguine quemadmodum caro & adeps, nequeunt [f] autem reficicum intereunt, neque enim tanta vis ſeminis ſuppetit, aut tanta eſt facultas effigens, quanta neceſſaria eſt ad eiuſmodi partes gignendas: niſi ſi quando paruula vena atque arteria abſciſſa in vulnere rurſus gignatur vt in adoleſcentibus boni habitus. alię partes vere ſolidæ quæ ex ſemine procreatæ ſunt nequeunt iterum gigni cum intereunt, ſoiummodo enim reficitur [g] in ipſis quod naturaliter quotidie conſumitur; vbi verò præter naturam tabeſcant ob inopiam materię & imbecillitatem facultatis, non recreantur amplius ſed relinquitur vitium inſanabile, perinde atque vbi interit fragmentum nerui oſsis aut alterius partis ortæ ex ſemine. Accedit & imbecillitas earundem ſolidarum partium, quę tabeſcentes adeo debilitantur, vt nequeant tantum ſanguinis in ſuum alimentum mutare, quantum neceſſarium eſt ad reſtituendum quod tabuit, poſtulat enim hoc validam facultatem quali prędituſ eſt fętus in vtero; at hæc iam in lucem editis in dies debilior redditur etiam cum homines ſani degunt, ſed cum tabeſcunt, maxime imbecilla. adde quod & ſiccitas quam partes contraxerunt non ſinit admitti humorem alentem, & frigus, quod proceſſu temporis [h] neceſſario ſiccitatem conſequitur nequit humorem illum qui admittitur ſimile reddere ita vt non mirum ſit ſi non curetur tertia ſpecies tabis: ſed hominem interi-

a Gale. p. de diff. febr. cap. 9.

b Galen. ibidem.

c Galen. p. de differ. febr. cap. 9.

d Galen. l. de marcore cap. 2. & 4.

e Galen. 5. aphoriſm. com. p.

f Galen. l. de conſt. artis cap. 7. & p. de ſemine. cap. 11.

g Gal. ibidē

h Gal. 7. meth. cap. 6.

interimet. Quod attinet ad differentias vbi tabes sit eius speciei, quæ curationem accipiat, facilius curatur simplex hoc est sola siccitas, magis periculosa est composita & maiori negocio sanatur: facilius enim superatur vnus hostis quam plures. auget difficultatem in composita tabe, quòd sępe remedium vnius affectus reddit alterum maiorem. Si tabes iungatur cum hęctica duplex est periculum, vnum ob siccitatem, alterum ob calorem: vtriusque [a] enim qualitatis excessus naturam labefactat, sed calor præterea auget siccitatem, & primam speciem mutat in secundam, dein hanc in tertiam; perurit enim partes [b] solidas perinde atque in lucerna fomitem ipsa flamma, quem adeò aridum reddit vt dissoluatur & non amplius consistat; difficilius tamen est siccitatem sanare quam calorem; humor enim qui siccitati medetur parum [c] efficax est, contra frigus quod calorem moderari debet efficacissimum, [d] periculosum tamen, interdum enim calorem vel alicuius partis, vel etiam totius corporis extinguit. Grauis quoque tabis est, quę cum frigore coniungitur præter naturam: nam licet non difficile sit calefacientibus, quę similiter efficacissima sunt, frigori occurrere, timendum tamen est, ne ea quæ plurimum calefaciunt siccitatem augeant, atque insanabilem reddant, leuioribus verò calefacientibus non cedit frigus quod substantia solidarum partium iam concepit; quamquam diutius trahuntur qui laborant tabe coniuncta cum frigore præter naturam, quem affectum diximus [e] appellari senium ex morbo, cum alioquin secundum naturam extrema senectute [f] reddatur corpus nostrum frigidum & siccum, non quò id fuerit naturæ consilium quæ vnum quodque perficit, sed quò necessariam materiam sequatur processu temporis frigus & siccitas: materia enim ex qua principio coagmentamur calore & humore [g] exuperat, huius exuperantia necessaria est vt fingantur partes nostri corporis, illius vt fingere easdem possit, Processu temporis humor innatus consumitur à calore tam [h] interno quam aeris circumfusi ita vt siccetur corpus, exhalante verò humore, simul necesse est exhalet calor qui in eo consistit, quò fit vt corpus reddatur frigidius & siccius, quod [i] senium est. Calor verò innatus, qui vim [k] habet effingendi, augendi, alendi partes nostras, non est similis illi qui ligna non perficit sed tantum deuorat atque in cinerem vertit; quamquam & innatus calor ob siccitatem materiæ absumendo humorem vitam nostram quam procreauit tandem extinguit: quam sententiam nonnulli volunt fuisse Hippocratis, nequit [l] autem euitari & senium & interitus, id enim quod assidue reficitur ex alimento in dies frigidius & siccius est & non omnino simile ei quod perijt;

a Galen. 2. aphorism. com. 20.

b Gale. p. de differ. febr. cap. 8.

c Gal. x. meth. cap. 3.

d Galen. ibidem.

e In hoc libro cap. 8.

f Galen. p. de Tuen. val. cap. 2. & l. de marcore cap. 2. & cap. 4.

g Galc. p. de Tuen. val. cap. 2.

h Galen. ibidem.

i Galen. ibidem.

k Galen. p. aphorism. com. 15.

l Galen. p. de Tuen. val. cap. 2. & l. de marcore c 2. & 4.

tantum

tantum [a] poteſt differri & ſenium & interitus recta ratione victus vt cibis & potionibus madefacientibus, balneo, quiete: ſomno, molli cubili, quę Vlyſſes apud Homerum præcipit vt Laerti parentur tanquam ſenibus idonea. quam ridicule [b] verò decipiantur illi qui ſenectutem & interitum euitari docent vel recta ratione victus vt memoria Galeni Ægiptius [c] quidam philoſophus, vel epoto auro vt nuper Medicus quidam, qui ad immortalitatem ſpectans docuit quo pacto ita paretur vt bibi poſſet, res ipſa demonſtrat. ſed vt præclare ſcripſit [d] Lucretius.

„ *Certe æquidem finis vitæ mortalibus aſtat*
„ *Nec euitare lætum pote quin obeamus.*

a Galen. ibidem.

b Galen. l. de marcore cap. 2.

c Lucretius l. 3. in fine.

d Galen. de marcore. cap. 5.

Si tabes cum inæqualitate frigoris & caloris iungatur multo magis periculoſa [e] eſt quam ſi aut cum calore, aut cum frigore tantum copularetur, & ob remedia quæ cum medentur vni alteram augent, & ob animę defectionem quam ex eiuſmodi inęqualitate diximus oriri; docet enim [f] Hippocrates eos de repente mori qui ſine cauſa manifeſta plurimum & vehementer exoluuntur. Tempus verò euentus futuri longius vel breuius eſt pro maiori vel minori exceſſu ſuperantis cauſæ, ſiue naturæ ſiue morbi. ſi natura debeat ſuperare morbum ita vt ſequatur ſalus, celerius ſequetur vbi & ipſa multo validior erit, & tabes leuior qualem diximus eſſe ſimplicem ac primæ ſpeciei. Si tabes non ita leuis ſit; & natura non ita valida, tardiorem ſalutem expectabis. Contra euenit cum timetur interitus, ſi natura valde imbecilla ſit & tabes multo validior, aut compoſita ac tertiæ ſpeciei, & iam diuturna, celerem interitum prædices. Si natura minus imbecilla ſit, & tabes non adeo validior tardiorem præſagies interitum. Via, qua expectatur ſalus, partim ad artem refertur quæ cibo & potione madefaciat partes exſiccatas, medicamentis ſuccurrat calori ac frigori, partim ad naturam quæ alimentum concoquens reficiat quod abſumptum eſt. Via interitus ad exceſſum attinet vel ſiccitatis, vel etiam frigoris & caloris, tum ad ſymptomata vt ad animæ defectionem.

e Hippoc. 2. aphor. 41.

f Gale. 4. de præſag. ex pulſ. ca. 11.

De curatione Tabis. Cap. XI.

CVRATIO tabis quæ nunc ſequitur nobis tractanda, ad morbum præcipue dirigetur, nam cauſa aut iam præteriit, aut ſi adhuc tabem fouet, veluti febris hectica vel ardens, in ſuperioribus libris tractata eſt. Quòd ſi inflammatio vel eryſipelas ſiccitatem adhuc augeat quam attulit, quà de tumoribus præternaturam explicabuntur. Symptomata propria tabis nulla ſunt talia

vt non

vt non permittant expectari dum ipsa curetur: tantum animę defectio propriam curationem postulat, quam paucis monstrabimus cum in curatione membratim fusius exponere debeamus. Omissis igitur nunc causis & symptomatibus, in solam in sistemus curationem morbi hoc est tabis, quæ aut simplex est, aut compositа cum alio affectu. Inuestigabimus primò opera quæ ab vtrauis requiruntur, deinde instrumenta per quæ perficiantur. Simplex tabes cum sola sit siccitas præter naturam, vnum solum postulat opus contrarium, nēpe vt restituatur humor qui absumptus est, & ita partes exsiccatę tantum madefiant, non tamen refrigerentur aut calidiores reddantur: idem opus postulant non solum tres species tabis supra enarratæ, sed etiam inopia illius sanguinis[a] qui contineri debet in venis atque arteriis; quò autem maior est tabes eò maiorem curam desiderat & diuturniorem vsum madefacientium, maior autem est secunda species quam prima, & tertia quam secunda. nec est quod dubites an tertia species (quæ sanari non potest cum non reficiatur[b] substantia solida) postulet madefaciētia, nam potest per ea trahi diutius vita & differri absolutio tabis atque interitus. Tabes, quę cum calore coniungitur, cum duplex sit morbus duplici opere sananda est, refrigerare [c].n. & madefacere oportet corpus quod simul calidum præter naturam est & tabescit quemadmodum supra [d] docuimus in curatione febris hæticæ cum qua aut iam coniungitur, aut non multo post coniungetur tabes, quæ siue præsens siue imminens sit indicat opus esse madefacientibus, sed prętер hęc contra calorem pugnabimus per refrigerantia tam intus data quam extrinsecus [e] imposita. Illa vero tabes quæ cum frigore copulatur, aut naturalis est quemadmodum senium simpliciter, aut præter naturam quemadmodum senium ex morbo, vtrouis modo accidat requirit madefacientia simul & moderate [f] calefacientia, per quæ si non prohibetur absoluta tabes & interitus, tamen differtur: quod propositum est illius partis medicinæ quæ senes tuetur γηροκομικὴ græce [g] dicitur, efficit hoc madefaciendo & prohibendo ne siccitas celeriter absoluatur, sed diutius conseruetur innatus humor partium solidarum, quando fieri non potest, vt ille restituatur, qui iam consumptus est. Coniungi etiam cum tabe diximus inæqualitatē frigoris & caloris, quod vbi accidat, præter madefacientia quæ à siccitate requiruntur, media quædam adhibere oportet inter ea quę madefaciunt, & ea quæ refrigerant, hęc.n. tam frigoris quam caloris excessus remittunt, quæcumque .n. minus talia sunt præ magis talibus vim habent contrarij. Sed quia eiusmodi tabi superuenit animæ [h] defectio, huic quoque succurrere oportet

a Gal. 7. meth. cap. 6

b Gale. p. de differ. febr. cap. 9.

c Galen. l. de marcore cap. 9.

d Supra lib. præsenti cap. 6.

e Galen. l. de marcore c. 9. & l. 10. meth. c. 7.

f Galen l. de marcore. cap. 5.

g Galen. ibidem.

h Galen. ibidem.

tet

tet, id quod fiet si spiritus tum reficiantur ab alimento, [a] tum retineantur modice adstrictis foraminibus cutis. His ita constitutis de operibus quæ ad tollendam tabem, & simplicem & compositam necessaria sunt, persequemur instrumenta quibus perficiantur, si prius quædam præcepta exposuerimus, quę seruanda sunt cum illa eliguntur. Ergo, cũ ad tabem spectantes vtimur madefacientibus, erit nobis exploratum solummodo per cibum & potionem refici humorem absumptum; ita vt hęc sola [b] per se made facere possint solidas partes nostri corporis, quibus alimentum agglutinatur & simile redditur; cætera verò, quæ ad madefaciendum adhibentur, non posse humorem qui interijt restituere: sed vel ita parare partes nostri corporis vt facile accipiant humorem, quem alimentum suppeditat; vel prohibere ne plurimus postea absumatur. Valent igitur per se cibus & potus ad madefaciendum corpus sicuti inædia ad siccandum, quam Hippocrates [c] vtilem esse humidis corporibus docuit. animaduertere autem tam in cibo, quam in potione eorum, qui tabe laborant, oportet potissimum quantitatem, qualitatem, modum, & tempus. Quantitas quamuis multa requiratur, vbi multum humoris absumptum est, non tamen multa danda est, sed (eodem Hippocrate [d] auctore) quæ longo tempore extenuata sunt corpora lente reficere oportet, neque enim reficit humorem quod sumitur, sed quod cõcoquitur, concoqui [e] autem debet ab illis partibus quæ extenuatæ sunt; nequeunt autem ob imbecillitatem plurimũ alimenti superare sed necesse est paulatim reficiantur; & modus dandi cibum sit vt diuidatur, neque totus simul detur; sed quotidie iterum; & tertio; tantus autem sumatur vt coctus sit, cum alter sumendus est. Ad quantitatem cibi & potionis referri potest substantia, quæ vbi crassa & glutinosa sit plurimum [f] affert alimenti, vbi tenuis parum. eadem autem est ratio substantiæ plurimum nutrientis, quæ multæ quantitatis; nam vt hęc superari nequit à viribus imbecillis, ita substantia crassa & glutinosa distribui non potest, neque. n. per se fertur cibus ac permeat in omnes partes corporis; sed allicitur ab ipsis, quę cum valde extenuatę sunt ob imbecillitatem nequeunt allicere substantiam crassam & glutinosam, ita vt necessarius sit cibus tenuior: quamuis minorem habeat & non idoneam alendi facultatem. Eadem est ratio quantitatis & substantiæ potionis. Qualitas vtriusque boni succi sit, & lenis, non acerba [g] aut austera, non acris, non salsa, non amara: augent enim eiusmodi qualitates siccitatem, & magis insunt in his quæ simul medicamenta sunt, quam in his quæ simpliciter æsculenta & poculenta. Tempus sumendi cibi tunc est, cum [h] ille, qui prius sumptus

a Galen. l. de marcore. cap. 9.

b Galen. l. 7. meth. ca. 6. & l. de marcore cap. 5

c Hipp. l. 7. aphorismi. 59.

d Hippoc. l. 2. aphoris. 7.

e Gal. 7. meth. cap. 6.

f Galen. ibidem.

g Galen. ibidem.

h Galen. ibidem.

ptus erat, iam ex ventriculo descendit; id quod ex ructu cognoscitur; potionis verò vbi ventriculus valde imbecillus sit cum cibus iam coctus est, qui si cum potione sumeretur, in ventriculo enataret, neque posset perfecte concoqui, quia neque etiam bene compræhendi à ventriculo. Præter cibum & potionem quæ sola per se madefacere diximus corpus exsiccatum, adhibenda etiam sunt alia quæ madefacere possunt, quatenus aut reddunt partes nostras idoneas quæ alimẽtum admittant, aut non sinunt eas valide exsiccari. admittunt partes nostri corporis facile alimentum, quod attrahunt, vbi laxiores reddantur; ita vt aperiantur foramina cutis, quæ, vt patere debent in febribus ad exitum calidæ expirationis, ita etiam in tabe vt accipiant humorem alentem. Relaxat[a] balneum, mollis fricțio, vt in sequentibus apparebit: ea tamen in relaxando necessaria cautio est ne nimis digerantur corpora, ex quo magis augeretur tabes quam curaretur accepto humore alente in partibus relaxatis. quamobrem vbi corpus plurimum digeratur expedit cutis foramina leniter aut oleo obstruere, aut adstringere perfusione aquæ in qua bullierint medicamenta adstringentia. Non sinunt valide siccari corpus somnus, quies, tranquillitas, præterea balneum aquæ dulcis tepidæ, quæ cum allicitur per externas partes, irrigat illas ad quas peruenit, & eatenus retundit vim caloris exiccantis proprium humorem partium solidarum. Alia opera quæ ad compositam tabem pertinent, quasdam ipsa quoque animaduersiones desiderant. vbi ad temperandum calorem præter naturam opus sit refrigerantibus, cauendum est, vt in hæcticę[b] curatione docuimus, ne extinguant innatum, vel in aliqua parte, vel etiam in toto corpore, id quod tanto magis periculosum esse diximus, quanto magis extenuatum[c] est corpus, neque à carne, aut adipe defenduntur amplius partes solidæ: quare tunc prestat paulatim refrigerare quam subito, nisi si calor ardens esset: nam sic vtendum esset valde refrigerantibus, ne partes omnes celerrime tabescerent. in calefaciendo autem vbi siccitas cum frigore copuletur, illis, vtendum est, quę calorem augere possint non tamen siccitatem. si qua calida sunt amara vel acerba, cum vehementem habeant siccandi vim, debent vitari. Expedit etiam magis substantiam augeri caloris, quam qualitatem, quamobrem vtilissima sunt quæ prędita sunt calore simili calori nostro; itaut seruata qualitate augeant duntaxat substantiam. Restant instrumenta propria, per quæ perficiuntur opera proposita ad curationem tabis & simplicis, & compositæ: opus enim est vt ante ostendimus madefacere quod exsiccatum est, refrigerare quod calefactum, calefacere

quod

a Galen. l. de marcore c. 5. & 7. meth. cap. 6.

b Supra in hoc libro cap. 6.

c Gal. 9. meth. cap. 5.

quod refrigeratum, ad æqualem moderationem redigere inæqualitatem, reficere exhauſtos ſpiritus, & exhalantes adſtricta cute retinere, vt ſuccurratur animæ defectioni. Oordiemur ab inſtrumentis madefacientibus, quæ ſub ratione victus omnia continentur, ſiue [a] per ſe humorem abſumptum reſtituant, ſiue quatenus vel non ſinunt illum qui ſupereſt, celeriter abſumi; vel tales reddunt partes corporis noſtri vt facile alantur humore quem alliciunt. ſubijciuntur [b] rationi victus ſex res non naturales quotidianę atque vſitatę etiam ſanis, quas ſigillatim perpendemus, agemus deinde de lacte, & de balneo ſeparatim; quæ, quamuis non ſint vſitata ſanis, ad illas, tamen ſex res non naturales referuntur. Aer itaque [c] humidus ſit, nam quemadmodum calidus plurimum valet ad calefaciendum cor, ita humidus ad madefaciendum, cum per nares & os per guttur & aſperam arteriam & pulmonem ad ipſum fertur; quod ſi non habetur talis [d] paretur arte reſperſa aqua, quæ neque calida eſſe debet, neque frigida; ſed tepida: fingimus enim ſiccitatis exceſſum ſeruata moderatione frigoris & caloris. illud autem obliuiſci non oportet quod aer nequit reſtituere humorem cordis, ſed ſolummodo ipſum madefacit quatenus non patitur ita celeriter exſiccari. Cibus in vniuerſum ſit qualem ſupra deſcripſimus boni ſucci, facilis [e] coctionis, ac tenuis. huiuſmodi proponuntur à veteribus ptiſſana hordeacea, alica ptiſſanæ modo præparata, piſces ſaxatiles, aſellus ex albo iure, vitelli ouorum, teſtes gallorum qui lacte alti ſint, alę gallinarum, perdices, auiculæ ex monte non ex palude, panis purus, qui bene coctus ſit & ſatis habeat fermẽti ac ſalis; quamquam ſine ſale, vt nunc vſitatur ab Hætruſcis, humidior eſt: mel etiam idoneum prębet alimentum, quibus cibis cum partes noſtri corporis reſici iam cæperunt paulatim reuertendum eſt ad cibos vſitatos. Potui, ſi detur aqua non [f] reſtituit ſubſtantiam ſolidam; ſed eatenus madefacit quatenus ipſam irrigat, & non ſinit ita celeriter abſumi; quamquam non deſunt qui ipſam valere ad alendum exiſtiment eo freti, quòd non ſit ſimplex & pura, ſed compoſita, & quòd in ventriculo miſceatur cum ſuccis, & vt mixta à calore noſtro concoquatur, quamuis concoqui ab igne [g] nequeat: celerem verò & non mediocrem vim habet alendi & reficiendi humorem exhauſtum potio vini, [h] quod lene ſit & tenue, non craſſum ac dulce quia non facile diſtribueretur, non auſterum, acerbum, acidum, acre, aut amarum quia magis humorem abſumeret; tum mediæ ætatis non recens, quod craſsius eſt, & multas obtinet partes ad alendum minime accommodatas, non ita vetus vt amarum euaſerit ne ſiccitatem augeat. eſt etiam idonea po-

a Galen. de marcore cap. 5.

b Galen. de Tuen. val. ad Traſyb. cap. 35.

c Gal. x. meth. cap. 8.

d Galen. ibidem.

e Gal. x. meth. cap. 11.

f Galen. 4. aphoriſm. com. 13.

g Ariſtot. 4. methcoror cap. 7.

h Galen. 2. aphor. com 11. & l. 3. de cauſ. puls. c. 17.

tio

tio mulsæ vbi restituere exhaustum humorem oportet & simplex sit tabes; quemadmodum & aqua per destillationem extracta ex cocleis, testudinibus terrestribus, siue etiam ex carnibus pulli gallinacei: præcipue vbi cum tabe & siccitate caloris quoque excessus talis coniũgatur vt suspectam faciat quamcumq; vini potionem. Somnus, quies, animi tranquillitas conferunt ad madefaciendum corpus: quia non sinunt valde exsiccari. à vigilia, quæ extenuatis [a] inimicissima est; à motu, qui vbi multus & vehemens sit tabefacit; abstinendum est; quamquam lenis ambulatio & mollis, non multa frictio euocando internum humorem ad partes externas, & eas ita relaxando vt facile ipsum admittant, non mediocriter confert ad reficiendum: ac demum à perturbationibus animę, quæ, vt si quid aliud, corpus nostrum tabefaciunt, quamobrem cura dicta est à Græcis μελεδώνι, [b] quod membra exedat. retentio etiam moderata eodem nomine ad madefaciendum conducit, quòd scilicet non permittat exsiccari corpus à nimia expulsione humidorum, quæ in corpore nostro continentur. Sed relictis sex rebus non naturalibus pergamus ad vsum primò lactis, deinde balnei aquæ dulcis, quæ vt si quid aliud, ad madefaciendum pertinent, & non permittunt exsiccari corpus. tantum autem tribuebant lacti pro reficiendis partibus extenuatis [c] Euriphon, Herodotus, & Prodicus veteres medici, vt existimarent eius potione sanari posse eos qui cum vlcere pulmonis tabent; optimum omnium est muliebre, [d] quod à mammillis fugatur; deinde [e] asininum cum primum emunctum, quod cum tenue sit non cogitur in ventriculo & facile distribuitur. hoc sequitur caprinum quod [f] medij habitus est: nam bubulum aut ouillum nimis crassum est, sed, siue ab asina, siue à capra petatur; vigeat ætate, exerceatur, & pascatur vt conuenit, tum ita bene affecta sit vt pabulum concoquat, id quod ex stercore [g] conijciendum erit. probatur autem lac quod nullam externam [h] qualitatem gustui, aspectui, olfactui præseferat: sed quam dulcissimum sit, & quantum lacti conuenit splendens, habeat item æqualem substantiã, ita vt non appareant in eo partes diuersæ. Lacti vtiliter admiscetur aliquid [i] mellis quod bonum sit, coloris scilicet flaui, pellucidi, suauis, medij habitus, ita vt nec ex digito statim elabatur nec consistat: prius autem quam misceatur super prunas ex quercu, vel ex vite bene cãdentes diligenter despumentur: sumitur autem ad duos, tres vel quatuor ciathos pro vt magis vel minus concoquitur, & statim [k] à balneo, quo si quis quotidie bis vtatur, bis quoque potest lac sumere. Balneum verò aquæ dulcis irrigat partes ad quas penętrat, & hoc nomine non patitur celeriter-

a Gal. 7 meth cap. 6.

b Gale. p. de Articulis. com. 30.

c Galen. de marcore. cap. 9.

d Gal. 7. meth. cap. 6.

e Gal. x. meth. cap. 11.

f Gal. 5. meth. cap. 12.

g Gal. 7. meth. cap. 6.

h Galen. ibidem & 5. met. ca. 12.

i Galen. ibidem.

k Galen. ibidem.

ter exsiccari: simplici tabi conuenit moderate calida; sic magis excipitur in foraminibus cutis, tam diu autem in ea manendum est, vt corpus moderate calidum sentiatur, sicut & finis fricandi fauendus est cum apparet[a] robur, si vlterius fricetur[b] corpus exsiccatur. id quod euenit etiam vbi nimis diu degatur in balneo; diſsipatur enim internus humor & nimis relaxantur foramina cutis vnde exeunt humidi vapores. Prodest antequam homo in balneum ingrediatur inunctio olei simplicis, relaxat enim partes, & idoneas reddit ad humorem excipiendum: conuenit eadem à balneo quòd obstruat foramina cutis, & non sinat humidos vapores exhalare, neque permittit frigus aeris circumfusi aspirare ad partes internas. Hactenus de instrumentis madefacientibus accedamus ad ea quę refrigerant. efficaciſsimum omnium est aqua frigida & potui data, & in balneo adhibita, quæ tamen suspecta est corporibus[c] extenuatis quemadmodum supra docuimus in curatione hæcticæ: verendum enim est, ne innatus calor aut in aliqua parte, aut in vniuerso corpore extinguatur. & ita homo incidat in senium ex morbo; quod tamen eligendum est vbi periculum imminet ne celerrime prępipitetur æger à vehementi calore tabefactus; cum eiusmodi etenim senio, aliquot non solum menses sed etiam annos trahi vita potest. vbi eiusmodi periculum nõ impendet vtemur ad refrigerandum frigidis medicamentis quę supra ad hęcticam febrem commemorauimus, vt cerato liquido, linimento rosaceo, aut succo frigidę alicuius[d] herbæ, vt lactucę, portalacæ, semperuiuij, quem imponemus super illas partes in quibus[e] potissimum esse focum febris existimabimus. detur potui aut aqua simplex aut ex destillatione coclearum, testudinum, siue etiam gallinaccorum pullorum destillatione extracta, aut vinum aquosum tenue maxime dilutum. At cum calefacere oportet refrigeratum corpus quemadmodum in senio vel naturali vel ex morbo, valet[f] vinum vetus quod tamen amarum non sit, mel & per se, & mixtum cum lacte. iunguntur externæ partes oleo nardino[g] aut mastichino cui additur aliquid ceræ vt diutius inhæreſcat; neque enim permittuntur exsiccari. vtiliter etiam illinuntur pice semel quotidie, nam hæc medicina frequentius adhibita, humidam substantiam, absumit. Illud autem in calefaciendo obseruandum esse diximus vt magis augeatur quantitas, quam quantitas caloris, propterea maxime proficiunt quæ moderata sunt, & tali calore prædita qualis noster est, tenetur super ventriculo[h] catulus pingus cum homo iacet, aut puerulus boni habitus. Ad moderandum verò exceſsum frigoris & caloris valent similiter quę moderate calida sunt, vinum lac mel intus, similiter

a Gal. 7. meth. cap. 6.
b Gale. 2. de Tuen. val. cap. 12.
c Gal. 9. meth. cap. 5.
d Gal. l. 10. meth. c. 9.
e Galen. ibidem.
f Gale. 5. de Tuen. val. cap. 5. & 7 & l. de marcore ca. 9.
g Gal. 7. methodi ca. 7
h Gal. 7. meth. cap. 7.

ter extrinſecus catulus aut puerulus. balneum aquę dulcis vitandum eſt ne vires deficiant ob animæ defectionem cum nimium ſpiritus exhalent; pro balneo magis vtimur leuiter [a] adſtringentibus ac refrigerantibus, vt claudantur foramina cutis, ne ſpiritus exhalent. flabellis ventum facimus, inungimus oleo melino cutem, vt dẽnſior reddatur. Ad reficiendos [b] verò ſpiritus exhauſtos nihil æque conducit ac potio vini tenuis, aquæ quæ ex carne pulli gallinacei per deſtillationẽ comuniter extrahitur, ſiue etiam quæ longe maiorem apparatum poſtulat, quam carnis aquam nuncupant. hoc pacto igitur & animę defectioni ſuccurrimus, & inæqualis exceſſui frigoris & caloris.

a Galen.l.de marcore cap. 9.

b Galen.ibidem & l. 12. methodi cap. 4.

Finis libri Septimi de Febribus Vidi Vidij.

INDEX

INDEX EORVM QVAE IN TRIBVS LIBRIS INSTITVTIONVM MEDICINÆ CONTINENTVR.

IN PRIMO LIBRO AGITVR DE ORIGINE atque auctoribus de causa medicinę, & cur auctor, post eos de medicina scribat: continetur autem capitibus VIII.

EXCVSATIO *auctoris, & medicinæ scriptores. cap. I.* *à carte* 1.
Qua ratione medicinam tractauerit vnusquisque in quauis lingua, ac primo Gręci vsque ad Hippocratem. cap. II. 3.
De medcis qui inter Hippocratem & Galenum fuerunt & primo de Empiricis. cap. III. 4.
De secta Methodicorum. cap. IIII. 6.
De secta rationali & illius auctoribus vsque ad Galeni tempora cap. V. 7.
Recentiorum iudicium de Galeno. cap. VI. 9.
Quid sentiendum sit de medicis, qui post Galenum arabice, grece, aut latine scripserunt, quid item de Cornelio Celso. cap. VII. 13.
Excusat se auctor quòd non debeat haberi aut imprudens, aut arrogans, si post tot auctores de medicina scribat. cap. VIII. 15.

IN SECVNDO LIBRO INSTITVTIONVM agitur de communibus totius medicinę: continetur autem capitibus octo.

DEFINITIO *medicinæ. cap. I.* 18.
An medicina sit Ars an scientia. cap. II. 19.
Diuisio Artium & sub qua specie comprehendatur medicina. cap. III. 21.
Quod medicinę subiectum sit humanum corpus, finis sanitas, officium apposite facere ad sanandum. cap. IIII. 23.
Quæ ad perficiendum medici officium requirantur. cap. V. 25.
Qualem esse medicum oporteat. cap. VI. 26.

Qualem se debeat præstare ęgrotans. cap. VII. 30.
De officio ministrorum. cap. VIII. 31.

IN TERTIO LIBRO INSTITVTIONVM agitur de partibus medicinę & de ratione qua inuenian tur atque in ordinem disponantur; continetur autem capitibus decem.

QVA Methodo vnaquęque ars constituatur. cap. I. 34
Qua Methodo medicinæ partes inueniantur. cap. II. 36.
De cognitione absoluta rerum secundum naturam quę conseruari debent. cap. III. 38.
De cognitione absoluta rerum prȩter naturam quæ curari debent. cap. IIII. 41.
De cognitione absoluta differentiarum rerum naturalium & prȩter naturam, & causarum à quibus differentiæ oriuntur. cap. V. 43.
De cognitione in homine qui tractatur. cap. VI. 45.
De ratione tractandi per opera & instrumenta ac primo de operibus ad conseruandum vel curandum necessarijs. cap. VII. 48.
De instrumentis quibus tractandi ratio continetur. cap. VIII. 51.
De dispositione partium medicinę. cap. VIIII. 52.
Epilogus eorum quę in tribus libris institutionum medicine traduntur. cap. X. 54.

FINIS.

AD SERENISSIMVM COSMVM MEDICEM MAGNVM ÆTRVRIÆ PRIMVM DVCEM.

VIDI VIDII INSTITVTIONVM MEDICINÆ.

LIBER PRIMVS.

Qui continet originem atq; Auctores Medicinæ, & cauſam cur. Auctor. poſt eos de medicina ſcribat.

Excuſatio Auctoris, & medicinæ ſcriptores. Cap. 1.

ANTE quam ad Medicinam aggrediar quam literis mandare vniuerſam inſtitui, Sereniſſime COSME Dux Ducum maxime atq; Optime. Exponam breuiter conſilium meum quod videri poteſt quandam, vel imprudentiam, vel arrogantiam præſeferre, cum id aggrediar ſcribere, quod multi auctores multorum ſeculorum antiquitate commendati tot voluminibus iam ſcripſerunt, nam ſi deteriora fore mea ſcripta exiſtimo, imprudens ſum cum in ea re operam perdo quæ citra, aliorum vtilitatem mihi futura ſit dedecori. Si meliora me facturum non deſpero, videor non poſſe arrogantiæ crimen effugere. Sed ſatis me ab vtroq; nomine vindicandum puto, ſi vnum quod ad rem maxime facit, à quibus videlicet & qua ratione medicina hactenus tractata fuerit enarrauero. Habuit hæc diuerſis temporibus diuerſarum, linguarum auctores, primo quidem Græcos, tum Arabas, deinde Latinos, ita vt triplici lingua fuerit exculta, ſed prima [a] ipſius origo Græcis accepta refertur. Quamquam credidit antiquitas medicinalem artem ab Apolline, [b] ab Æſculapio filio, & prorſus a Dijs immortalibus profectam eſſe, neque enim adduci poterant homines illi, vt crederent, humanum eſſe tam præclarum inuentum, cum cauere mala, quæ, nobis impendent, eademq; tollere vbi iam ceperunt, poſsit, cum Deorum muneribus comparari. Quid enim aliud à Dijs præca-

a Cor. Celſus l. p. ab initio.

b Celſus l. p. ab initio.

mur,quã vt bona nobis impertiant,& procul arceant mala? Quod ipſum faciunt Medici,dum ſecundam valetudinem tuentur,aut reſtituunt, quoniam ſic vnà cum vita per quam ſumus ac diuinitatis participes reddimur,actiones quoq; noſtras defendũt. Quod quanti ſit momẽti intelliges ſi hominem in animo fingas, qui neruis reſolutis,manibus vti nequeat ad præhendendũ aliquid,vel pedibus ad ingreſſum,aut quì videndi vel audiendi vſu careat, intolerabili dolore crucietur,mentis compos nõ ſit;non nè medico qui ipſum ſanet,atque in priſtinum ſtatum reſtituat, magis quam Parẽtibus debebit? nõ nè beneficium hoc ſi ſapiet exiſtimabit diuinum atq; immortale?Nil igitur mirum eſt ſi medicinam veteres ad Deos retulerunt.Sed mito nunc Deos,Apollinem,& Æſculapium, Podalirium,& Macaonem Æſculapij filios,qui [a] troicis temporibus medicinam à patre acceptam tractauerunt. Venio ad Græcos homines, [b] quos fama eſt primum medicinam exercuiſſe. hi quod ab Æſculapio originem duxiſſe crederentur dicti ſunt Aſclepiadæ, quorũ alij Italiam,Alij Rhodum,Gnidum alij, alij Cò Inſulam habitarunt.Nulla autem extat memoria operum quę ſcripta fuerint ab Italis aut Rhodijs,ſed a Gnidijs medicina primũ monumentis & literis eſt cepta mandari,quamuis pauca & imperfecta quædam ſcripſerint,quo nomine reprẹhenduntur ab Hippocrate Coo [c] in libro quem de ratione victus in morbis acutis contra Gnidios inſcripſit. Intelligo autem Hippocratem ſecundum,qui maximus apud Græcos ſemper habitus eſt medicus atq; philoſophus, cuius nunc plura opera feruntur. Hic auum habuit alterũ Hippocratem Coum Gnoſidici filium, qui vel nullum opus ſcriptum reliquit, vel librum [d] duntaxat de officina Medici. Poſt Hippocratem vſq; ad Galeni tempora quamplurimi artem Medicinalem literis mandarunt, quod facile patebit, ſi trium ſectarum, Methodicæ, Empiricæ & Rationalis, (In totidem [e] enim tunc diducta eſt) auctores intueamur. Empiricam ſectam excoluit primus Philinus Cous, tum Serapio, Apollonius, Menodotus, Heraclides Tarentinus. Methodicam verò Themiſon paulo ſupra Neronis memoriam,tum Theſſalus Olympiacus,Iulianus Alexandrinus. Sed rationalem poſt Hippocratem, Diocles, Praxagoras, Chryſippus Eraſiſtratus, Herophilus, Archigenes, Agatinus, Pruſias, quibus ſucceſſit Galenus. Poſt hunc multis annis medicinam quoq; græcis literis ſcripſit Oribaſius, Aetius, Paulus Ægineta, Alexander Trallianus, Actuarius, & alij nonnulli. Arabum lingua Medicinam tradiderunt qui Mauritaniam & vlteriorem hiſpaniam incolebant, Romano imperio iam inclinato & ad interitum tendente, cum Italia, & Græcia tota illuuie barbarorum penè euerteretur.

[a] Cor. Celſus l. p. ab initio.

[b] Cor. Celſus ibidem

[c] Hippoc. p. acut. p.

[d] Gal. p. de fract. cõ. p.

[e] Cor. Celſus l. p. ab initio & Gale l. de ſectis. cap. p. & ca. 6.

teretur. Illic igitur vigere cepit tunc bonarum artium ſtudium & præcipuæ Medicinæ, ibi floruit Auerrhoes, Raſes, Auicenna, Aliabas circiter quadringentos ab hinc annos, inde in Italiam, Galliam, Germaniam, Britanniam translata Medicina eſt vnà cum cæteris alijs liberalibus diſciplinis, apud quas nationes barbaro quodam ſermone, latinum imitante, primum fuit pluribus voluminibus conſcripta. inter hos auctores celeberrimi habentur, Gentilis, Petrus Aponenſis, Tornamira, Herculanus, Arnaldus, Iacobus Forliuienſis, & ex noſtris Florentinis Turriſianus, Niccolus, Thomas, & Dinus Garbus, ceterum puris latinis literis medicinalem artem compoſuit ſolus Cornelius celſus, qui ante Quintilianum floruit, dum Romani vnà cum Imperij dignitate linguæ quoq; candorem retinerent. Inde vſq; ad memoriam Patrũ Medicina numquam latine locuta eſt. Sed cum beneficio Illuſtriſsimæ familiæ Mediceæ, & Proauorum tuorum COSME Dux Max. Latinę & Græcę literę fuerunt è barbarorum fęce in veterem dignitatem reſtitutæ, non modo Italiam, ſed Germaniam, Galliam, Britanniam peragrarunt, ac cum Medicina latinum ſermonem penè dediſceret, à multis, latinis literis eſt illuſtrata.

Qua ratione Medicinam tractauerit vnuſquiſq; in quauis lingua ac primo Græci vſq; ad Hippocratem. Cap. II.

HVIVSMODI igitur fuerunt inter ſcriptores Medicinæ præſtantiſsimi tam Græci, quam Arabes, aut latini, de quorum libris, ſi iudicium ſapientum interponemus, ſatis apparebit num quod ab illis deſideratur poſsit à noſtris viribus præſtari: vt igitur á Græcis, ordiamur, quæ Gnidij ſcripſerunt præterquamquod exigua, & imperfecta [a] fuerunt, iam temporis iniuria ſunt extincta. Hippocrates Auus ſolum opuſculum compoſuit de officina chyrurgici, de altero Hippocrate nihil plus à nobis dicendum eſt, quam quod à Galeno a traditur, fuiſſe videlicet Medicinæ parentem, & ſemina omnium reliquiſſe nobis, quæ poſtea excoli neceſſe fuit, alioquin non ſatis prodeſſent imperfecta eius præcepta, ac minus diſtincta, id quod Galenus [b] ait non diſsimilem operam requirere ei quam Traianus Imperator adhibuit ad antiquas vias inſtaurandas, cum loca paluſtria aggeribus attollens lapidibus ſtrauit, ſenticoſa & aſpera expurgauit, pontes ædificauit vbi flumina pertranſiri non poſſent, à deſertis locis, ad habitata & frequentata iter tranſtulit, vt latronum iniuriæ vitarentur. Deſiderat igitur Galenus ſimilem diligentiam in operibus Hippocratis, ſi per ea iter ad Medicinam commode facere debeamus, [c] quam diligentiam à ſe paſsim adhibitam eſſe profitetur.

[a] Hippoc. p. acut. tex. p.

[b] Gale. 9. meth. cap. 8.

[c] Gale. 9. meth. cap. 8.

ATENEO VENETO VENEZIA

De Medicis qui inter Hippocratem & Galenum fuerunt & primo de Empiricis. Cap. III.

SED relicto Hippocrate pergam ad alios, qui post ipsum, ante Galeni tempora vixerunt, dixi ante [a] tripartitos fuisse hos cum alij Empiricam, alij Methodicam, alij Rationalem sectam fuerint secuti, adieci etiam quam præclarus quisq; auctor fuerit professus, nunc exponam in quo consistat vnaquæq; secta, & quid de ea sentiendum sit. Ordiar, ab Empirica, [b] placuit ijs qui sè ab experientia græce Empiricos nominarunt, Medicinalem artẽ vniuersam [c] euidentia contineri, ita vt quæ sensum latent, veluti naturam hominis, atq; abditas causas à sua professione penitus abdicarent, experimenta igitur obseruabant, obseruata memoria tenentes in historiam conferebant, atq; inde transibant ad similia quando illis occurrerent affectionibus quibus experimenta deficerent, quamobrem artem Medicinalem tribus duntaxat constare voluerunt experimentorum obseruatione, eorundem memoria, atq; historia, tum transitu, ad similia. [d] Experimentorum triplex genus posuerunt, primum dixerunt incidens siue natura, siue fortuna, natura quidem, vt cum sponte aluus profluit aut sudor erumpit, fortuna veluti cum ex ictu sanguis è naribus funditur. secundũ genus vocarunt consultũ, cum in somnijs moniti, vel belluarum exemplo vel [e] Analogismo [f] hoc est ratione quadam cõmuni, ac potius probabilitate ducti præsidium aliquod tentassent: Ex in somnijs quidem multa colligi dicebant, sed à belluis plura addisci, vt ab aue ibi vsum clysteris, à ceruis dictamnum ad sagittas euellendas, ab hirundine herbæ celidoniæ præsidium ad oculos, qua cecutientibus pullis claram efficit oculorũ aciem, à capra oculum perforandum esse ad suffasionem detrahendam. à comuni illa ratione ac probabilitate sumebant experimentum, exempli gratia cum multa seorsum alicui morbo prodesse animaduerterent, si inter se miscerentur longe magis profutura esse existimabant. Tertium ac postremum genus experimenti, mimiticum ab imitatione appellarunt, cum aliquod experiebantur quod viderant contulisse, siue id perspexissent experimento incidente, siue consulto. Obseruabant deinde quęcumq; quouis genere experimenti experti essent, ita autem obseruabant vt quid cum quò, quid ante quod, quid post quod apparuisset animaduerterent, Syndromes enim quam notabant, nil aliud erat quam [h] apparentium concursus, tenebant item memoria quæ sic obseruassent, atq; vt ars, breuiori tempore addisci posset, neq; cogerentur

[a] Gale. l. de optima secta. cap. 7.

[b] Cor. Celsus l. p. ab initio.

[c] Galen l. de sectis ca. 2. & l. de sub figur. empiric. ca. p.

[d] Gale. l. de sectis. ca. 2.

[e] Gal. p prognos. com. 6. & de optima secta. c. x. 11.

[f] Gal. 2. meth. cap. 5.

rentur discipuli experimento omnia percipere, de ijsdem hystoriam conscribebant. Vtebantur [a] postremo transitu ad proxima, ne arte deititui viderentur, si nouus casus incidisset non antea prospectus, ad similem confugiebant, vt ab inflammatione ad erysipelas, si quod malum in vno menbro non obseruassent, ad simile transibant, vt à crure ad brachium, atq; vbi idem remedium præsto non esset, veniebant ad simile vt à mespilo ad sorbũ. His igitur continetur tota empiricorũ secta, quam Galenus damnat [b] multis nominibus, primo, quod fieri non possit vt omnia quæ ad artem necessaria sunt experimento compræhendantur, res enim & imperfecta & nimis longa euaderet siquis experientia duntaxat niteretur, cum duplici [c] crure proficiscendum sit, ratione scilisset & experientia, at neq; sola sufficiunt euidentia sed abdita quoq; intelligenda sunt. Pręterea nequeunt Empirici si quid non prosit, aliud innouare nisi casu, & si hac non succesit, alia aggredi via, cum ignorent quam ob rem primum remedium non contulerit, sed [d] funditus ipsi suam sectam euertunt, dum sola experientia se contentos prędicant & rationem ex toto submouent, interim imprudentes ratione vtuntur, id quod facile deprehendes si experimentorum obseruationem, si hystoriam, si transitum ad similia exacte intuearis, nam cum syndromem illam suam notant, & quid cum quô, post quod, ante quod apparuerit. Quero ex sexcentis quæ concurrunt antecedunt vel sequuntur, num omnia animaduertant, respondebunt paucorum quorundam animaduersionem sufficere, cum neq; omnia notari possint neq; etiam si notarentur, ad rem faciant, at quò pacto discernent quid interfit inter hæc quæ obseruant, & illa quæ omittuntur, certe per rationem, itaut ad eam quam explodunt reuerti cogantur si inuenire volunt cur magis hæc quam illa congerant in suam syndromeni, quorsum enim spectant ætatem cius qui curatur? cur habitum coloremq; animaduertunt? non domum, non diuitias, non patriam? certe non ob aliam causam, nisi quia ratio dictat illa ad rem facere, hæc nullius esse momenti: iam verò cũ historiam scriptam legunt, cur non omnibus auctoribus æque fidem habent sed quosdam idoneos iudicant, quosdam minus fide dignos? profectò ad rationem rursus reuertuntur, qua iudicant quantum alij alijs præstent. Postremo cum ad similia transire oportet, non omnia comparabilia sunt aut assimilari possunt, siue à parte ad partem, siue à morbo ad morbum, siue à remedio ad remedium oporteat rem transferre. Quid est igitur quod quibusdam contenti cætera negligunt? vt cum vtuntur mespilis si de sint sorba; gustum similem satis esse putant neq; diuersum colo-

[a] Gal. de sectis c. 2.

[b] Gale. l. de optima secta. 14. 15 17. 20.

[c] Gal. l. 8. ca tatop. ca. 6

[d] Gal l. de optima secta. cap. 12.

rem odorem disparem, dissimilem figuram attendunt? certe non aliud dicere possunt quam doceriſe ratione opus esse facultate adstringente quam similem in vtroq; fructu percipiunt. Sublata igitur Empiricorum secta nihil de eorum libris agendum est, qui iam euanuerunt ac si etiam estarent, minus perfecte medicinam continerent.

De Secta Methodicorum. Cap. IIII.

HACTENVS de Empiricis, venio ad Methodicos qui[a] similiter statuunt, medicinam solis euidentibus contineri, quamuis ea quæ obscura sunt comprehendi posse non negent, sed[b] inutilem abditarum rerum, contemplationem existimant, creduntq; ea quæ in aperto sunt per se sufficere. Distant autem ab Empiricis quod iudicent comprehendi posse quæ sensum latent, quamquam non secus ac illi sola euidentia amplectuntur. Præterea curandi rationem ab experimento sumunt Empirici, sed Methodici ratione ducuntur. Et id genus curationis adhibent quod postulat natura illius rei euidentis quam intuentur. Nomen autem inuenerunt à methodo, quam definiunt viam quandam eorum quæ morbis comunia sunt, totam enim artem in triplici, tam morborum quam præsidiorum comunitate constituunt vnam[c] enim morborum comunitatem Astrictam inducunt, alteram fluentem, tertiam verò mixtam cum eger modo parũ modo nimium modo altera parte parum, altera nimium excernat, triplici autem huic morborum generi, triplicem remediorum comunitatem opponunt, nam astrictum corpus relaxant, quod profluuio laborat astringunt, quod partim fluit partim adstrictum est, partim astringunt, partim relaxant. Ratione igitur ducuntur ad morbos curandos, cum cognito morbo contrarium remedium adhibeant, extra quas comunitates reiciunt[d] animaduersionem aliarum rerum omnium siue lateant, sine perspicuæ sint, vt causarum, siue internæ sint, siue externæ, loci affecti, temporis, regionis, naturæ, ætatis, virium, consuetudinis, habitus, atq; hoc nomine plurimum sibi tribuunt, quod Medicinalem artem, quam Hippocrates[e] (si ad vitam hominis conparetur) longam existimauit, ita ad compendium conferri dicant, vt sex mensium spacio percipi posse arbitrentur. Quos[f] irridet Galenus, censetq; non sex mensium, sed ne sex horarum quidem eorum Medicinam esse, cum cæteris animaduersionibus relictis, solas morborum ac remediorum comunitates attendãt. Caret[g] etiam Methodicorum medicina, artificio penitus, siquidem communia illa nota sunt etiam vulgaribus, vident

[a] Gale. l. de sectis. c. 6.

[b] Gale. l. de opt. secta. cap. 8.

[c] Gale. l. de sectis ca. 6.

[d] Gale. l. de sectis ca. 6.

[e] Hip. pri. aphoris p.

[f] Gale. l. de sectis ca. 6.

[g] Galen. l. de opt. secta. cap. 9.

vident enim quod fluit, & astringendum esse existimant; accersunt Medicum vt fluentem aluum astringat, fereq; omnes intelligunt Cotonea mala habere vim astringendi. Quicumq; tamen sunt inter idiotas, prudentissimi non audent hoc præsidio aluum supprimere, sed Medicum adhibent qui ad ætatem, naturam, causas, vires, & ad omnia illa respiciat quæ methodici contemnunt. Quid? quod eadem ipsi imprudentes etiam considerant, quod perspicuum erit si sigillatim vnumquodq; contemplemur. Atq; vt ab externis causis ordiamur alio modo curant ictum à telo, alio à Cane rabioso, alio à Vipera. Inspiciunt internas causas, nam vrinam suppressam non eodem modo euocant si à calculo, si ab inflammatione, sia succorum crassitudine retineatur. habent ratione loci affecti cum emplastris quibus ad exteriora vulnera vtuntur, nõ medeantur internis, neq; dolorem oculorum leniant oleo, sicuti si in alia parte versetur. Sed regionem quoq; ignari & anni tempus animaduertunt, quando frigidam aquam potui dant æstate, & non hyeme sub cœlo ardente non sub frigido. Spectant ad virium robur & ætatem, quum non infanti aut imbecillo sanguinem mittunt, sed iuueni ac iam annis robusto. Ad naturam præterea & habitum, quum pituitosis & obesis, inædiam imperant, quam biliosis [a] & gracilibus cõstat esse pernicioſam, quam [b] diatritarij, ita stupidi erant, vt cum imperabant inædiam, necessariam hanc animaduersionem prætermitterent. Æadem ratio est consuetudinis, nam cum facilius [c] tollerentur, quæ consueta sunt, qui insueti alio modo curantur atq; illi qui ferre aliquem laborem consueuerunt. In summa quæcumq; negant Methodici animaduertenda esse, siue secundum naturam, siue contraria sint, eadem, aut imprudentes atq; inscij perinde atq; Empirici rationem, animaduertunt, aut (velint nolint) animaduertenda esse fateri coguntur, quæ si negligantur constat homines à medico magis interimi quam sanari, tanto autem deterior est, Methodicorum quam empiricorum secta, quanto pauciora spectanda esse voluerunt, sed est, Dijs gratia, quando vnà cum secta, librorum omnium interitus, humanum genus à fæda eiusmodi peste, liberauit.

[a] Galen. 10. meth. c. 5.
[b] Gale. l. 8. met. ca. 2.
[c] Hippoc. 2. aphor. 49.

De secta Rationali & illius auctoribus vsq; ad Galeni tempora. Cap. V.

SVPEREST vt de rationalibus agamus, qui Hippocratem vsq; ad Galeni tempora insecuti sunt, hos primum laudare conuenit quod optimam sectam amplexi fuerint quam rationalem dixerunt; quod rationem, & dogmaticam, quod dogmata hoc est

decreta ſapientum ſequeretur. Spectant [a] rationales naturam rei quæ tractatur, qua cognita, ſi ſecunda nobis fuerit conſeruandam eſſe ſimilibus, ſi aliena contrarijs [b] tollendam eſſe ſubito intelligunt. Idem quoq; facere methodicos ſupradiximus, ſed differunt ab ijs, rationales, cum non ſolis euidentibus contenti ſint, ſed maxime laborent intelligendis ijs quæ ſenſum latent, & abdita ſunt, quemadmodum natura noſtri corporis. In morbis etiam præter communitates, vnamquamq; ſpeciem vſq; ad extremam ſpeculantur, attendunt ſympthomata, attendunt cauſas tam externas quam internas, intuentur illa omnia quæ negligi à methodicis poſui, & exquibus Empirici ſuam illam syndromem & concurſum apparentium conficiunt, vt virium robur, corporis habitum, ætatem, temperamentum, vite genus, conſuetudinem, anni tempus, regionem, huc enim ſpectantes, ſtatim quid agendum ſit cognoſcunt. omnia autem hæc ad quæ ſpectant cum rationem inueniunt ſcopos appellant, quod in eos quaſi in ſcopum ſagittarij intueantur. Curationis verò monſtrationem, ἔνδειξιν græce, hoc eſt indicationem appellant: quam [c] definiunt compræhenſionem iuuantis, vnà cum compræhenſione nocentis. Nequæ diſſimilis eſt indicatio ratiocinationi per quam vbi propoſitionem & aſſumptionem videmus, illico cernimus quod conſequitur, non ſecus etiam cognita natura eorum quæ ſpectari debent, ſtatim per indicationem compræhendimus quo præſidiorum genere opus ſit. hinc igitur Rationalium nomen traxerunt, non Empiricorum, quamuis experientiam [d] quoq; neceſſariam eſſe exiſtiment ad comprobandam remediorum vim ratione inuentam. huius ſectæ primus auctor [e] fuit Hippocrates, quam deinde vſq; ad Galeni tempora optimus quiſq; Medicus probauit, hanc amplecti Plato [f] etiam videtur in ſecunda parte Thimei cum multa proponit ad Medicum pertinentia, quæ a naturali Philoſophia ſummuntur. Placuit, eadem Ariſtotelis [g] cum inde medicum incipere demonſtret, vbi deſinit Phiſicus, cumq; moralem Philoſophum præcipiat inſiſtere in cognitione animi, non ſecus quam Medicus in cognitione corporis verſatur. Quę quidem propria ſunt Rationalis medici non Empirici, à quo inconpræhenſibilia creduntur, aut Methodici à quo inutilia exiſtimantur, quod ſolas euidentes communitates ſufficere arbitretur. Sed, his relictis, ſtatuo Rationalem ſectam conſtantiſsime defendendam eſſe quæ tantos talesq; Patronos habet, & ratione ipſa (vt oſtendimus) firmatur: ita vt Rationalis Medicus haberi debeat omnium præſtãtiſsimus. Nolo tamen hunc ſola ratione inſtrui, cum non diſputatione ſed vſu fiat Medicus, ſicuti gubernator & agricola, quandoquidem vnaquæq;

[a] Gal. de ſectis c. 3.

[b] Gale. 5. de tu. val. c. 10

[c] Gal. de opt. ſecta ca. 11.

[d] Galen. 4. de comp. medic. per genera. cap. 5.

[e] Gal. 1. Medicus. c. 4.

[f] Plat. in Thymeo.

[g] Ariſt. 1. de Senſ. & ſenſili Tex. 4.

vnaquæq; [a] Ars, ſuum opus præſtat in aliquo particulari, hoc autem nõ ratione aut ſcriptis ſed ſenſu & exercitatione compræhenditur. Fit Cytharedus ſepe Citharam pulſando, Si alterum deſit vſus vel dõctrina, Ariſtoteles [b] magis laudat experientem quam doctum, ſtultũ enim eſſe ait ex ſolis ſcriptis imperare. Quãcumq; igitur ſectam ſequaris, præter libros & cõmunia præcepta neceſſarius quoq, eſt vſus, qui eſt optimus medendi magiſter, quod cũ ſententia noſtra de ſecta rationali minime pugnat, nec prohibet quominus, inſtrui præſtet via rationali quam Methodica, aut Empirica, neq, enim idem eſt empirica ſecta & exercitatio, immo ipſa quoq; empiricorum diſciplina exercitationem poſtulat ſicut Rationalis & Methodica. Sed iam tempus eſt afferre iudiciũ Galeni de rationalibus medicis qui ante ſe fuerunt, neq; enim noſtrum interponere licet, cum eorum opera, iam euanuerint, & ſiqua adhuc leguntur pauca admodum ſint fragmenta & exiliter ſcripta. Galenus igitur Herophilum & Eraſiſtratum ſepe accuſat, quod more empiricorum ſimplicibus partibus medeantur quamuis rationem ſequantur in curatione multiformiũ. Numerat etiam inter Rationales Medicos Agathinum, Archigenem, Atheneum, qui [c] omnia in ſpiritus referebant, parui facientes tam ſuccos quam ſolidas partes, pleroſq; autem accuſat vel incõſtantiæ vel alterius erroris, nec aliquem commemorat qui medicinalem artem vniuerſam aut aliquam eius partem pro dignitate explicauerit.

a Ariſt. p. diuin. c. p.

b Ariſt. p diuin. cap p.

c Gal 4. l. de diff. pulſ.

Recentiorum iudicium de Galeno. Cap. VI.

PRIMVS ergo Galenus, medicinã totam, prope perfectam tulit, nam ante neminẽ conſtat ipſam abſoluiſſem, iure igitur meritoq; deferunt primas Galeno iuniores omnes, fuit enim ingenio acerrimo, memoria firma, iudicio ſingulari, quæ naturæ bona, perẽnibus ſtudijs, ſummis laboribus, vigilijs, lucubrationibus, auxit vel potius perfecit. Iiſdem plurimũ fauit fortuna, cũ à Parente viro ſapientiſsimo bonis moribus, humanioribus literis, Mathematicis diſciplinis, fuerit inſtitutus. Non obſtitit res familiaris, nõ defuerunt magiſtri à quibus Dialecticem, Naturalẽ Philoſophiã, Medicinalẽ artem doceretur, quas facultates omnes ita eſt aſſecutus, vt vni tantũ ex his operam dediſſe facile credas, Sed in Medicina deinde vniuerſam ætatem conſumpſit, quam non ſolum elegãter, & ſumma facilitate ac facundia, Sed methodo etiã conſcripſit, nã ante nemo ſolitus erat hanc Artem via cum ratione tractare, neq; ſolum collegit quæ maiores memoriæ prodiderunt, ſed quæ omiſſa erant diligentiſsime inueſtigauit, ſiue ad naturam noſtri corporis,

poris, siue ad res præternaturam, seu ad signa, seu ad curandi, seu ad conseruandi rationem, aut denique ad præsidiorum genera pertinerét. Nec quicquam amplius est, quod in Medicina desiderari posse videatur. At quid est cur post ipsum tot greci, tot arabes, tot latini de Medicina scripserunt? Num stupidi adeo fuerunt vt quæ perfecta essent conarentur facere deteriora? Quantum equidem intelligo molem illam librorum Galeni inspicientes, deterreri eos censebant qui Medicinæ operam dare vellent, ita vt primo auctoris longitudinem accusarent, deinde varietatem atq; inconstantiam, quod de ijsdem alijs in locis alio modo loqueretur, & interdum secum ipse pugnaret, tum perturbatum ordinem quod interrupte & confuse plurima tradiderit. Deesse etiam non nulla iudicarunt, quod quædam imperfecta & manca legantur. Postremo ipsum aliquando falli & à vero abduci existimarunt, quorum omnium Galenum accusari, tam clarum est, quam quod clarissimum. Longitudinem præseferunt tam multa volumina, quæ ab eo scripta leguntur, inconstantiam & controuersiam, qui Galenum potius quam medicinalem artem profiten tur, cum nulla derè æque laborent atq; de componendis locis eius controuersis, & excusanda inconstantia quod capita rerum quæ tractantur alia proponat, alia exequatur, nec quam statuit legem perpetuo seruet, seu causarum & signorum, seu curandi, seu conseruandi methodum intueamur, in quibus omnibus etiam controuersus legitur. De perturbato ordine quid attinet dicere? cum tot præter rem interposita, toties inculcauerit, toties ab instituto ordine recesserit? complura etiam loco alienissimo posuerit? nulla rem vno loco propositam absoluerit? sed sæpe ad idem reuerti maluit. Sufficiat nobis solum febris exemplum ad quam toties [a] diuertit. Onerabo librum si persequi eiusmodi omnia velim, quod multa etiam præterierit, quæ ad rem necessario requirantur, vel id facere fidem potest, quod nullum eius volumen estat vbi, quæ in vniuersum tradiderat de morbis, signis, & curatione, speciatim de singulis partibus à capite ad pedes persequatur, quod tamen necessarium esse summopere non negasset, cum ad perficiendam atq; absoluendam methodum precipiat, [b] vt quæ generatim enarrata sunt, speciatim tractentur atq; exercean tur. Quod interdum decipiatur, & toto cælo aberret vt alios reprehensores omittam, qui ridicula quadam inuidia potius quam ratione mouentur, primum Andreas Vessalius, tum Ioannes Valuerdius, Realdus, Gabriel Fallopius, viri nostro seculo doctissimi, & Anathomes diligentissimi professores, sæpe in suis operibus quæ de corporum sectione composuerunt, apertissime

a Gal. in libris de dif. febr. & p. ad Glauc. & 2. de crisibus, & 9. 10. & 11. methodi ac sexcentijs alijs locis.

b Gal. 9. de plac. hip. & Plat. ca. 2. & p. de causis symp. c. 3

me declararunt. Hac igitur de causa recentiores, oportere nouos libros de Medicina scribere iudicarunt. Quod tantum abest vt inficiamur, vt etiam id ipsum quasi fundamentum nostræ defensionis assumamus, nè vel imprudentes habeamur, vel arrogantes si Medicinam rursus scribere contendimus. At nihil propterea detrahi putamus de auctoritate Galeni deq; laudibus, quibus ipsum ad Cęlũ extulimus, sed quod [a] Lucretius de Epicuro cecinit, (qui genus humanũ ingenio superauit & omnes restrinxit stellas, exortus vti Æthereus Sol,) Galeno tribuendum esse non dubitamus, nam si cum cæteris qui aut ante aut post fuerunt, vel adhuc sunt conferatur omnes quasi sol minora sidera obscurabit, ita vt Medicina magis debeat illi soli, quam ceteris omnibus simul, Hippocratem semper excipio cui plurimum debet, maximum enim est iecisse semina, magnum excoluisse, atq; ad messem perduxisse, non tamen magnum est colligere fasciculos, & frumenta post trituram purgare, quod Galenus alijs integrum reliquit. Quamuis autem vera esse non negauerim, quæ contra ipsum obijciuntur, non tamen iusta excusatio deest, nam si longus fuit, non solum Medicinam scripsit, sed libros Hippocratis difficultatum multitudine atque inexplicabili obscuritate obstructos patefecit, partim vt eorum intelligentiam erueret, partim vt tanti viri sententijs illustratis, suis quoq; firmamentum, atq; auctoritatem adiungeret. Multa præter institutam seriem conscripsit in amicorum gratiam, vt ipse aliquando testatur, [b] vbi suam pariter excusat longitudinem. Sed longe plura in Empiricos, in Methodicos, in eos Rationales quos à rei natura vitiosa ratio detorsisset. Neq; enim satisfacere putauit veræ artis pręcepta, nisi errores qui eo tempore vigebant, funditus euerterentur. At hęc nequeunt paruo volumine explicari, sed postulant necessario longitudinem. Da aliquid ordini quem sequitur, qui exigit vt idem nunc sub nomine generis, aut speciei, nunc sub nomine causę signi aut curationis repetatur. Concede aliquid Patriæ, fuit enim Pergamenus, atq; Asiaticus, cuius gentis proprium erat vti illo fuso dicendi genere. Venio ad inconstantiam, si secum ipse pugnat, & de eadem re non eadem tradidit, varijs etiam temporibus scripsit, nec idem sensit senex ac iuuenis, nam quod iuueni valde arriserat, iam seni & in Medicina consumato tenere non placuit. Libros autem, qui multo ante venerant in aliorum manus reuocare non potuit vt corrigeret. Si in eodem etiam libro controuersum videas, facile absoluitur controuersia depellitur q, incommodum, nam vbi rem accurate spectaueris plerumq; tam parui momenti est, vt non minus à nobis negligi debeat quam ab illo fuerint

[a] Lucretius l. 3.,

[b] Galen. l. de Cur. ratione per venę sectionem. ca. 2.

rint neglecta. Adde quod inperitia græcarum literarum, & interpretum ignoratione ac varietate, multa quæ reuera controuersa non sunt, inter se pugnare videantur. At perturbauit ordinem confusione capitum quæ proposuit, peccatum hoc non mediocriter ræpræhenditur, sed lenitur facilitate hominis, & importunitate amicorum, qui adeò eius libros cupiebant, vt non permitterent emendari, ne dum perpoliri, sed inchoatos, crebris locis inculcatos ac refertos ante quam extrema manus accederet efflagitabant: ille autem nefas existimans amicis aliquid denegare, aliquos libros sic exire passus est, non nulli etiam, eo inuito atq; inprudente exciderunt. Quæ interposuit licet præter rem existimentur, cum directe ad propositum locum non pertineant, non tantum præter rem sunt, vt sepe ille testatur, cum [a] ait. ταυτὰ, ἐνπαρέργω, αλλ' ἔκατὰ παρέργον, nam si non aliud faciunt, certe propositis rebus afferunt aliquid luminis, nec vitio dandum est quod ad idem diuersis libris reuertatur, sed maxime laudandus est eiusmodi ordo sub quo res secundum naturam, res contrariæ, signa, curandi ratio, præsidiorum genera, & cuncta deniq; seorsum tractata minime confunduntur. Si non absoluit medicinam totam, neq; opus confecit vbi de morbis singularum partium à capite ad pedes, vnà cum causis, signis, & curatione tractauerit, deesse, eiusmodi opus non negaret, si viueret, quod olim viuens concesit, quid tum, non potuit omnia, morte præuentus plura omisit, quæ posteris seculis non inuidisset. At longe magis mirari debemus quod tam multa monimentis mandauerit quam quod aliquid silentio præterierit, præsertim cum liceat quæ restant, non magno negotio, ex suis scriptis colligere. Supereſt vitium omnium grauissimum quo maxime premi videntur qui Galenum defendunt, fallitur interdum Galenus existimans contra esse quam sit. Esto erret, decipiatur, si idem ab inferis excitetur, non aliud respondebit quam quod Terentianus [b] ille Chremes, homo sum, nihil humanum a me alienum puto. Nos autem licet Galenum cunctis alijs præferamus, non propterea sumus addicti iurare in verba magistri, amicus Galenus, amica veritas vtrisque tamen amicis magis amica veritas quod de Platone protulit Aristoteles, nec temere ob id hominis auctoritatem parui facimus, aut ab ipso desciscimus, nisi (quod rarissimum est) constet aliter esse ac scribat. Si lapsus est in describendis partibus nostri corporis sectione inuentis, non fuit copia humanorum cadauerum, quæ nunc est, cum multa nocentium, multa ignobilium ac pauperum suppeditentur, quod quia tunc nefas habebatur, coactus fuit bestiarum corpora intueri, quorum similitudine adductus,

[a] Gal. p. acut. com. 3.

[b] Terentius. In Eauton tym.

ctus, aliquando in errorem delatus est, non tamen in eum errorem, qui possit saluti hominum nocere, parum enim refert vtrum hoc modo an illo res sese habeat. Quæ verò obijciunt alij extra corporum sectionem adeo leuia sunt, vt vix digna sint quę animad uertantur quemadmodum suo loco patebit, qum medicinæ partes singillatim persequemur. Sed de Galeno hactenus, etenim hæc ipsa forsitan plura fuerunt quam necesse esset.

Quid sentiendum sit de Medicis, qui post Galenum, Arabice Grece aut Latine medicinam scripserunt quid item de Cornelio Celso. Cap. VII.

PROXIMVM est vt ad eos transeamus, qui post ipsum medicinalem artem literis mandarunt, siue Græci, siue Arabes, siue Latini fuerint, horum maxime studium fuit ita scribere vt incommoda vitarent & repræhensiones in quas incidisse Galenum ostendimus; Quod quamuis non penitus assecuti fuerint, non mediocriter tamen à nobis laudari debent, quod contenderint, perficere quæ desiderantur, ne ingrati in eos habeamur, sicut habetur ab Aristotele Epicarmus dum in Zenofanem cui gratias agere debuit inuehitur. Complures igitur longitudinem effugiunt, neq; secum ipsi pugnant, non recedunt ab ordine proposito, adijciunt librum de morbis à capite ad pedes qui à Galeno fuerat omissus, nec in eos errores labuntur quorum Galenus accusatur, sed omnibus hoc vitium fuit vt quod omnium maxime præclarum est apud Galenum non agnouerint, methodum scilicet: magna certe eorum fuit negligentia, auctoris illius artificium non agnouisse, cuius scripta omnibus alijs præferenda esse iudicarunt. Qua methodo siue arte fieri dixit vt si intereant scripta, non desperandum sit quum ab eo qui methodum teneat facile rursus scribi Medicina possit. Est autem methodus [a] ratio seu via tractandi quæ à comuni quodam principio orditur quod inconfesso est, inde procedit dissoluendo composita, diuidendo genera, donec ad vltimas & simpliciſsimas species, fuerit peruentum, interim statuens quid primo, quid secundo, quid tertio, atq; ita deinceps tractari debeat, neq; aliquid relinquit ex ijs quę ad propositam rem facere videantur. Hanc methodum maxime celebrauit atq; excoluit Galenus, neq; opus aliquod composuit vbi non inueniatur. Veniant in medium morbi, causæ, sympthomata, signa, ratio curandi, facultas medicamentorum, quodcunq; ex his intuearis, à re & a ratione profectum esse iudicabis: id quod vere est artem tradere, nam qui viam cum ratione non sequuntur, magis historiam scribunt quam artem constituant. Vis uidere quantum interſit

a Gal. p. meth. c. 4. & 4 meth. c. 4.

inter

inter artem & hiſtoriam? Lege quæ Plinius de animalibus, de Stirpibus in ſuam hiſtoriam contulit, ſpecta eadem, quo pacto ab Ariſtotele de Animalibus, à Theofraſto de ſtirpibus traduntur, diſcernes procul dubio quantum diſtent (vt aiunt) cera lupinis. Quod ſi Plinius, ordinate ſuam hiſtoriam diſpoſuit, non propterea in ſingulis rerum capitibus enarrandis, methodum adhibuit; aliud enim eſt ordinem quendam ſibi præfigere neq; ab illo recedere, ſed eodem capita omnia diſtribuere, aliud eſt, ſingularum rerum genera perſcribere, & ex ſuis fontibus haurire; ac ne longe exempla petamus, ordo quem Auicenna tenet in Medicina exponenda ſummopere laudatur, quó à ſimpliciſsimis paulatim aſcendit ad maxime compoſita, licet ad inueniendum aptior ſit ordo diſſolutionis, qui à compoſitis quæ nobis notiora ſunt, ad ſimplicia intendit quæ magis latent. Seruat igitur Auicenna ſtatutum ordinem conſtantiſsime, quum rerum genera exponit, in explicandis tamen, hiſtoriam magis quam artem conficit, cum ſingula præcepta magis enarret, & coniungentibus particulis connectat quam probet, aut eliciat ex certis fundamentis (quem ad modum facere Galenum videmus) ex quibus conſequantur, plurimũ enim intereſt inquit Ariſtoteles in[a] ſua Poetica, hæc ne poſt hæc, an per hæc, quod eos latet qui ſine via ac ratione libros conſcribunt. Miror autem auctores qui poſt Galenum vſq; ad memoriam noſtram fuerunt, præclaram illam Methodum non animaduertiſſe, ſed prę cipue Auicennam, quem alioquin cęteris antepono: nemo enim via cum ratione medicinam tradidit, quamquam multi accurate ipſam Græci, Arabes, & Latini prodiderũt. Ex Grecis Oribaſius, Paulus, Aetius, Alexander Trallianus magno in pretio habẽtur, quos ſi diligenter inſpexeris, inter hiſtoricos medicinæ ſcriptores, magis quam inter peritos artifices numerabis. Inter Arabas ſatisfaciat exemplũ vnius Auicennæ iam poſitũ. At latinorum genus tripartitum eſt, aut enim ante Galenum fuerunt, aut proximo ſeculo inſecuti ſunt Arabas, aut vel memoria noſtra vixerunt, vel adhuc viuunt. Ex antiquis Cornelij Celſi duntaxat mentionem faciam, nam ſi qua ſunt ab alijs ſcripta, exilia admodum ſunt, nec digna quæ cum maximorum virorum operibus conferantur. Cornelium igitur Celſum, vehementer ſuſpicio atq; admiror, cuius ſtilo non ſolum non vidi aptiorem ad eiuſmodi profeſsionem tradendam, ſed ne cogitatione quidem valeo, aut mente, concipere meliorem. in hoc ſumma breuitas cum mira facilitate coniungitur: non ſonus, non elegantia deeſt, non verborum electio, pure enim latine ſcripſit vt ſi quiſquam alter. hunc ſcribendo imitari debent, qui medicinã monumẽtis mandare inſtituunt,

[a] Ariſtot. in Poetica.

modo

modo hanc ab ipso non requirant, nam præter illa quæ ex Hippocrate felicissime latina fecit, non Empiricam, non Methodicam, non Rationalem sectam profitetur, sed omnes simul confundit, diuersa præcepta multorum auctorum sine vlla ratione colligit, itaut magis à Rhetore, quam à medico illius libri scripti videantur. At latini qui Arabas ætate consequuti sunt, multum vt temporibus illis valuerunt, fuerunt tamen addicti quæstionibus & suos libros physicis ac dialecticis disputationibus parum ad sanitatem attinentibus refertos ediderunt. Quod autem barbaris vocabulis medicinam fædauerint, vltrò ignoscimus, nam vt semel latini sermonis eloquentia vnà cum imperio labefactata est, non ante restitui cepit quam opibus, diligentia, studio Illustrissimæ Familiæ Mediceæ vt [a] supra diximus iuuaretur. Quam ob rem nõ ante memoriam patrum latina lingua fuit in veterem dignitatem restituta: itaut excusandi sint qui ante barbare magis quam latine, & hanc & cæteras liberales artes tractauerunt. Cum his autem bene actum est, qui felici hoc seculo scripserunt, quibus multum profuit Græcarum literarum peritia, ne in ridiculos errores inciderent, in quos ob earum inscitiam delapsi erãt maiores, sed maiorem opem attulit latini sermonis correctio, vel potius restitutio & methodi cognitio, nam multa [b] renascuntur quæ iam cecidere: Nullus tamen nostri seculi (quod sciamus) medicinam totam mandare monumentis tentauit, sed alij Græca opera in latinum verterunt, alij commentaria in Galenum, & Hippocratem aliosq; præstantissimos auctores condiderunt; quod & nos fecimus, cum multos ante annos, Græcorum chyrurgiam, partim latinam reddidimus, partim commentarijs patefecimus, alij libellos compo fuerunt contra Arabas & latinos, alij Galenum repræhenderunt, & vt breuibus, rem perstingam, quiuis auctor non Artem vniuersam, sed aliquam eiusmodi partem conscripsit, itaut latine medicinam totam prodere, vitatis incommodis quæ Galeno & Auicennę obijciuntur, adhuc integrum esse videatur.

a Supra c. 1.

b Orat. in Poetica.

Excusat se Auctor, quod non debeat haberi aut imprudens, aut arrogans, si post tot auctores de Medicina scribat. Cap. VIII.

HÆc de ijs qui quauis lingua Medicinam hactenus excoluerunt, redeo ad illud quod initio proposui, quum me dixi aut imprudentiæ accusatum iri si deteriora, aut arrogantiæ, si meliora facere contenderem quæ de illa clarissimi auctores antea tractauissent. Cui obiectioni hunc in modum occurro. Non inficior, me hanc prouinciam suscepisse animo reddendi meliorem, quam

obrem

obrem Imprudentiæ nomen effugio. Sed videor in arrogantiam delabi, quam aliqui a me vitari nullo modo posse arbitrantur, qui si diligenter institutum nostrum inspiciant, & rem ipsam vsq; ad viuum resecent, nos ab eiusmodi quoq; culpa vindicabunt, quum Medicinam quam scribimus, non nobis acceptam referri velimus (non nobis inquam) sed Hippocrati, Galeno, cæterisq; tam antiquis quam iunioribus, prout quisq; plura vel pauciora censetur ad hanc artem contulisse. Equidem non aliud intendo, quam vt illorum sententias in compendium conferam, ex inordinatis (in qua re plurimum laboraui) in ordinem adducam, Si quid desideratur, adiungam, & ea omnino vitem quæ in Galenum animaduertuntur. Hæc vt non parua esse fateor, sic etiam non concedo ita magna vt veteranum debeant deterrere. Nam colligere aliorum fructus, in compendium conferre, quiuis potest vel mediocriter eruditus. In ordinem distribuere, addere quod deest, maius negotium istud quidem & arduum est, non id tamen quod ab homine in arte versato, penitus absolui nõ possit: Quum Galenus in libro de constitutione artis medicinalis, ordinem præscripserit quo medicina tractari commodisime possit. Eundem cũ à rei natnra proficiscatur, auctorem habeat Galenum, doctissimis quibusq; probetur, sic quoq; tenere opere prætium iudicauimus. Quæ autem noua adijcere oportet, magna ex parte ex Galeni operibus colliguntur. At vitare incomoda quæ in Galenum animaduertuntur; vt alijs facile fuit ita etiam mihi non futurum difficile existimo. Nam vt à longitudine ordiar quam exigit sectarum improbatio, hęc necessaria nobis non est quum sectas illas non amplius sit opus euertere, quæ non solum in mentibus nostris non reperiuntur, sed ne leguntur quidem in libris. Hippocratis autem sententias, accipiemus à Galeno declaratas, neq; enim nouis comentarijs egent. Si quæ remanent obscurę, paucis aperientur. Nulli scribentur à nobis libri seorsum in amicorum gratiam, quum proposito opere totam Medicinam persequi decreuerimus: quumq; Methodo tractanda omnia nobis sint, breuitatem cum perspicuitate coniunctam pollicemur. Controuersiam & inconstantiam cauebimus, quum & aliorum præcepta & siqua de nostro adjciemus, à rei natura ducta ratione perpendemus, nec opus mature præcipitabimus, sed sæpius antea recognitum proferemus. Confusio omnis tolletur, si à formula quam ante instituí non recedam. Opera autem quæ desiderantur apud Galenum magna ex parte ab eodem diuersis ex locis petuntur. Adde quod illi qui Galeno successerunt, siue Græci, siue Arabes, siue Latini, eiusmodi opus adiecerint. Tantum supereſt, vt quæ sine via

ac ratione ab illis traduntur, à nobis via ac ratione perſcribantur Errores verò in quos Galenum deferri dicunt iuniores, quum ab illis patefiant, imitari ſummę dementiæ eſſet. Quæ cum ita ſint, non debet arrogantię vitio dari, ſi quis medicinæ facultatem con tendat facere meliorem. Hoc vero ſi alijs conceditur, non video Dux optime cur mihi debeat denegari, nec quam obrem aditus, qui alijs ad hanc prouinciam pateat, mihi intercludatur qui medicinam, tum docendo, tum exercendo iam conſenui, nulla altera occupatione abductus. Non publicum negotium mihi eſt, aut fuit vnquam non etiam priuatum tale vt non tantum ocij fue rit quantum ipſe ſumpſerim. Ne obſtaret rei familiaris anguſtia quo minus alere poſſem non ſolum me, ſed eos quorum opera vtor ad inſtitutum opus abſoluendum, effecit ante liberalitas FRANCISCI PRIMI Galliarum Regis inuictiſsimi, qui me Sacerdotio ſatis opulento ornauit, quum ex ſuis Medicis mi hi vni, medicinam lutetiæ publice docendi munus delegaſſet, & nunc etiam efficit liberalitas tua non minor COSMAE DVX Ducum maxime, qui cum REX FRANCISCVS è vita mi- graſſet, me ad patrios lares ſumma cum dignitate reuocaſti, & vt medicinam non modo facerem, ſed Piſis publice etiam docerem, ampliſsimum ſtipendium propoſuiſti. Quo non contentus, bene ficiorum multitudine quotidiæ me oneras. Fuit etiam mihi ſem per ſumma commoditas, quum totam Italiam, ac Galliam pera grauerim, cum medicis ex vtraq; natione doctiſsimis comunican di quæ ſentirem, quæue difficilia exiſtimarem, eorumq; ſenten- tias accipiendi. Eadem nunc mihi facultas eſt in Academia Piſana, vbi doctores nutris DVX optime vt alijs diſciplina- rum generibus, ita etiam medicina præſtantiſsimos, quorum om nium auxilio fretus non dubitaui hoc munus quodcumq; fuerit ſuſcipere, quod ſaxum iam diu voluo, ita vt non diffidam paucis annis, Deo fauente, (modo ſuperſtes ſim) me abſoluturum eſſe quod incepi, quum formulam præſcripſerim, & omnia preſtò habeam quę neceſſaria eſſe videantur, non ſecus quam qui con- ſtituta formula aedificij, lapides, ligna, ferramenta, calcem, & cuncta deniq; parauerit ad ædificandum oportuna. Sed cominus iam rem ipſam aggrediar, ac primo quædam communia Mathe- maticorum modo explicabo quaſi fundamenta iaciens, vt inde ad ſingula membra Artis explicanda, tranſire poſsim commodiſ- ſime.

Finis primi libri inſtitutionum Medicinæ.

VIDI VIDII, INSTITVTIONVM MEDICINAE.

LIBER SECVNDVS.

In quo traduntur quæ comunia ſunt totius Medicinæ.

Definitio Medicinæ. *Cap.* I.

MEDICINA eſt ars quæ ſanitatem facit in corpore humano. Sunt qui aliomodo ipſam definiunt, ſed aut non ſatis explicant eius vim, aut ſuperuacaneum aliquid adijciunt, quemadmodum [a] Hippocrates qui in libro de flatibus, medicinam ſtatuit detractionem eſſe & adiectionem, vbi finem omittit ad quem ars dirigitur, & per quem definiri [b] debet, ſed ibi magis opera diuidit ad finem conſequendum neceſſaria. Quum medicus, ſiue ſecundam valetudinem tueatur, ſiue, aduerſam depellat, ſemper [c] aliquid adijciat, aut detrahat. At neque Galenus etiam, ſatis finem & vim huius artis explicauit quum in libro [d] quem artem medicinalem inſcripſit, dixit medicinam eſſe ſcientiam ſanorum, ægrorum, & neutrorum, quibus verbis non proprie artem, ſed quot & quæ eſſent quæ ab illa tractantur expoſuit, Auicenna [e] vero quædam ſuperuacanea in definienda medicina propoſuit quum inquit, medicina eſt ſcientia qua humani corporis affectus noſcuntur, quatenus ſanatur, vt habita ſanitas conſeruetur & amiſſa recuperetur. Adijcit igitur affectuum humani corporis cognitionem, quam vt neceſſariam eſſe medico fatemur, ita præter rem in definitione poni arbitramur, atq; vt neceſſaria eſt ad ſanitatem cognitio affectuum humani corporis, ita etiam medicamentorum, victus, & chyrurgiæ, quæ tamen, in ea definitione non ponuntur. Abunde autem erat medicinam definire per finem, qui eſt effectio ſanitatis, quò expreſſo, ſatis conſtat proficiſcendum eſſe per ea quę ad ipſum comparandum oportuna iudicantur. hæc non oportuit [f] à definiente recenſeri, finem ergo propoſuit Auicenna quum,

[a] Hipp. l. de flatibus.

[b] Gale. l. de conſt. artis cap. 20.

[c] Galen. ad Thraſi. 25.

[d] Galen. l. artis medici. cap. 2.

[e] Auicenna in princ. p. libri.

[f] Auicenna loco Cita. to

hæc

hęc duo dixit,vt habita ſanitas conſeruetur & amiſſa recuperetur, alia omnia ſuperuacanea ſunt. Quid quod eadem duo multo breuius & æque aperte, in noſtra definitione proponuntur quum dicimus, quæ ſanitatem facit. Reiectis igitur alijs definitionibus hac vna acquieſcimus, quæ breuiſsima eſt, & ſimul totam vim artis explanat, medicina eſt ars quæ ſanitatem facit in corpore humano. Colligitur autem ex [a] Galeno, qui medicinam inter artes facientes commemorat, & eandem verſari circa bonum corporis humani, hoc eſt circa ſanitatem exponit. Quam definitionem idoneam eſſe ita vt nihil addi, nihil detrahi poſsit, oſtendemus, ſi & genus, & differentias, quæ in ipſa ſunt, diligenter exſtimemus, ſpectantes an ars re vera ſit genus medicinę,& an duæ illę differentię,ſcilicet quę ſanitatem facit in corpore humano, medicinam à cęteris artibus ſeiungant, ac perfecte ipſam explicent, ita vt nihil deſideretur, nihil redundet.

[a] Gale. 1. de conſt. artis cap. 2.

An Medicina ſit ars, an ſcientia. Cap. II.

INCIPIAMVS igitur ab arte, quam diximus eſſe genus in definitione medicinæ. De hoc non cõuenit inter omnes,nam in duabus definitionibus quas proxime [b] repudiauimus,genus nõ ponebatur ars ſed ſcientia. Vt autem appareat vtra ſententia melior ſit præſtat a diuiſione artiũ & ſcientiarũ exordiri,& ſic rem altius repetere. Diuidit Ariſtoteles ſexto [c] libro de prima philoſophia omnem habitũ mentis,ſeu notionem, in cõtemplantem agentem & ſcientem,appellat contemplantem eum qui intendit ad ſolam veritatem indagandam,& præter ipſam contemplationem nullum habet alium finem. contemplantem eſſe ait naturalis & diuinæ philoſophię ac mathematicarũ diſciplinarum peritiam. Agentem habitum vocat illum qui non amplius in contemplando, ſed in agendo conſiſtit,eiuſmodi eſſe ait moralem philoſophiã,peritiam gubernandę domus,adminiſtrandę reipublicę. Sed facientem habitum inquit eſſe illum qui in faciendo verſatur,& finem habet ipſam effectionem ſeu opus. Inter has facultates,illa quæ in contemplatione verſatur,proprie [d] eſt ſciẽtia,nam quę in actione prudentia, [e] quę in effectione [f] ars nuncupari potius conſueuit. Vnaqueq; autem harum, cognitionum definitur ab Ariſtotele ſexto libro de moribus hoc modo. Scientia [g] eſt conprẽhenſio rerum vniuerſarum,earumq; omnium quę ſunt neceſſarie, & ſub demoſtrationem cadunt. Prudentia [h] eſt habitus, vera ratione ad ea agenda idoneus,quę ad bene viuendum pertinent, & aliter ſe habere poſſunt,& ſita ſunt in agente. Ars eſt [i] habitus cum ratio

[b] In capite antecedenti.

[c] Ariſt. 6. diuin. Tex p.

[d] Ariſtot. 6. Ætic. c. 3.

[e] Ariſtot. 6. Ætic. c. 3.

[f] Ariſtot. 6. Ætic. c. 4.

[g] Ariſtot. 6. Ætic. c. 4.

[h] Ariſtot. 6. Ætic. c. 5.

[i] Ariſtot. 6. Ætic. c. 4.

ne in faciendo positus, spectatq; id vnum quemadmodum efficiatur vnumquodq; eorum quę possunt esse & non esse, quorumq; principium situm est in eo [a] qui efficit non in eo quod efficitur, externum autem est id circa quod versantur effectiones. Hęc ita se habere non solum satis probatum est ab Aristotele, sed ita omnibus innatum, atq; animis insculptum, vt probatione amplius non egeat. Sint igitur hæc fundamenta nostrę opinionis, per quę conuincamus medicinam non esse scientiam sed artem. Stabilita igitur definitione artis, ac scientię superius tradita, si demus id quod negari non potest, & euidentius est quam vt probari debeat, medicinam dirigi [b] ad sanitatem, eamdemq; tractare corpora nostra, quatenus arte mutari possunt, facile conspiciemus medicinam nullo pacto esse scientiam sed artem. Neq; obstat quod tradat vniuersa, & non singularia, quum pariter hoc artium & scientiarũ sit cõmune, singularia enim quum infinita sint & intereant, nequeunt ab his compræhendi qui artem docent: [c] quamquam re vera exercitatio artiũ in singularibus versatur, sed quum hęc tradere non possint artium doctores, nituntur quantum fieri potest ad ea proxime peruenire, quod faciunt per methodum illam diuisionis, per quam [d] Mnesitheus tot conditiones simul colligebat, vt penè constitueret singulare, licet sic contrahere vniuersitatem generis eamq; gradatim ad pauciores, deinde postremo ferè deducere ad singulos. Quod si aliqua medicinę præcepta certa sunt & demonstratione comprobantur, non propterea tollitur quin sit ars, sumit enim illa medicus [e] à phisicis, subijcitur enim medicina philosophię naturali, vt architectura geometrię, sumit tam architectura quam medicina quędam principia à superiori scientia demonstrata, neutra tamen est scientia sed ars ob finem qui in faciendo constitit. Si consisteret in contemplando esset medicina nõ solum subiecta philosophiæ naturali, sed etiam pars ipsius, agit enim naturalis philosophus de sanitate & morbis atq; alijs affectionibus animalium, sub quibus conprehenditur homo, itaut sit pars materiei subiectæ philosopho naturali, spectat autem medicina non ad contemplandum, sed ad faciendum, & idcirco est ars. Verum abutuntur aliquando nominibus veteres tam medici quam philosophi, neq; normã seruant quam prescripserunt de nomine artis, & scientię. Quod fecit Plato [f] quum in politico artem diuisit, in agentem & cognoscentem, & Aristoteles [g] quum in prohemio primi libri de prima philosophia, sapientiores dicit esse artes contemplantes quam agentes, cõplectũtur enim scientias sub nomine artis: quos imitatur etiam Galenus, in prohemio libri de constitutione artis medicinalis.

[a] Arist. 9 diuin. Tex. 3.

[b] Gale. l. de sectis ca. p.

[c] Arist. p. diuin. cap. p.

[d] Galen. p. ad Glauc. c. p.

[e] Auice. l. p. in prohem.

[f] Plato in Politico.

[g] Arist. p. diuin. cap. p.

Sed

Sed artes interdum quoq; nomine ſcientiæ appellantur, vt ab Ariſtotele, ſexto, [a] vndecimo, & [b] duodecimo libro de prima philoſophia, vbi ſcientiam ponit non ſolum contemplantem ſed agentem quoq; & facientem: ita vt excuſandi ſint qui loco artis, ſcientiæ nomen vſurpant in definitione medicinæ, præſertim Galenus qui plerumq; artem, ipſam appellare ſolet, & librũ ipſum in quo ſcientiam eſſe tradit, medicinalem artem, non ſcientiã inſcripſit.

[a] Ariſt. 6 Metaphyſ. Text. 1.
[b] Ariſt. 11. diuin. ca. 8.

Diuiſio Artium, & ſub qua ſpecie, comprehendatur Medicina. Cap. III.

STATVENTES igitur Medicinæ genus eſſe Artem, pergamus ad exponendas differentias in definitione poſitas, prior fuit facere ſanitatem. Scire autem licet, artes omnes eſſe potentias, ita vt idem illis eueniat, quod potentijs, hoc autem eſt vt [b] aliæ ipſa effectione contineantur nec aliquod opus præſtent, aliæ præter effectionem opus factum relinquunt perfectius effectione quę ad ipſum dirigitur. In ſola effectione [c] ſeu actione conſiſtit Paleſtra, Ludorum, Tibicinum, & Cytharedorum peritia, quarum perfectio in ipſa effectione conſiſtit. Relinquit opus poſt effectionem Pictura, Ars fingendi, Ars ædificandi. Medicina [d] quum ſanitatem faciat quę poſt effectionem manet, illis artibus adnumerari debet quę non habent finem in faciendo, ſed ad opus diriguntur quod relinquendum eſt. At diuiduntur hæ rurſus à Platone in eo [e] dialogo quem Sophiſtam, nominat, in eas quæ faciunt opus quod relinquunt, & eas quæ non ſimpliciter, ſed eatenus faciunt, quatenus factum comparant. Facit quidem ars fingendi ſignum, pingendi tabulam: comparat quod factum eſt venatio, piſcatio, aucupium, ab his enim nihil noui fit, ſed quod ante erat acquiritur. At [f] medicina nihil comparat aut acquirit quod factum ſit, ſed ſanitatem facit. Verum artes quæ ſimpliciter faciunt, rurſus in duo genera diducuntur, nam aut nouũ opus efficiunt, aut quod [g] ante factum erat reſarciunt, Sutoria enim ars, duplex eſt, quædam nouos calceos efficit, quædam iam laceros & contritos reſarcit. Medicina [h] non facit ſanitatem de integro, hanc enim facit natura, quum corpus noſtrum conſtituit, ſed quaſi [i] laceram & quodammodo contritam reſarcit. Ergo per hanc differentiam, facere ſanitatem, intelligimus medicinam eſſe ex illis artibus, quæ opus poſt effectionem relinquunt, quod non venantur, ſed ſimpliciter faciunt, licet magis proprie reſarcientibus, quam de integro facientibus adnumeretur. At quamuis reſarciat, non propterea ignobilis aut ſeruilis exiſtimenda eſt, nam ſi vnde ſumatur nobilitas artis ſpectauerimus, exiſtimabimus eã

[b] Gal. ad Traſyb. 30.
[c] Galen. l. de conſtit. artis. cap. 2.
[d] Galen. ibidem.
[e] Plato in Sophiſta, & Galen. l de conſtit. art. cap. 3
[f] Gal. ad Traſyb. ca. 30.
[g] Gal. de tu. val. ad traſ. 25. & 30.
[h] Gal. ad Traſyb. ca. 30.
[i] Galen ibidem & ca. 11. & 12. eiuſdem libri & s. 6. epid. p.

omnino esse nobilissimam. Duo enim creduntur tam artium, quam scientiarum nobilitatem afferre: [a] vnum est, nobilitas subiectæ materiæ, alterum [b] est ratio demostrationis. Medicinę quidem subijcitur [c] corpus humanũ vt paulo post monstrabimus, hoc enim est quod tractatur à medico, quodq; si cũ cæteris conferatur quę alijs artibus subijciuntur, nobilissimum omniũ consensu iudicabitur. Sed ratio demonstrationis nullam videtur addere nobilitatem medicinæ, cum potius [d] coniecturalis sit quam certa, inter artes enim quædam adeo exacta & exquisita demonstratione cõtinẽtur, vt consilium non capiant, quem admodum ostensum est ab Aristotele tertio libro de moribus, huiusmodi sunt quæ fingunt, pingunt, ædificant: habent enim certitudinem quandam eius quod facere oportet, ita vt consilio non egeant ad discernendum hoc an illud agendum sit, sed id quod fieri debeat, necessario se ostendit. Alię artes sunt minus exquisitę & coniecturales quę [c] auctore Platone in Philebo multum habent obscuri & parum firmi, cuiusmodi dicit esse artem gubernandi naues, ducendi exercitus, & medendi, hę enim capiunt consilium. Facile autem quum cõiectura moueatur, in errorem defertur tam gubernator, quam medicus, ita vt Hippocrates eum meliorem medicum esse dicat qui minus errat. Caret igitur medicina, nobilitate sumpta à certitudine demonstrationis, minime tamen seruilis est, quum ferè nihil egeat corpore, sed requirat summum artificium in animo, quum generosa item dici debeat: nam seruiles appellant philosophi artes illas, quę maxime egent corporis opera. Ergo pręter subiecti nobilitatem, propter summum medicinę artificium, [f] omnium nobilissima dici potest. Sed longius labimur, reuertamur vnde digressi sumus, ad secundam videlicet particulam definitionis, facere sanitatem, per quam differentiam, medicina ab alijs artibus distat quæ aut non simpliciter faciunt, aut saltem non sanitatem. Quod si altera pars medicinę consistere videatur in conseruando sanitatem factam, non autem in faciendo, resarcit tamen & illa sanitatem etiam [g] in homine bene valente, nam in ijs qui licet sani sint non tamen integra sanitate fruuntur, perspicuum est sanitatem resarciri per contraria. Sed si diligentius rem obserues dum medicus conseruat etiam eos qui bene valent, semper aliquid addit, aut adimit, [h] atq; hoc pacto sanitatem facit, seu resarcit, sed quia recessus à natura tunc adeo paruus est, vt vix perspicuus sit, ideo tunc non restitui, sicut quando plurimum recedit, sed conseruari sanitas dicitur.

a Arist. p. de ani. tex. p.
b Gal. p. aphorismorũ com. p.
c Galen. l. de cur. per vene sect. ca. 12.
d Aristot. 3. Æthic. c. 3.
e Plato in Philebo.
f Galen. in Oratione Suasoria ad bonas artes.
g Gal. de tu. val. ad tra syb. ca. 20.
h Gale. Ibidem.

Quod Medicinæ ſubiectum ſit humanum, corpus, finis ſanitas, officium appoſite facere ad ſanandum. Cap. IIII.

POSTREMA particula, quam in definitione medicinę poſuimus, fuit (in corpore humano) qua differt ab arte quę ſanitatem facit non tamen in corpore hominum, ſed aliorum animaliũ: neq; enim conſeruatur aut redditur ſanitas ſolum homini, ſed iumentis etiam, ac pecori, & armento: quamuis nonnulli voluerint belluarum curationem ad medicum quoq; pertinere. Sunt qui etiam afferant ſtirpes, quæ ſimiliter curantur vt facile patere poteſt ex ipſo [a] Theophraſto. Ergo non ſolum in homine ſed in alijs animalibus, & in ſtirpibus etiam fit ſanitas. Vnus autem eſt finis in omnibus his curandis, nempe ſanitas, vnaigitur videtur eſſe debere ars quæ quidem erit medicina, hæc enim de ſanitate pertractat. At res aliter habet, nam diuerſæ ſunt artes, quæ quatenus finem habent communem ſub vno communi genere continentur, quod non dum nomen inuenit, quatenus proprium vnius cuiuſq; ſua ſpecies eſt, & nomen accommodatum: Quædam enim ars finem habet proprium, nempe faciẽdę ſanitatis in ſtirpibus, atque hæc agricultura nuncupatur non medicina, altera vero finem habet alterum proprium, nempe faciendæ ſanitatis in corporibus iumentorum, & dicitur à nonnullis [b] veterinaria. Eſt & alia quam tractamus, quæ propoſitum finem habet faciendæ ſanitatis in corpore humano, quam Greci, ἰατρείαν. latini, medicinam nominant, neq; .n. vſurpari conſueuit medicinæ nomen ad ſtirpium, vel belluarum, ſed hominum duntaxat curationem: niſi forte ſiquis negligẽtius rem tractans, abutatur medicinę nomine ad alia quoque corpora curanda. Differt igitur medicina per hanc poſtremam differentiam, (videlicet in corpore humano) à veterinaria, & agricultura, quæ quamuis ſub vno genere artis contineantur, & communia ſpectent præcepta, ac finem communem, ſpecie tamen inter ſe differunt, ratione proprij finis, hoc eſt ſanitatis, conſideratæ in propria ſpecie ſubiecti, habent etiam prȩcepta propria, quibus maxime nituntur: idem quoq; accidit arti fingendi quę multiplex eſt, licet finem vnũ communem habeat, vt ſignum aut ſtatuam, & vna eſſe videatur, ſed alius artifex ſigna fingit ex ęre fuſo, alius ex cerà format, alius exprimit ex marmore vel alio lapide. Quod ſi interdum idem homo hęc omnia prȩſtet, non propterea tollitur, quin artes plures ſint inter ſe differentes. Eadem ratio eſt ſanitatis quam varię artes intendunt, ſed medicina proprie in corpore humano. Ex his iam patet quid ſit ſubiectum

[a] Theoph. 3. de cauſis plant. c. 2.

[b] Columella l. 7. c. 3.

Medicinę, non enim ſanitas aut homo, ſed corpus [a] humanum, vt aliarum artium alia eſt materia, veluti lapis lignum aut aliquod metallum, ſed hoc ſolummodo tractat medicina, quod in ea ſubiectum eſſe tradit Ariſtoteles, non ſecus quam in Politicę ciuitatem, in Oeconomicę domum. Præterea vt in ſcientijs ſubiectum eſt illud circa quod verſatur finis ſcientię, hoc eſt ipſa contemplatio, ita in Artibus ſubiectum eſt circa quod verſatur finis artis, hoc eſt ipſa effectio, ſeu opus. In medicina ergo quę eſt ars, ſubiectum eſt illud circa quod eius finis, nimirum ſanitas verſatur, erit itaq; ſubiectum medicinę corpus [b] humanum, cuius affectus & actiones conſiderat medicus non in vniuerſum vt phiſicus, ſed quatenus pertinent ad bonum ipſius, nempe ad ſanitatem, neq; refert ſi medicina, non facit corpus humanum, cum non omnis ars materiã ſibi præparet: ad hoc diriguntur quęcumq; conſiderantur à medico. Dico autem corpus humanum, & non hominem, quandoquidem in homine continetur prȩcipue animus, cuius ſanitas ad moralem philoſophum pertinet, non ad medicum: conſiderat enim medicus corpus humanum cum ſuis partibus atq; affectibus, vt ſanitatem inducat. Corpus igitur humanum eſt quod ſubijcitur medicinę, id quod manifeſte Galenus [c] declarauit, tum in exponẽda prima illa ſententia, in qua Hippocrates experimentũ eſſe periculoſum tradidit, tum ſecundo [d] libro de criſibus, cum duplicem materiam à medico attendi tradidit, vnam in qua, videlicet corpus humanum, alteram per quam, hoc eſt medicamenta. Neq; placet ſententia eorum, qui non corpus humanum, ſed ſalubre, ſeu ſanum poſuerunt ſubiectum medicinę, nam ſalubre multa continet, quæ cum non ſint corpus humanum, non ſunt ſubiectum in quo medicina faciat ſanitatem, ſed magis inſtrumenta ad eam comparandam neceſſaria. Nec placet etiam eorum ſententia, qui ſanitatem: eo quod ad ipſam omnia referantur ſubiectum eſſe voluerunt: nam ſi diligenter ſpectemus, ipſa ſanitas ad hominem refertur, & eſt finis quem medicus comparare nititur in corpore humano. Ergo quecumq; in medicina conſiderantur, ſi pertineant ad ſanitatem, pertinere quoq; ad hominem neceſſe eſt, & proprie ad corpus humanum, quod eſt finis cui ſanitas comparatur; nam finis cuius gratia agit Medicus eſt ipſa ſanitas, quæ ita eſt finis vt non amplius ſit ſubiectum. Sanitatem cum adepta eſt ars medicinalis non vltra progreditur. Eſt ergo ſanitas finis: vt autem finis à ſubiecto differt, ita etiam ab officio, quod Ariſtoteles primo libro [e] Rhethorices demonſtrauit: nam finis inquit oratoris eſt perſuadere, ſed officium eſt appoſite dicere ad perſuadendum: ſicut finis medici eſt ſanare, officium appoſite facere

[a] Gal. p. aphor. com. p.

[b] Gal. p. aphor. com. p.

[c] Galen. p. aphoriſmorũ. com. p.

[d] Gale. 2 de criſibus. cap. 9.

[e] Ariſtot. primo Rethoric. cap. p.

cere ad ſanandum: neq; repræhendendus eſt orator, aut medicus, vbi finem non adipiſcitur, ſed vbi non bene fungitur ſuo munere, vt cum orator non ſatis idonee dicit ad perſuadendum, & medicus non facit appoſite ad ſanandum. Ex propoſita igitur definitione, quę eſt ars faciens ſanitatem in corpore humano, quale medicinę ſubiectum ſit, & qualis finis, euidenter colligitur: officium autem, quod diximus eſſe appoſite facere ad ſanandum qua ratione perficiatur intelligi facile poterit ex ijs quæ ad ipſum attinentia nunc ſubijciemus ita orſi.

Quæ ad perficiendum Medici officium requirantur. Cap. V.

CONTINETVR communiter ſanatio, medico, ęgrotante & miniſtris, quos Hippocrates[a] initio illarũ ſelectarum breuiumque ſententiarum quas ἀφορίσμους appellat, poſtulat facientes quę oportet, quamquam talia etiam deſiderat exteriora, quę cum fortuita ſint, ſub artem minime cadunt, ſicuti medicus, ęgrotans, miniſtri: qui tunc tales eſſe dicentur quales oportet, cum ſuum officium ita exequentur, [b] vt tuto, cito & iucunde ſanitas comparetur. Id quod præcepit quidem Aſclepiades, ſed multo ante Hippocrates, cum generatim primo libro de ratione victus in morbis acutis eaſdem animaduerſiones præſcripſit in omni curatione, quas operepretium eſt primo ſigillatim ſcrutari, de in omnes inter ſe conferre. Tuto igitur medicina exercetur, cum tria efficiuntur: vnum, cum non lędituꝛ homo, alterum cum abſoluitur opus propoſitum, tertium [c] cum ita abſoluitur vt malum illud non poſsit amplius reuerti. Primum ergo dare operam oportet, nè vbi nitimur prodeſſe, noxam afferamus, turpius enim eſt nocuiſſe videri, quam non profuiſſe. Quamobrem inter prędcepta Hippocratis illud in primis [d] fertur, iuuare & non nocere: vt autem tuto curemus, non ſolum neceſſe eſt tueri vitam, ſed actionem quoque, & ſpeciem partis quantum fieri poteſt: nam cogitur aliquando etiam ille qui tuto curat, eligere leuius malum vt euitet quod grauius eſt, atque ita actioni ac formæ, vitã antepone re, vt mox declarabimus. Alterũ quod obſeruari debet ab ijs qui tuto curant, eſt vt opus abſoluatur, nam turpe eſt inchoatũ opus nõ abſoluere. Tertium quod ad ſecuritatem ſpectat, eſt vt [e] detur opera nè malum quod curatum eſt rurſus reuertatur. Celeritas deſideratur in omni arte, & multo magis in medicina, neque ſolũ iocunda eſt, ſed etiam ſalutaris: iocunda eſt, quod cito expediat à moleſtia ęgrotantem, ſalutaris quod [f] ſepe periculum ſit in mora cum malũ in valeſcat. Expetitur ergo celeritas & tanquam iocunda & tanquam

a Hipp. aphoriſmorum. p.

b Galen. l. 4. meth. c. 13

c Galen. l. 4. meth. c. 13

d Hipp. 2. p. epid. tex. 50.

e Galen. 14. meth. c. 13

f Hippocr. p. aphoriſmorum. p.

tãmquam vtilis ægrotanti. Supereſt iocunditas quę in eo conſiſtit; partim vt curetur homo ſine dolore quantum fieri poteſt, partim vt oblectetur, vel minime offendatur, vitare enim oportet quæcumque poſſunt vel ſenſum, vel animum ipſius offendere. Porro tria hæc, ſecuritas, celeritas, & iocunditas perpetuo in curatione requiruntur, niſi ſit quod impediat, vt aliquando euenit. Incidunt enim caſus cum nequit iocunditas cum ſecuritate ac celeritate, vel celeritas cum ſecuritate copulari, in quibus ſpectandum eſt ad id quod eſt dignius & magis vrget, anteponendaq; ſecuritas celeritati & iocunditati vt mortis periculum euitetur, vel vt defendatur actio partis, expedit dolorem perpeti quantumuis grauem. Præferenda enim eſt ſalus & actio iocunditati. De forma vero, vbi nequeat ſine magno dolore reſtitui, rogandus eſt ægrotans malit ne ſpeciem ac dignitatem partis cum tormento recuperare, quam ſine hoc deformitatem perferre. Celeritas verò vbi ſecuritati aduerſatur, non dubium eſt quin poſt habenda ſit nam medicus vt Imperator, melior eſt tutus quam temerarius. Laudatur ab Ennio Fabius Maximus, qui cunctãdo reſtituit rem. At vbi celeritas quæ plerumq; iocunditatem afferre ſolet, cum ea pugnet, conſulere Ægrotantem oportet, num malit longiori tempore citra dolorem curari, an ſtatim cum dolore. Commune igitur eſt medico, ægrotanti, [a] miniſtris, tales eſſe vt tuto, cito, & iucunde comparent ſanitatem. Sed quales eſſe oporteat, nunc ſigillatim in vnoquoq; perpendendum eſt, ſumpto initio a medico.

[a] Hipp. p. aphoriſmorum. pr. & Galen. 14. Meth. cap. 13.

Qualem eſſe Medicum oporteat. Cap. VI.

QVILIBET artifex, id dare operam debet, vt prę clarius quam reliqui eiuſdem artis profeſſores, ſuum munus exerceat, id quod tanto magis medicum decet, quanto ars medicinalis inter cæteras ob ſubiectæ materie nobilitatem prę ſtantiſsima eſt ac digniſsima. Præclare autem ſuo munere fungitur, [b] cum tuto, cito, & iucunde ſuum officium facit, quod iam monſtrauimus, medico commune cum alijs quibus ſanatio continetur, vt ægrotante, & miniſtris. Prę ter quæ ſpectare proprie medicum oportet ad auctoritatem medicinę. Egregij enim artifices, quã profitentur artem, contendunt pro viribus extollere, nihilq; aut verbis aut rè prætermittunt, quod ad eius dignitatem facere videatur: hos imitari medicũ decet, & ſumma ope niti, vt & ſibi & arti, ſummam cõparet auctoritatem: idq; nõ glorię ſtudio quemadmodum ambitioſi ſolent, ſed vt ęgrotantes iuuet, qui magis liberantur vbi magis [c] obediunt: magis autem obediunt medico, quum dignitatem artis tuetur, atq; amplificat, quo nomine debet ſibi laudem cõparare,

[b] Galen. 14. Meth. cap. 13.

[c] Hippoc. p. progn. ab initio.

rare, quam neq; philosophus aspernatur, vt magis hominibus prosit, qui sic eius dicta ac facta magis imitãtur, & iussis obediũt quasi numinis cuiusdam. Merito igitur, Hippocrates [a] vbiq; curationum præceptis, admiscet aliquid pertinens ad artis dignitatem, quod tandem ad ægrotantis vtilitatem refertur, neq; enim medicus sui rationem habere debet, sed totus in ægrotantium, perinde ac gubernator in eorum quos vehit salutem incũbere. Qualem verò esse Medicum oporteat, vt apposite faciat ad homines tuto, cito, & iucunde sanandos, & vt arti dignitatem comparet (quod est eius officium) iam nunc tradere ingredior. Ex ijs quæ in medico desiderantur alia necessaria sunt priusquam ad hominem curandum adhibeatur, alia post quam adhibitus est, & ad curationem aggreditur. Agemus primo de illis, deinde transibimus ad hęc. Ergo antequam manum hominis inijciat, esse compos debet eorum bonorum, quæ partim ad animum, partim ad corpus, partim ad fortunam, referuntur. Bonis animi subijciuntur virtutes, & quæ ad mores, & quæ ad intellectionem attinent. Debet igitur medicus, vt egregie suum munus exequatur, esse moralibus virtutibus instructus, veluti temperantia, liberalitate, iustitia, misericordia, sine quibus non poterit aut dignitati artis, aut ęgrotantium saluti commode prouidere. Id quod luceclarius fiet, si eiusmodi virtutes sigillatim intueamur. Censet [b] Arist. primo lib. de republica temperantiam necessariam esse artifici, quod continens ac sobrius longe præstantius suo munere fungatur, quam intemperans, ac libidinibus ardens. Quanto autem cum maiori periculo tractantur, [c] hominum corpora, quam lignorum, lapidum, ac metallorum circa quę versantur fabri, tanto magis oportet medicum à corporis obsequio indulgentiaq; discedere, & voluptatem tamquam labem aliquam opprimere, nam sibi temperans, probe suum officium faciet, neq; ad eam mollitiem labetur, vt apud ægrotantem incontinentiam aliquam [d] preseferat, quod quanti dedecoris & quam odiosum medicum reddat, clarius est quam vt exponi debeat. Liberalitas [e] quamuis maxima ex parte ad dandam pecuniam referatur, refertur tamen & ad accipiendam, veluti cum non accipitur à quo non debet accipi, nec plus quam debet, quod maxime pertinet ad medicum, vt quod [f] eius auctoritatem augeat, & maxime sit iucundum laboranti: qui medico detracta suspectione auaritię, magis fidit, & facilius se curandum prębet. At non propterea debet esse ita prodigus vt non accipiat a quibus debet, [g] & quantum debet, alioquin non posset personę quam substinet dignitatem retinere. Adde quod eiusmodi quæstus honestissimus est: sed multo magis

[a] Hippoc. 4. 6. epid. 8. & 9.

[b] Arist. p polit. cap. 8.

[c] Gal. p. aphorismorũ cap. p.

[d] Hipp. p. de decenti ornatu. pag. 25.

[e] Aristotele 4. etic. c. p.

[f] Hipp. l. de decenti ornatu.

[g] Hip. l. Prę-ceptio. 28.

gis deteſtanda auaritia eſt, vt quæ artis dignitatem minuat, ægro tanti ſit admodum moleſta, inficiatq; medicum iniuſtitia, nam [a] Auri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis. Ergo vbi ardet pecuniæ cupiditate, fingit malum maius quam ſit, non vt egrotantem magis obſequentem reddat, ſed vt perterritum argento emulgeat: pollicetur etiam cognatis & affinibus ſalutem, quamuis intelligat hominem omnino interiturum, imponitque multa: ſumptuoſam curationem adhibet, vt rem magnifacere videatur. Quo nomine iniuſtus admodum eſt, nam quantum res patitur, pręponere vbiq; debet quod facillimum ſit, & minimi ſumptus, niſi ſic homo ſe paruifieri cenſeat, cum viliſsimum remediũ adhibetur: Quod memoria patrum euenit Iulio ſecundo Pont. Max. quirogans Archangelum ſenenſem, quo medico pręcipue vtebatur, quanti emerentur pilulę quas ſumpturus erat, audiens eſſe paucorum obolorum, conqueſtus eſt atq; expoſtulauit cum Archangelo, quod pari ſumptu curaretur, ac quiuis ſeruus viliſſimus. Ergo niſi eiuſmodi homines nactus fuerit medicus, ſumptui præſidiorum parcet quantum poterit, & ipſe non plus accipiet quam ęquum ſit, habita ratione ſui, hominis, & operę. Eiuſmodi iuſtitia eſt quam poſtulat Ariſtoteles [b] ab artifice, vbi ſuam operam cum pecunia commutat: conuenit medico etiam miſericordia, ob quam diligentius ſuccurrat hominum infortunijs. Fortitudo autem, licet in vitæ periculis conſiſtat, conſiſtit tamen & in alijs detrimentis. hac præditus medicus potius cum periculo remedium aliquod tentabit, quam [c] permittat vt ſine vlla ſpè ſequatur certus interitus. Qui nimis audax eſt, hominem ſepenumero præcipitat, exercens in curando illam quam [d] Hippocrates ſtultã facilitatem appellat: ex cõtrario, timidus, ſemper animi pendet, neq; vnquam tentare audet validum aliquod præſidium: ſed vbi ægrotans deterius habet, timens ne vires non ſufficiant, id differt dum meliuſculus ſit, hoc vbi contingit, rurſus ab eodem abſtinet, ſperans ſine eo reſtitui, ſecundam valetudinem poſſe, ſicq; cum ſumma pernicie ęgrotantis, ſępe decipitur. Modeſtia [e] medici gaudet ægrotans, & ipſa ars magis redditur admirabilis. Dicetur modeſtus vbi nihil ἐιρωνευόμενος, nihil arrogans de ſe loquetur, neq; popularem auram captabit, aut commendationem in vulgus, ſed præclarum iudicabit ſapientibus probari. Facilitas item vbi mediocris fuerit, iucunda eſt, & nihil detrahit de auctoritate. Sit ergo medicus comis, [f] affabilis, non difficilis aut moroſus, ne odioſus euadat aut moleſtus, non nimis obſequens, ne in ſcurram vel adulatorem degeneret. Licet debeat eſſe verus, poteſt tamen interdum ſine culpa mentiri, vt Plato ab initio tertij

libri,

a Virgil. 3. Æneid.

b Ariſto. l. 5. Æticorum.

c Galen. 10. meth. c. 10.

d Hipp l. Medicus.

e Hipp. l. Medic. ab Initio.

f Hipp. l. de decenti ornatu.

libri de Rep.& Gal. [a] tam in prędicendo quam in curando concedit mendacium medico. Præter morales virtutes desiderantur in medico illę etiam quæ pertinent ad mentem, & intelligentiam, sive innatę sint, sive studio cõparatę: huiusmodi [b] sunt ingenium, memoria, iudicium, peritia lingarum, Dialectices, Naturalis philosophiæ, tum summa cognitio omnium partium medicinæ, quibus accedere debet vsus atq; exercitatio, ridiculum enim esse diximus, supra [c] auctore Aristotele ex solis scriptis imperare neque enim fit medicus, imperator, aut gubernator ex libro, sed necessaria est experientia, sic vt vbi altera charendum [d] sit, doctrina vel experientia, præstet habere experiẽtiam. Hæc de bonis animi, venio ad ea quę sunt corporis cuiusmodi est, sanitas, forma, robur, dexteritas, quæ ferè non minus necessaria sunt quam quæ ad animum pertinent. Efficit sanitas vt medicus possit tum animo tum corpore laborare: duplex enim labor (vt præclare docuit Euripides) medico necessarius est, mentis & manus: adde quod sine sanitate ridiculus euadit, vnde grecum prouerbium fertur, ἀλλων [e] ἰατρός, ἀυτος ἕλκεσι, βρὠων. quis enim fidem habeat medico qui sibi ipsi mederi non possit? Forma summam dignitatem affert vnde vulgatum illud, species [f] primum digna est imperio: tantum.n. ab est vt qui deformes sunt digni honore habeantur, vt etiam ridiculi existimentur. Amat robur & dexteritatem potissimum chirurgicus. Restant fortunæ bona quæ spernenda minime sunt, nam apud vulgus, quod maxime tractandum est, vt in alijs artibus, ita etiam in medicina longe plus valet auctoritate diues quam pauper, adde quod opes commodissimæ sunt ad ocium, quo non minus eget medicus quam imperator, quem Aristoteles secundo libro de [g] repub. scribit non posse bene imperare & in ocio esse, quum ęget. Æs alienum, res angusta domi, ad eo animum sollicitant vt non permittant eo medicum incũbere quo maxime deberet: hæc sunt quæ desiderantur in medico antequam ad curandum adhibeatur. Quæ nunc sequuntur, desiderantur in eo postquam adhibitus est. Consistunt autem in consultatione an agendum sit, & quà ratione, neq; enim semper agendum est sed vbi nulla omnino spes est, omni actione supersedendum. Multiplex autem cum sit agendi ratio, ea vtendum est quæ & facillima sit & maxime salutaris. Qui hæc obseruat si præditus sit illis bonis quæ ante proposita sunt, vix fieri potest vt erret, sed quia simul iuncta omnia simul magis desiderari quam sperari possunt, ille beatus existimandus est, qui minimis vrgetur, quiue parum errat, aut in ijs quę parui sunt momenti, nam in grauioribus casibus, si paululum modo quid medicum fugerit, ęgrotans perierit. Errare autem

medicus

a Galen. 2. 6. epid com. 43.

b Gale. 1. de constit. art. cap. 7.

c Supra l. p. c. 5. & Arist. 10. Ætic. cap. 9.

d Aristo pri. diuin. c. p.

e Gal. 5. de tu. cap. p.

f Porphyr. cap. de specie.

g Aristot. 2. politic. c. 7.

medicus poteſt perinde atque alij [a] artifices, vel in fine quem ſibi proponit, vel in ijs quæ ad ipſum conducunt, ad finem vltimum vt non pertinet conſilium, ita neq; error, neq; enim poteſt peccare medicus in non eligendo vltimo fine qui eſt ſanitas, niſi conſulto velit, ſed ſunt alij fines præter vltimum: hæc autem ſunt opera quæ ad ipſum perducunt, quę magna ex parte complura ſunt, in quibus errare poteſt medicus etiam nolens, non ſecus atq; in inſtrumentis per quæ illa perficiuntur. Accidit hoc cum non intelligit ſe [b] miniſtrum eſſe naturæ, ſed magiſtrum cenſens, ſemper aliquod molitur, quamuis ſepenumero optimum remedium ſit nullo adhibito remedio naturæ ſanationem [c] dimittere. Sed cum poſsit peccare tam medicus quam quiuis artifex, & volens & nolens, præfert Ariſtoteles ignaro atque imprudenti, eum qui prudente rpeccat, nam hic quando volet bene aget, ille non poterit bene ſuo munere fungi etiam quum volet, quamquam meliorem, exiſtimat quod ad mores attinet eum qui nolens peccat, ſed ſatis de medico, pergamus ad ægrotantem.

a Ariſtot. 7. Politic. ca. 13.

b Gal. p. de tu. val.

c Hippoc. & Gale. 2. aphoriſmorum 29.

Qualem ſe debeat præbere ægrotans. Cap. VII.

MEDICINAM faciẽdo fruſtra laborat medicus, niſi ægrotans talem ſe præbeat (vt præcepit Hippocrates, qualem [d] eſſe oportet, hoc eſt vt confidat, obſequatur, perferat toleranter: efficit confidentia vt non timeat, vt contentus ſuis partibus, non vendicet ſibi eas quæ ſunt medici, (quod in ſuam perniciem facere ſolent qui non confidunt) vt ſe tradat medico, cuius iuſsis ad vnguem pareat. à confidentia igitur, quam primum poſtulamus ab ægrotante, [e] naſcitur ſecundum, ſcilicet vt obſequatur, neq; conſpiret cum morbo, ne duo hoſtes vnum medicum ſuperent, ſed obſequens huic [f] reſiſtat ac repugnet morbo dum expugnetur, interim omnia medici arbitrio relinquens; quę autem mandantur omnia exæquatur, neq; ſimulet ſe feciſſe quod non fecit, ne forte volens medicum decipere ſe ipſum præcipitet. Tertium quod in ægrotante deſideratur, eſt perpeſsio moleſtię illius quam curatio affert, præſertim per chirurgiam, quamquam victus & medicamenta non omnino carent moleſtia, alimus ſepe hominem cibis & potionibus odioſis, imperamus inædiam, quam aniculæ biduum aut triduum facile ferunt, ſed ſubduc cibum vnum diem robuſtiori, Deum immortalem implorabit, ferre non poſſe clamabit. Quid attinet dicere de medicamentis, quam ſtomacoſa ſint quam acre morſum ſepe inferant etiam extrinſecus impoſita, ſed nihil ad chirurgiam, nam illa patibilia ſunt, niſi homo ſit omni-

d Hipp. p. aphoriſmorum. p.

e Hippoc p. progn. p.

f Hippoc. ac Gal. 2. primi epid. 51.

no effeminatus & mollitiæ fluat, hæc laborem & dolorem affert fortibus etiam toleratu difficilem, sed satis iam expositum est quo pacto ægrotans exequi suas partes debeat, quæ sunt medico fidem habere, eiusdem iussis parere, & laborem ac dolorem fortiter ferre, vt curetur si non iucunde, certè tuto acceleriter.

De officio ministrorum. Cap. VIII.

SEQVVNTVR ministri, quorum alij effectores sunt, alij adiutores veluti qui alijs artibus inseruiunt, efficiunt quicumq; arte famula instructi opus aliquod parant, quo deinde domina vtatur: quemadmodum fabri qui architecto ferramẽta & machinamenta conficiunt. Adiuuant qui efficiendi socij sunt, vt ferrarium fabrum, qui follem mouent ad ignem excitandum, aut grauiori malleo laminam ducunt. Inter eos igitur qui medicinæ ministrant, alij opera quædam conficiunt ad sanitatem necessaria, alij vim ad conficiendum afferunt, quorum autem sit vtrum vis munus euidentissime patefiet, si tria curationis instrumenta,[a] victum medicamenta, & chirurgiam seorsum intueamur. Veniant primo in medium efficientes, deinde adiuuantes sigillatim in vnoquoq; genere instrumenti. In victu effectionis ministerium pertinet ad pistorem & coquum, à quibus panis & obsonia conficiuntur & parantur. Gymnastes etiam & pedotriba apud veteres dici poterat exercitationis effector. Medicamenta vero conficit Pharmacopola & Alipta. In chirurgia minister tunc dicitur efficere quum iussus à medico manum ipse admouet ęgrotanti ad curationem. Sed perpendamus quales sint auxiliarij: Inseruiunt igitur victui præter ancillas & seruos qui lectos sternunt, aut vestes imponunt, vel detrahunt, illi qui ministrant æsculenta & poculenta, obseruant ægrotantem, dant operam ne intempestiue vigilet aut dormiat, sed ad vnguem exequatur, quæcumq; circa sex res non naturales à medico fuerint imperata. Inseruiunt medicamentis apud ęgrotantem, qui hæc administrant, siue intus dari debeant veluti quæ deuorantur aut bibunter, siue extrinsecus impoui vt illita aut perfusa. Postremo adiuuant ministri dum manus adhibetur, corpus continentes, partem quæ curatur porrigentes aut præbentes instrumenta, hęc sunt quæ ministri debent pro seruitio ægrotantibus. superest vt intueamur quales ipsos esse oporteat. Ergo quæ desiderantur in ipsis & ante quam ad ægrotantes adducantur, & postquam adducti sunt, si eadem essent quę supra requirebamus in medico, nihil esset vtilius, sed vix Principibus tales assistunt ministri, quamobrem contenti esse debemus, si non

[a] Gal. l. medic. cap. 8. & Gale. p. acut. cō. 6.

quę

quæ vtilia, saltem quæ necessaria in ministris inueniantur. Deligere igitur oportet iuuenes bene valentes, vt idonei sint ad labores perferendos: Mundos [a] ne stomachum moueant; probos, vt fideliter seruiant; peruigiles atq; in pigros, vt [b] in obsequio assidue maneant; prudentes, ne ob imprudentiam perturbent aut perturbari sinant animum ægrotantis, sed magis valeant perturbatũ sedare, vt iussis medicorum pareat: Exercitatos vt prompte & apposite suum officium faciant, [c] & tandem non inuisos ægrotantibus. Primum quod postulatur à ministris est vt obediant, id quod cõmune est etiam cuiuslibet artis, omnes enim necesse est imperiũ exequi. Proprie autem in medicina effectores vt coqui & Pharmacopolæ, ita parare obsonia & medicamenta debent, vt non solum vtilia sint, sed etiam placeant, vel quantum res patitur, [d] minime displiceant. In chirurgia verò, ne hilum quidem discedere oportet ab ijs quę imperantur, nec clamore laborantis, aut assistentium commoueri, ita vt opus relinquatur imperfectum nihil ergo temere [e] agendum sed tanto maior adhibenda diligentia est, quanto res cum maiori periculo tractatur: neq; in merito repudiabat Misis Lesbiam obstetricem [f] quod temulenta esset mulier, nec satis digna cui committeres primo partu mulierem. Sed ministri adiutores quod attinet ad victum nihil prętereant ex ijs quę medicus præcepit, solent autem pręterire mulieres assistentes, vt cognatæ vel affines cum verentur nè vires inedia conuellantur, atq; id circo liberalius nutriunt quam medicus iusserit: At neq; in genere etiam ciborũ legem impositam seruant, sed & fructus, poma, & alia ęsculenta & poculenta ministrant quę ab ipsis expetuntur, ita vt plerumq; præstet vti infimis hominibus qui mercedula adducti ministros se præbere solent in curatione. Quo autem quisque propior est, seruit benignius & fidelius dicet aliquis, fateor modo non indulgeat vt plerunq; fieri videmus; ita vt præstantiores sint ad eiusmodi ministerium infimi homines quos dixi, vt qui magis periti sint atq; exercitati, neq; ita defatigentur assiduitate ministerij: solent autem ei plurimum inseruire à quo plurima sperant. Sed quicumq; sint, exequantur primo imperium medici, deinde studeant pro viribus placere ægrotãti munditie & elegantia, caueant ne sint [g] importuni aut morosi, nam sic excandesceret animus ægrotantis: prohibeant [h] tristes nuncios, nè conficiantur mœrore: obseruent ipsum diu nòctuq; vt possint quæcumq; accideriut exacte referre. Eadem est ratio eorum quum medicamenta ministrant, in quibus interdum seruitij assiduitas postulatur, veluti cum oleo calido perfunduntur partes quę neruorum distentione periclitantur, aut vino nigro austero vulnera quibus

[a] Gale. 4. 6. epid. 8.
[b] Gale. 2.6. epid. 43.
[c] Galen. 4.6. epid. 8.
[d] Hipp. 4 6. epid. 8.
[e] Hipp. 2.6. epid. 25.
[f] Terentius in Andr.
[g] Galen. 4.6. epid. 8.
[h] Galen. p. aphorismorũ p. com.

inminet

inminet inflammatio, nam si ministri à perfundendo desistant, periculum est ne distentio neruorum aut inflammatio subeat linteis exsiccatis, qua propter Galenus[a] cum assistentium ignauiam timebat, pro vini perfusione ad cohercendam inflammationem lintea liquido cerato inungebat. Vbi minister non fuerit iners, non permittet negligentia sua aliquid mali superuenire, sed quamuis fessus, benigne durum ministerium exequetur. Reuocabit in memoriam venatores qui in niue in montibus pernoctantes leporem aut aliud pulpamentum querunt: quanto autem prestantior est, venatio sanitatis, tanto acrius eiusmodi diurnum ac nocturnum ministerium subibit. His quæ communia sunt medicinæ vniuersæ hactenus enarratis, proximum est transire ad propria, hoc est ad singulas eius partes, & methodo prius quot & quæ illa sint inuenire. Hoc verò vt commodius fiat eiusmodi methodum sta tuemus in vniuersum, de omnibus artibus initio sequentis libri.

[a] Gal. p. 1. de fract. cō. 11

VIDI VIDII, INSTITVTIONVM MEDICINAE.

LIBER TERTIVS.

Qui est de partibus Medicinæ, & de ratione qua inueniantur atq; in ordinem disponantur.

Qua methodo vnaqueq; ars constituatur. Cap. I.

ARTIVM omnium constitutio, partium inuentione atq; ordine continetur, has enim inuenire atque in ordinem disponere prius oportet quam exponantur, quod non aliud est quam artem constituere, nam tractatio quod tertium est, non pertinet ad artem cõstituendam, sed ad eam quæ constituta est perscribendam: illa enim perfecte explicari debet postquam cõstituta est: nam ipsa constitutio inquit Galenus [a] ad inuentionem partium spectat, & quò pacto fini cohærent exponit. Inueniuntur partes cognito fine, agit enim [b] ars sicut & natura gratia alicuius boni, quod non aliud est quam finis ad quem dirigitur, & in quem quasi in scopum artifex intendit. Habito fine inuestigandæ sunt partes siue membra artis, hæc non alia sunt quam ea quibus opus est ad eum cõparandum, his enim continetur ars, debent enim partes vt paulo [c] ante iusta Galeni sententiam monstrauimus cohærere fini, finis enim non est pars artis sed ea quæ perducũt ad finem, nam ipsum bene agere aut [d] in fine cõsistit, aut in ijs quæ perducunt ad finem. Auctore Aristotele finis non est pars artis. Ergo partes artis in quibus cõsistit ipsum bene agere artificis, nõ aliud sunt quam quæ perducunt ad finem, inueniuntur itaq; dissoluendo. Dissoluimus non quum partimur genus in subiectas species, sed quum id quod coniunctũ & coagmentatum est, diducimus in partes simplices ex quibus coagmentantur, dum ad simplicissimas ac veluti elementa peruenerimus: exempli gratia quum dissoluitur liber in orationes, oratio in dictiones, dictio in sillabas, hæ tandem in literas. Eiusmodi dissolutione

[a] Gale. p. de Tu. val. ad Trasyb. ca. 29.
[b] Aristot. p. Ætic. ca. p
[c] Supra l. 2 cap. 6.
[d] Aristot. 7. politic. ca. 13.

lutione,opus eſt ad ea inueſtiganda ex quibus ars conſtat, quęue ad finem ipſius conducunt: ſed membra quæ diſſolutione fuerint inuẽta, rurſus poſtulant, diuiſionem ſi generis naturam habeant, ita vt comunione quadam plures partes ſui ſimiles, ſpecie autem differentes conplectantur,ac ne longius abeas quum diſſoluendo librum venimus ad literam,hanc quoq; in ſuas ſpecies diuidimus vt in vocalem & conſonantem : Rurſus conſonantem in ſemiuocalem & mutam,donec ad vltimam ſpeciem proficiſcamur,eſt enim optimum inſtrumentum diuiſio vbi inueſtigandæ ſint partes generi ſubiectę, quam [a] Plato maxime laudat, iubetq; vt legem in partendo ſeruemus, ne à ſummo genere ad ſingularia deſcendamus, ſed finem diuidendi faciamus vbi acceſsimus ad imam ſpeciem, interim cauentes ne qua prætermittatur aut redundet, neue partiamur aliunde petita, ſed quę propoſitę naturę propria ſint,& in ipſa re inſita. Diſſolutione ergo primum, deinde etiam diuiſione inueſtigãtur membra artis : Ambę autem inter ſe ſimiles ſunt, vt interdum alterius nomen ad alteram ſignificandam vſurpetur, neq; mirum quandoquidem vtraq; totum quoddam ſeparat, ſed diſſolutio in partes diſsimiles diuiſio in ſimiles. Alterum quod ad cõſtituendam artem requiri diximus, fuit inuentorum in ordinem diſpoſitio. Scirę autem conuenit idoneum diſtribuendi ordinem duplicem eſſe, vnus eſt cum partes ita diſtribuuntur vt primo loco ponantur magis coniunctæ, deinde ſimpliciores, donec ad maxime ſimplices atque ad ipſa elementa delabamur. Iuxtà hunc ordinem eodem modo diſtribuũtur partes artis quo fuerunt inuentæ, nam quod primo loco inuenitur, primo loco etiam collocatur, id quod deinceps fit donec ad vltima fuerit peruentum. Alter ordo huic contrarius eſt, cum ab elementis ac ſimpliciſsimis partibus paulatim aſcendimus ad maxime coniunctas. Nec placet tertius ille ordo quem [b] Galenus poſuit in libro de arte medicinali, quum eodem modo diſtribuuntur partes quo fuerint in definitione collocatę: quandoquidem nec membra omnia in definitione artis ponuntur,nec ſtabilem certumq; ordinem retinent perpetuo.Duplicem igitur ordinem probamus, ſed ad artem conſtituendam ille maxime accomodatur qui à coniunctis ac coagmentatis ad ſimplicia procedit: contra ad-tractandã quæ iam conſtituta eſt ille maxime eſt idoneus, qui à ſimpliciſsimis ad coniuncta & coagmentata progreditur,magis enim ad naturam accedit. Sicui autem minus ad docendum idoneus videatur quum quæ minus in aperto ſunt & magis obſcura cæteris præponat, conſideret addi lumen, tolliq; obſcuritatem ratione docendi, que ſimpliciſsima à quibus ordimur ita proſequitur,vt per ea quę ſunt nobis euidentiora,

[a] Plato in Philebo & Porphyr. c.de ſpe.& Gale.9.meth.cap.17.

[b] Gal.in prohem. artis medicinal.

dentiora, aperiantur quæ latent & inuoluta sunt: nihil igitur mirum est si in scribendo hunc ordinem teneat Aristoteles. Sic igitur habet artium constitutio, respondetq; formulæ quam constituunt architecti ante quam ædificent, qui non modo lineant, sed constituunt etiam ex ligno formulam ædificij ad quod struendum adhibentur, nihil enim egregium se præstare posse existimant, ni si ante formulam constituerint, quam in toto opere ita sequuntur, vt ne latum quidem vnguem secedant. Idem quoq; vsu venit scientijs ac liberalibus disciplinis, in quibus nisi certa ratio ante præscripta fuerit, & quasi norma quædam inueniendi ac disponendi quæ tradenda sunt, necesse est perturbate atq; interrupte omnia exponantur, quædam loco alienissimo collocentur, aliqua desiderentur, aliqua redundent ac sine vlla vtilitate repetantur. E contrario, si ante statuat auctor quam sequatur regulam (modo non sit lesbia illa) cuncta vt par est in ordinem distribuentur, nihil peruerse scribetur, nihil mutilum, nihil superuacaneum, sed erit perfectio operis cum perspicua breuitate coniuncta: neq; aliud est methodus apud Galenum [a] quam formula ipsa seu constitutio artis iam proposita, quod patet cum monet vt accepto initio ab aliquo notissimo, per methodum dissoluendo ac diuidendo omnia inueniamus membra ad constituendam artem necessaria, & [b] ita disponamus, vt sciamus quid primo, quid secundo loco, ac deinceps debeat collocari, atq; etiam cum addit methodo conpræhendi [c] precepta vniuersa perquæ possimus descendere ad singula[s] in quibus[s] deinde exerceri nos iubet. Significat [d] igitur methodus viam cum ratione inueniendi simul ac disponendi, quamuis interdum accipiatur pro instrumẽto [e] per quod res inuenitur, vt pro dissolutione ac diuisione; his ita constitutis, proximum est vt quæ in vniuersum proposuimus de artibus tradendis, ad medicinam transferamus.

a Gal. 9. meth. cap. 17.

b Gal. p. meth. cap. 4.

c Galen 4. l. meth. c. 4.

d Gal. p. meth. cap. 4.

e Gal. p. meth. c. 3. Philopon. p. phis. cõ. p.

Qua Methodo medicinæ partes inueniantur. Cap. II.

AD cõstituendam igitur medicinę formulam inuenire oportet & in ordinem disponere quæ conducant ad finem ipsius conparandum, sed quum de inuentione dixero ad ordinem aggrediar. Inueniemus igitur si ante cognito fine, dissoluendo vsque ad elementa, & diuidendo vsque ad vltimas species proficiscamur, sic enim habebitur simul cum inuentione, partium diuisio, quam constat non recte traditam fuisse à veteribus, siquidem Auicenna [f] quum Medicinam diuidit in theoricem & practicen, bis errat quod neque theorice sit neque practice, nam finis [g] theorici est

f Auicen. l. p. fen. p. c. p.

g Arist. 2. diuin. Tex. 4. Galen. l. de sectis ab initio.

veritatis

veritatis contemplatio, finis medici [a] ſanitatis effectio, à fine autem nomen impoſitum eſt facultatibus, at neque etiam dici medicus debet practicus hoc eſt agens, quum non habeat pro fine actionem quæ ad bene viuendum dirigitur, nec comprehendatur medicina ſub prudentia, ſed ſub arte, & idcirco non in agentium ſed in efficientium numero ponenda ſit, quum ad faciendam ſanitatem dirigatur. In libro autem qui inſcribitur [b] inſtitutiones medicæ, & falſo ad Galenum refertur, diſtribuitur medicina in partes quinq;, prima naturam continet noſtri corporis, altera conſeruationem ſanitatis, tertia res præternaturam, quarta ſignorum peritiam, poſtrema curationem. At hoc potius eſt frangere quam diuidere, neq; enim auctor ſequitur rationem aliquam in diuidendo, quandoquidem cum rebus quæ cognoſci debent vt opera efficiantur, miſcet in diuiſione opera ipſa: curatio enim & conſeruatio quæ ſecundo, & quinto loco ibi proponuntur, operibus adnumerantur, ſed reliqua tria membra, res ſunt quæ cognoſci debent ad opera efficienda. Adde quod vt rerum præternaturam, ita earum quę ſecundū naturam ſunt ſignificationem ponere debuit. hæc igitur diuiſio prẹterquam quod ordine & ratione caret, non videtur omnia membra artis comprehendere. Ex partitionibus vero Galeni, illa quam tradit in [c] libro de arte medicinali in corpora, ſigna, & cauſas, non diſtinguit opera ab ijs quæ ſunt ad operum effectionem neceſſaria, & omittit tam ſanitatis quã morbi euenta, hęc συμπτὸματα, [d] illa σύμβεβηκότα græce nominantur. Altera quam ponit [e] in libro ad traſybulum in duo membra, conſeruantem ſcilicet, & curantem, ſequitur Methodum cum ſpectet ad ſanitatem ſcilicet quatenus conſeruatur & quatenus reſtituitur, ſed ea præterit quæ ad finem perducunt, ex quibus tanquam ex partibus conſtat ars quælibet, & quorum præcipue nunc diuiſionem requirimus. Poſtremo illa quam Hippocrates [f] in libro de flatibus bipartitam propoſuit in adiectionem & detractionem, (cuius ſupra mentionem fecimus qua de definitione) licet omnia medici opera complectatur, omittit tamen res à quibus illa indicantur. Prẹſtat igitur aliorum partitione omiſſa nouam inquirere methodo per quam omnes medicinę partes inueniamus, inde autem ordiemur. Quum medicus non ſecus atq; cẹteri artifices non aliud ſpectet quam quomodo finem ſuum efficiat, illa omnia medicinalis artis membra ſunt dicenda, quæ faciunt ad ſuum finem comparandum, quem eſſe diximus, [g] ſanitatem ſiue curando, ſiue conſeruando efficere, quæ vero adhunc finem cõducunt, diſſoluendo ac diuidendo inueſtigantur in hunc modum. Certum eſt non poſſe nos ſanitatem efficere hoc eſt conſeruare

a Galen. de Tu. val. ad Traſyb. 28 & 29.

b Gal. l. medicus. cap. 7. & 8.

c Gal. de arte medicinali. cap. 2.

d Gale. l. artis medic. cap. 8. & p. meth. c. 9.

e Galen. de Tu. val. ad Traſyb. ca. 20.

f Hipp. l. de flatib.

g Supra in hoc eodem capite.

seruare, aut curare, nisi antea [a] docti quæ conseruari aut curari debeant, curandi & conseruandi rationem accipiamus, sicq; ante rationem tractandi tradi debet cognitio tractandorum, id quod Aristoteles de moribus [b] obseruat, cum primum persequatur tractandarum virtutum cognitionem, deinde quo pacto secundum ipsas ex preclara institutione agere possimus declaret. Duo igitur iam sese nobis ostendunt medicinę membra prima, cognitio eorum quæ tractanda sunt, & ratio tractandi. Cognitio vt dissoluendo ad vlteriora pergamus duplex requiritur, altera simpliciter & absolute rerum quę tractari debent, altera veluti recognitio earundem in homine illo, ad quem conseruandum, vel curandum adhibemur, neque enim idem est simpliciter aliquid tenere, & conparate, idest ex signis certis agnoscere. Vtrumque autem pariter medico necessarium est, nam quo pacto cognoscet verbigratia febrem in ægrotāte nisi ante absolute intelligat quid sit febris? Neq; sufficit hoc ad curandum, nisi signa quoq; teneat per quæ febrem prius absolute cognitam, in ægrotante deprehendat. Quamobrem duo statuemus cognitionis membra medico necessaria, vnum absolute, alterum in homine qui tractatur. Incipiemus à cognitione absoluta: hæc pariter ad vtrumq; finem conseruandæ scilicet & restituendę sanitatis pertinet, quamquam alia sunt quæ conseruationem requirunt, alia quæ curationem. Sunt illa [c] quidem secundum naturam, hæc vero contraria quod in confesso est apud omnes. Sumamus initium à rebus secundum naturam, quæ cum ad corpus humanum pertineāt, aut ad compositionem ipsius referuntur, aut ad causas, aut ad effecta eiusdem compositionis, teste etiam Galeno, [d] qui hęc tantum nec plura nec pauciora reperit, quod planum facit exemplo oculi proposito, in quo compositionem attendit cum eiusdem causis atq; effectis. Causarum nomine appellat medicus efficientes & conseruantes, cum formam finem & materiam intueatur quidem sed non sub nomine causarum. Compositio corporis si sua prestet effecta, secundum naturam est, & sanitas [e] nominatur, quam medicinalis artis finem statuimus, cui totidem genera subijciuntur, quot sunt genera conpositionis nostri corporis, quæ dissoluendo inuestigabimus.

a Gale. l. de constitutione art. cap. 3. & 5. de Tu. val. 10. & p. acutorũ com. 3.

b Arist. l. p. magnorum. moral. c p.

c Galen. 11. meth. ca. 2. & Gale. 9 meth. c 14

d Gal p. meth. c. 7. & 8

e Gal. p. l. de Meth. med. ca. 7 & 8.

De cognitione absoluta rerum secundum naturam quæ conseruari debent. Cap. III.

CONTINETVR corpus nostrum partibus multiformibus, huiusmodi sunt caput, thorax, venter, brachia, crura, harum [f] vnaquęq; secatur in minores, vt brachium in humerum, cubitum

f Gale p. de Tu. val. c. 5

bitum

bitum & manum. Quæ rursus diuiduntur in multo minores, vt manus in digitos adhuc multiformes & non simplices, sed compositos ex simplicibus, in quas dissoluuntur, vt cum secatur digitus in ossa, neruos carnem. Eiusmodi omnes compositiones, sub vna & eadem comprehenduntur, quæ est partium [a] multiformium ex simplicibus, omnes enim partes collatę ad eam quam componunt, (licet alioquin sint compositę) simplicium vim habent & eadem lege qua simplices, multiformem constituunt. Altera compositio est partium quę [b] verè simplices sunt in corpore nostro, quum non amplius ex alijs partibus, sed ex quatuor elementis, [c] igne, aere, aqua, & terra constituantur. Quamuis autem elementorum natura dissolubilis sit in materiam pereunte forma: est enim [d] materia subiecta omnibus vnde species exprimitur vi agentis, sicq; elementa compositis adnumerentur, non propterea considerabitur à medico tertia ipsorum compositio ex materia & forma, quum magis procreatio videatur quam compositio, neq; enim ad sanitatem conducit, quod nec corrigi, nec conseruari debeant in corpore nostro simplicia elementa quę non estant: satis enim est si conseruentur & corrigantur quæ ex ipsis simul iunctis conficiuntur, hoc est partes simplices, & multiformes, quæ ex simplicibus coagmentantur, ita vt contentus sit medicus duplici genere compositionis, scilicet partium multiformium ex simplicibus, & simplicium ex elementis, vtriq; autem suæ subijciuntur species. Compositioni partium multiformium ex simplicibus, tot subiciuntur quot sunt conditiones requisitæ ad hoc vt secundum [e] naturam habeant, & sua munera præstent, postulat enim vnitatem, certam conformationem, magnitudinem, numerum, situm. Conformatio [f] autem sub se continet figuram, superficiem asperam vel leuem, & caua. In totidem igitur species diducitur compositio partium multiformium. Ea vero quę est simplicium ex elementis, pręter vnitatem postulat certam temperationem siue moderata & media omnino sit, siue à medio recedat excessu vnius vel alterius elementi, vt ignis, aeris, terræ, aquæ, quæ nomine [g] primarum qualitatum appellantur, calidum ignis, frigidum aqua, humidum aer, siccum terra. Sunt [h] igitur species temperationis nouem, vna quæ moderationem retinet, octo immoderatæ, quatuor simplices, calida, frigida, humida, & sicca, totidem coniunctæ, calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. Verum coniunctio duarum qualitatum excedentium non videtur afferre quatuor nouas species sanitatis, cum magis sint differentiæ, quod sanitas ad temperationem spectans, est vel simplex, hoc est cum excessu vnius qualitatis, vel

a Galen. de diff. morb c. 3. Arist 2. de partib cap. p.
b Gale. p. de Tu. val. c. 5
c Arist. 2. p. partib. c, de Galen. de diff. morb. cap. 3.
d Arist. 2. de part. ca. p.
e Galen. de diff. morb. c. 6. Galen. p. de Tu. val. cap. 5.
f Galen. de diff. morb. cap. 7.
g Gale. p. de element. c. 8 & 9.
h Gale. p. de Tēperam. cap. 8.

compoſita, hoc eſt cum exceſſu etiam alterius, atq; hoc pacto non nouem, ſed quinque ponemus ſpecies ſanitatis, vnam ipſa moderatione contentam, quatuor, exceſſu qualitatum. Verum vbi [a] non tantus ſit exceſſus, vt euidenter ſolita vitæ munera impediat, temperatio quamuis immoderata, ſub latitudine ſanitatis, conpræhenditur. Iſtiuſmodi ſunt ſpecies ſanitatis, pergamus ad cauſas: intelligimus autem efficientes, quæ potiſsimum ſub nomine cauſarum [b] commemorantur a medicis. hæ vel à principio generationis noſtrum corpus conſtituunt ſecundum naturam & tale conſeruant, atq; vbi vitiatum eſt reſtituunt. A principio generationis cauſa vna ſanitatem efficit, facultas [c] nimirum quæ vbi ſanguinis & ſeminis qualitatem & copiam idoneam nacta fuerit, appoſite format atq; effingit noſtri corporis partes; eadem ipſas quum iam editæ ſunt in lucem, & in optimo ſtatu conſeruat, & iam labantes reſtituit, modo valeat: valet autem vbi partes ſolidæ, ſpiritus, ſucci, [d] ſint quãtitate & qualitate moderati. Præcipuæ huic ſanitatis cauſæ tanquam efficiendi ſocia accedunt ea quæ homines vel ex medicorum [e] prçceptis, vel ex conſuetudine quadam, ſalubria adhibent ad ſanitatem vel defendendam vel comparandam, de quibus ſeorſum agemus qua de ratione tractandi. Tertio loco inter ea quæ ſecundum naturam ſunt, & conſeruari debent, effecta poſuimus quæ bonam corporis conſtitutionem conſequuntur, ſunt hæc vel opera, vel actiones, vel exeuntia ex corpore noſtro & in eodem retenta, vel qualitates in nobis ſecundum naturam diuerſis ſenſibus ſubiectę. Opera ſunt nõ omnium, ſed aliquarum [f] actionum finis, vt coctionis & procreationis. Diſtribuuntur [g] actiones in naturales, animales, & vitales. Naturales diuiduntur in præcipuas & ſubminiſtrantes, præcipuæ ſunt [h] tres procreatio, incrementum, alimentum, his tribus ſubminiſtrant aliæ quatuor, attractio, retentio, coctio, expulſio. Animales diſpartiri ſolent in præcipuas, ſenſum & motum. præcipuis ſubijciuntur ratio, intelligentia, & memoria, ſub ſenſu continetur communis, & proprius, proprius in quinq; diſtribuitur, viſum, auditum, olphactum, guſtum, tactum. Vitalis actio conſiſtit in conſeruatione caloris per motũ cordis, & pulſum arteriarum. Exeuntia ex corpore ſunt quæ ſuperant ex triplici coctione, vt in ea quæ fit in ventriculo, deiectiones alui, in ea quæ fit in iecinore [i] flaua & atra bilis, vna cum vrina quæ eſt veluti ſerum ſanguinis, in tertia quæ fit in partibus ſolidis, ſuperat pilorum ſordium ac ſudoris materia. Retinentur in corpore quæ ad alendum augendum ac procreandum vtilia ſunt, præterea ſpiritus quibus potiſsimum vtuntur [k] noſtri corporis facultates. Qualitates vero ſeu affectus

ſecundum

a Galen. 2. Tempera. ca. 4. & Galen. p. l. de natura humana com 19. & l. artis medic. cap. 8.

b Gale. in libro de cauſ. morb. & in libris de cauſ. ſymp.

c Galen. p. aphoriſmorum. com. 15.

d Galen. 11. meth. ca. p. & cap. 3.

e Gal. p. l. de Tu. valet. cap. vlt. & 5. de Tu. val. ca. 10.

f Gale. p. de nat. fac. c. 4

g Gale. 5. de loc. aff. c p. & 9. meth. cap 10.

h Gale. p. de nat. fac. c. 5

i Gale. p. de Tu. val. ca. 12.

k Auicen. l. p. f. p. cap. de ſubiect. medicinæ.

ſecundū naturam didicuntur iuſta ſenſus quibus conpræhendun tur, ſunt enim ſicut color, odor, ſapor, & qualitas quæ tactu perci pitur, ſeu ex primis ſit, ſeu ex ijs quæ primas conſequuntur. Sub his poni poſſunt obiecta auditus, veluti ſoni qui quamuis non ſint qualitates, annumerantur tamen effectis naturalibus, veluti voces. hactenus de rebus ſecundum naturam quæ cōſeruari debent.

De cognitione abſolutarum rerum præternaturam que curari debent. Cap. IIII.

QVARVM peritia, vt medico neceſſaria eſt, ita etiam rerum quæ contrarię ſunt, & curationem exigunt. Inuenimus res naturales diſſoluendo ac diuidendo vſq; ad minimas & vltimas ſpecies; ſequuntur nunc res præter naturam, quas cum ſub eodem genere contentæ ab illis maxime diſtent, tanquam contrarias ea dem via inueſtigabimus. Redegimus res ſecundum naturam ad compoſitionem, cauſas & effecta, eadem ratio eſt eorum quę præternaturam ſunt. Exempli gratia [a] in oculo ſpectamus prauam compoſitionem, vt ſuffuſionem quæ eſt morbus, ſpectamus & cauſam quæ illam efficit, vt humorem qui è regione pupillæ ſubſiſtit, ſpectamus tertio effectū conſequens vt noxam in ſenſu viſus. Compoſitio præternaturam vbi lædit actiones euidenter, dicitur morbus, [b] Quod hanc efficit [c] dicitur cauſa morbi, effectum conſequens, vt actionum leſio, dicitur Græce σύμπτωμα. [d] Iam verò morbi non ſecus quam ſanitatis tot genera ſunt, quot compoſitionis partium, alia enim eſt compoſitio [e] ſimplicium, alia multiformium, his accedit tertium [f] genus commune pro communi conditione ad vtranque compoſitionem requiſita, ea conditio eſt vnitas, cuius diuiſio communis eſt morbus vtriuſque generis partium. Altera [g] compoſitio quæ eſt partium multiformium ex ſimplicibus varijs modis à natura recedit, pro vt varię ſunt conditiones quas poſtulat: iuxta vnamquamque enim poteſt à natura recedere, ſicq; propriam morbi ſpeciem conſtituere. poſtulat [h] autem, decentem conformationem, cui ſibi ijciuntur figura, ſuperficies aſpera vel leuis, & caua. Poſtulat item magnitudinem, numerum, ſitum: à ſingulis ergo conditionibus diducuntur morborum ſpecies non ſingulæ ſed multæ, figura enim multis modis deprauari poteſt. Caua [i] etiam varios morbos conſtituunt, vbi ſic recedunt à natura vt actiones lędant: multipliciter autem recedere conſuerunt, vt ſi plura vel pauciora fuerint quam naturæ conueniat, ſi iuſto magis aut minus pateant, quomodocumq; autem afficiantur, ad aperta vel clauſa referuntur.

A ma-

a Gal. p. meth. c. 7. & 8.
b Galc. l. de diff. morb. ca. 2. & de diff. morb. cap. 7.
c Galen. l. de diff. sympt. cap. p.
d Ga. de diff. ſympt. c. p. & de Arte med. cap. 8
e Galen. l. de diff. morb. cap. 4.
f Galen. ibidem & de Arte medic. 8. & de conſtitutione artis. cap. 6.
g Galen. l. de diff. morb. cap. 6.
h Galen. ibidem & de conſtitutione art c. 6. & 7.
i Gale. l. de diff. morb. cap. 7.

A magnitudine [a] secundum naturam distare possunt partes nostri corporis, & quum augentur, & quum minuuntur, sicq; efficitur duplex morbi species in magnitudine, vna aucta, altera imminuta, eadem [b] ratio est numeri aucti & imminuti. Recedunt [c] partes à naturali situ, quum vel sua sede dimouentur, vel quamuis in eadem maneant, contingunt illas partes à quibus fuerunt naturaseiunctæ, vnde duę alię morbi species nascuntur. Genus autem morbi proprie partium simplicium in [d] tot species distribuitur, quot sunt elementa ex quibus illæ conponuntur, quæ cum quatuor [e] sint, calidum, humidum, frigidum, & siccum, totidem reddunt [f] compositiones immoderatas, seu morbos, in quibus vnum elementum duntaxat excedit, vnde nascitur morbus calidus, frigidus, humidus, siccus: at quia non vnum tantum g elementum quandoq; excedit, sed etiam alterum, pręter quatuor species simplices fiunt totidem compositæ, vnde venit morbus calidus & siccus, calidus & humidus, frigidus & siccus, frigidus & humidus. Si quis [h] velit quatuor copulatas species dictas, non esse diuersas à simplicibus specie, & ideo magis dicendas esse differētias quod in illis sit morbus non simplex, sed duplex, non aberrabit. Omnes [i] autem eiusmodi compositiones immoderatę aut occupant partes nostri corporis solidas, aut succos qui in illis versantur, ita vt sexdecim numerentur species proprię morborum partium simplicium: Octo in illis sine vitio succorum; totidem in succis quas occupant. Quod si velis non esse species sed differentias vbi adiungitur qualitati materia, cum re vera sit eadem species morbi, vt calidi, humidi, frigidi, & sicci, siue sit causa continens ide st materia, siue non sit, licebit etiam ponere in differentijs, vt quod qualitas habeat vel non habeat causam continentem. Sed satis de morbis. Causę quæ illos efficiunt diuiduntur in euidentes [k] atq; abditas, euidentes interdū per se morbū efficiunt, interdū [l] occasionem præbent alijs quæ ipsum efficiant. Sunt autem magna expar te externæ vt cæli frigus, solis ardor, satietas, æbrietas. Quædam tamen à nobis proueniūt, vt labor, animi perturbatio, affectus aliqui corporis, veluti quum febricula [m] ex inguine orta est. Abditæ causæ omnes latent in corpore, dicunturq; antecedentes, [n] quod ipsis antegressis succedant externis, ex internis atq; abditis, illæ quæ cū exitu iunguntur, cōtinentes [o] nuncupantur, reliquæ dicuntur simpliciter antecedentes. Continentes sunt quibus manentibus manet exitus, & quibus cessantibus cessat. Porro nō solum abditę sed illæ etiam quæ euidentes sunt, possunt cōtinentibus adnumerari, quatenus cum efficiunt præsentem effectionem habent, sed decedit vbi cessent efficere: sed medici continentiū nomen vsurpant solum

a Galen. de diff. morb. cap. 9.
b Galen. de diff. morb. cap. 9.
c Galen. de diff. morb. cap. 10.
d Galen. de diff. morb. cap. 5.
e Gal. 8. de Plac. 2. & 3. & Galen. p. de Temperam. cap. 8.
f Galen. ibidem & 1. de diff. morb. cap. 5.
g Galen. ibidem.
h Supra cap. 3.
i Galen. lib. de differe. morb. c. 5.
k Corn. Celsus l. p. in Prohem.
l Galen. 2. p. epid. com. 7. & Gale. p. de caus. puls. ca. p.
m Galen. 2. crisi. c. 13.
n Gal. 2. primi epid. com. 7.
o Galen. p de Caus. pul. c. p.

lum modo quum de abditis loquuntur. Tertio loco inter ea quæ præter naturam sunt & curari debent, posuimus effecta morbum consequentia, [a] συμπτώματα, græce nominantur: secantur autem in actiones læsas, vnà cum operibus quæ ab his proficiscuntur, in ea quæ contra naturam detruduntur aut retinentur, in qualitates seu affectus sensui cõmuni vel alicui ex quinq; proprijs præter naturalem consuetudinem patentes. Actio duobus modis læditur, nam vel ex toto aufertur, [b] vt visus in cæcis, vel alio modo fit quam secundũ naturam conueniat, siue debilitetur, vt ijs qui diei lucem non sustinent, aut non perspiciunt quæ longius absunt, vixq; discernunt quæ propinqua sunt: siue deprauetur, vt cum res alterius quam sit formæ, coloris, magnitudinis cernitur, quod accidit ijs qui suffusionem experiuntur. Aliud genus [c] symptomatũ est quum non retinentur quæ secundum naturam retineri, vel non excernuntur, quæ secundum naturam excerni debent, sed vel supprimuntur vel non seruant modum, aut qualitatem naturę conuenientem. Ad tertiũ genus sympthomatum spectant sensuum obiecta in homine à naturali statu recedentia, vt colores qui ad visum pertinent, odores [d] ad olfactum, sapores ad gustum, appulsus frigoris & caloris, mollitudinis & durities, ad tactum, sonus ad auditũ. Eadem ratio est formæ mutatæ quæ ad communem sensum refertur quatenus pluribus sensibus percipitur, vt visu & tactu. Cæterũ [e] Sympthomata, cũ effecta morborũ sint ab eis oriuntur tanquam à causis & ipsos sequuntur quasi vmbra corpus, quamuis interdũ fiant à causis morborum, interdũ ab alijs symptomatibus. hæc de rebus vel secundũ naturam vel contrarijs absolute cognoscendis.

a Gale. in l. de diff. sympt. ca. 2. & ca. 3. & Galen. 12. meth. cap. p.

b Galen. in l. de diff. sympt. cap. 3.

c Galen. in l. de diff. sympt. cap. 6.

d Galen l. de diff. sympt. cap. 5.

e Galen. l. de diff. sympt. cap. p. & Gale. l. de diff. sympt. cap. 2.

De cognitione absoluta differentiarum rerum naturalium, & præter naturam, & causarum à quibus differentiæ oriuntur. Cap. V.

SINGVLAE autem earum species compluribus differentijs distinguntur, quas nunc methodo inuestigare aggrediemur, inde orsi quod vt [f] Porphirius memoriæ tradidit, differentiæ aut faciunt aliud, aut mutationem aliquam. Quę faciunt aliud ducuntur à forma rei, quemadmodum illę à quibus constituuntur species rerum, tam naturalium quam præter naturam quas demonstrauimus. Quæ faciunt mutationem in eadem specie, aut aliquo, aut nullo modo ad formam rerum seu essentiam referuntur: Quę nullo modo sicuti valde communes, à medico minime perpenduntur, quum nec conseruandi, nec curandi rationem varient: Quę aliquo modo ad formam pertinent, nõ oriuntur simpliciter ab ipsa, quũ nec magis aut minus, aut alias huiuscemodi differentias admittat, nisi quatenus in subiecto consideratur, vt de

f Porphirius cap. de differ.

iustitia

iustitia tradidit [a] Aristoteles. Ad subiectum quatenus formam accipit pertinent quantitas, motus, tempus, locus, quę ipsam consequuntur, pręterea causę eiusmodi formas rerum efficientes, postremo effecta quæ ab ijsdem formis in subiecto proficiscuntur. Cuncta hæc pertinent ad formam in subiecto consideratam, suppeditantq; nobis differentias à medico extimandas, quum curandi, aut conseruandi rationem varient. Subiectum, quod substenter formas propositas, non est prima materia quę formę ex genere substantię substernitur, sed iam formatum, multisq; prædituм cõditionibus, pro quarũ varietate in varias differentias diducitur, huiusmodi pro ætate sunt senilis, iuuenilis, puerilis. pro sexu muliebris, virilis, pro consuetudine victus, in ocio vel exercitatione, & alię similes differentiæ quę nomen non habent. Pro acceptione formæ perfectæ vel imperfectæ, habitus ac dispositionis differentiæ ducuntur, vnde dicimus, hęcticam græce eam quæ contraxit habitum, κατασχέσιν [b] eam quę non contraxit. Pro acceptione item ęquali vel inęquali, datur morbus æqualis & inęqualis, sicut pro acceptione [c] primo vel secundo, similis differentia. Tum pro acceptione per se vel per aliud similis, tum pro acceptione propria, vel per consensum alterius, similis. Illa vero quæ formam cõsequi in subiecto posuimus, satis ex Aristotele patere possunt [d] qui cum de principijs rerum naturalium tractauisset, de motu, de quantitate, (huc enim refertur tractatio illa de finito & infinito) de loco & tempore, quę res omnes naturales consequuntur, sibi agendum iudicauit. Quantitati subijcitur numerus & portio illa subiecti, quæ à forma occupatur, ab hac igitur magnitudinis & paruitatis, ab illa multitudinis & paucitatis differentię oriuntur. Motus consideratur non solum dum materia agitatur, vt educatur forma, sed etiam vbi iam educta est, & ad huc aliquam effectricis causę inpressionem retinet, eatenus autem prę bet differentiam celeritatis & tarditatis: vtraq; vel in vna accessione, vel in pluribus obseruatur quasi circuitibus. Ab illa proficiscuntur differentię, quatenus quę educitur forma aut augetur, aut minuitur, aut eodem modo manet, vnde [e] ἀκμάζικα, παρακμάζικα, & ὁμοτόνα, græce nominatur. Ab hac quatenus eiusmodi motus continuus est, aut intermittens, tum quatenus ordinatus vel inordinatus, & vbi ordinatus, quatenus quotidianus, tertianus, vel quartanus. Tempus spectatur aut prçteritum aut futurum, à prę terito sumitur differentia nouitatis, ac vetustatis, à futuro longitudinis ac breuitatis. locus nunc non accipitur subtiliter, [f] pro extrema superficie corporis ambientis locatum, sed pro spacio subiecti quod a forma occupatur. Occupatur autem interdum totum,

[a] Aristo. l. 5. Æ. icorũ.

[b] Gal. 3. de loc. aff. c. 2

[c] Gale. p de loc. aff. c. 3.

[d] Aristot. 3. phisicorũ.

[e] Gale. 2. de diff. feb. c. 2

[f] Aristot. 4. phisic. 39.

totum, interdum pars, ſiue hæc ſiue illa, ac ſeu præcipua ſeu igno bilior: quæ loci differentiæ totidem ſimiles differentias formæ in ſubiecto proferunt. Cauſa efficiens abdita eſt, aut euidens, abdita refertur ad ſuccos, vt ad ſanguinem, pituitam, vel vtramq; bilem, qui totidem differentias faciunt in forma quæ in ſubiecto verſatur: ijdem ſucci vbi retinentur ſiccam, vbi effluunt humidam tum, vbi puri ſunt, exquiſitam, vbi mixti ſpuriam reddunt differentiam. Cauſę euidentes vt tempora anni, verna, æſtiua, autumnalia, hyberna, ſimiles quoq; pariunt differentias, at quum formæ neque ant eſſe ocioſę vbi in ſubiecto verſantur, effecta aliqua prębent, quæ prout multa vel pauca, bona vel mala, differentiam faciunt formæ bonæ ac ſalubris, vel prauæ ac lęthalis. Differentias igitur mutationem in eadem ſpecie facientes, quam commodiſsime potuimus, via & methodo perſequi conati ſumus, vti nam bene proceſſerit, multitudo.n. eorum quæ ad certa quædam capita referri debebant, ſummam difficultatem neceſſario affert, ſtudium certe ac diligentia nobis non defuit, alij hoc lumine illuſtrati inchoata hęc fortaſſe perficient: at non ſatis eſt rerum differentias inueſtigaſſe, & ex certis locis deprompſiſſe, niſi cauſas à quibus efficiuntur adijciamus. Scire autem licet in vniuerſum eaſdem cauſas quę rem efficiunt, rei quoq; differentias efficere n hunc modum. Quales habet [b] cauſa differentias, tales preſefe runt effecta, itaut horum differentię à ſimilibus cauſarum differentijs conficiantur: id quod perpetuum eſt, ſi non aperte & euidenter, ſaltem implicite & abſcondite: cauſa magna parit effectum magnum, parua, paruum: id quod patentius & expeditius depræhenditur, ſed quarundam differentiarum ſimilitudo latet & abſcondita eſt: exempli gratia celeritatis & tarditatis, quæ non æque depræhenduntur in cauſis atq; in effectis, tantum enim ineſt cauſis vis quędam celeritatis & tarditatis, quæ niſi diligentius conſideretur, facile nos latet. Differentiarum igitur cuiuſque rei cauſas hoc pacto licet inueſtigare.

a Hippoc. 2. aphoriſmorum 25.

b Gale. p. de cauſ. puls. cap. p.

De cognitione in homine qui tractatur. *Cap. VI.*

RES tractandæ non ſolum abſolute cognoſcendæ ſunt à me dico prius quam bonam valetudinem tueri, aut reſtituere aggrediatur, ſed etiam in homine qui tractatur quodammodo re cognoſcendæ, vt in ſuperioribus [c] oſtenſum fuit: in qua recognitione, rei natura tria nobis præbet conſideranda, ea quæ depræhendi debent, locos per quos depræhendantur, & modum ſeu rationem cognoſcendi. Res igitur quas in homine qui curatur, aut con-

c Supra cap. 2.

conſeruatur depræhendere oportet, non aliæ ſunt quam illæ tres quas recenſuimus ad corpus noſtrum ſpectantes, ſiue ſecundum naturam affectum ſit, ſiue præternaturam, nempe eius compoſitio [a] cauſæ,& effecta, quum nec plures nec pauciores ad ipſum pertineant:ſingulæ autem differentijs diſtinguntur compluribus, quas ante [b] commemorauimus. Verum tam res quam rerum differentias enarratas, non ſolum præſentes recognoſcere in homine oportet, ſed etiam præteritas conijcere & futuras pręſagire: neceſſaria enim medico eſt vt ſuum officium appoſite [c] faciat, ad hominem cito, tuto & iucunde ſanandum,& ad auctoritatem ſuæ arti comparandam non ſolum cognitio [c] præſentium, ſed præteritorum coniectura,& diuinatio futurorum.

a Galen. p.l. meth. ca.7 & cap.8.& 2.meth.c.3

b In capite antecedéti

c Hippoc. p. progn in Prohem.& Gal.p.acu. com.3.

Hactenus de ijs quę depræhendenda ſunt in homine qui tractatur, loci autem ex quibus promuntur ipſorũ notæ ita habent,con prænduntur res aut ſenſu aut mente,quod monuit [d] Hippocrates in principio libri de officina medici.Quæ ſenſui ſubijciuntur, illico quum oblata ſunt imprimunt & quaſi ſignant in animo ſpeciem ſuam, nec ſignis egent à quibus patefiant. Quæ ſenſum fugiunt intelligentia comprehendi debent, quod vbi per ſe nota non ſint, non ſine ratiocinatione fieri poteſt: ratiocinamur autem quum per ea quæ plana ſunt,& perſpicua, inueſtigamus quæ latent & abdita ſunt; à rebus igitur claris ſignificantur obſcuræ, efficiunturq; res ſignificantes ſigna earum quæ ſignificantur; loci autem ſeu ſedes à quibus ſigna depromuntur, vel cauſę [e] ſunt,vel effecta: elicitur enim ex cauſis effectum, & ex effectis cauſa. Cætera vero non per ſe, ſed alio intercedente rem patefaciunt. Cauſæ & effecta rem per ſe proxime demonſtrant, quæ nullum habent conſortium cum re nullo pacto ipſam demonſtrant, habent conſortium cauſæ cum effectis, effecta cum cauſis: cum efficientibus cauſis annumerare oportet paſſuri corporis præparationem, ſine qua vix poſſent illæ ſuam effectionem præſtare.Cæterum quę iuuant aut nocent tanquam cauſæ ſigna efficiuntur, non quo ſint ipſa propriè efficientia morbum, nam hic iam effectus eſt, ſed quo moſtrent habilitatem eius qui ægrotat ad vtilitatem, vel noxam percipiendam:habilitas veró ad efifcientem pertinet cauſam, & eatenus monſtrat morbum,quem monſtrat etiã vtilitas & noxa, ſed per habilitatem. Caſus [f] qui communiter eodem tempore multis accidunt, quaſi communia effecta, communem cauſam monſtrant, ex qua medicus effectum in homine qui tractatur communem eſſe cum alijs coniectatur. Ergo loci omnes,vel ad cauſas referuntur,vel ad effecta,accomodantur autem ad ſignificanda præſentia, pręterita, & futura in hunc modum.

d Hip.p l.de offic. Tex. 3. & Gale. p.de loc.affec. cap p.

e Gal.3.cata top.cap.p.

f Gal.2.crſi. cap.3.

Quum

Quum quicquid cognoſcitur ſenſu aut mente cognoſcatur, tantum præſentia [a] poſſunt ſenſu dignoſci, quum nec præterita ſub ſenſum cadant, neq; etiam futura, ſed ſola mente comprẹhendantur. Non ſecus etiam ex præſentibus illa quæ intus latent, quæ per notas accipienda ſunt, à cauſis vel ab effectis depromptas. Prẹterita quum ſenſum effugiant, ſunt ex cauſis vel effectis colligẽda, niſi quis de homine qui tractatur, [b] aut de familiaribus ipſius hẹc tentet audire. Sed quæ ſic relata intelliguntur nullũ habent artificium, præſtat igitur hæc mente venari ratiocinatione ducta ab effectis prẹteritis, itaut raro præterita per cauſas intelligamus. Futura quum non dum ſint, nequeunt obijci ſenſibus, intelligentia igitur prẹſagienda ſunt, atque à ſignis iudicanda: ſummuntur autem non ab effectis, quia ſi non dum ſunt quẹ futura ſunt, multo minus ſunt quæ eadem conſequi debent. Itaq; nihil ſignificare nobis poſſunt futurorum effecta. Reſtat igitur, [c] vt ex ſolis cauſis præſagiamus quod futurum eſt, neq; mirum eſt ſi ex cauſis prẹſentibus, & iam efficientibus denuntiantur effecta futura: ſunt enim hæc ignota, illæ vero cognitæ, nec alia via eſt per quam diuinare liceat id quod futurum eſt, quam per cauſas præſentes. hæc de rebus quæ cognoſci debent & de ſignis ipſarum. Differentiæ rerum vbi ſenſum lateant, ex ijſdem ſignis colliguntur ex quibus res, ſiue prẹſentes, ſiue prætẹritæ, ſiue futuræ: aſſumpta enim differentia aperte vel latenter ſimili, rerum differentias demonſtrat. Reſtat tertium, ſcilicet modus ſeu ratio cognitionis: ſcire igitur licet omnes ſenſus veri nuncios [d] eſſe, quos nõ magiſter deprauat, non multitudinis conſenſus abducit, ita vt iniquum ſit non agnoſcere tanquam certa & indubitata quæ ſenſibus iudicantur; hæc igitur ſpecies cognitionis certa prorſus æſtimanda eſt. Eorum quẹ ſenſum latent non ita certa eſt & conſtans cognitio, ſed interdum incerta ac non neceſſaria, ſed potius coniecturalis. Signa quæ neceſſariam cognitionem pariunt τεκμήρια græce [e] nuncupantur, quæ non neceſſariam σημεῖα & εἰκώτα, hoc eſt veriſimilia: hẹc non certitudinem ſed probabilitatem quandam efficiunt. Quæ indubitatam ſcientiam pariunt, duplicem conditionem requirunt, vnam vt ſint propria, hoc eſt nullam rem ſignificent prẹter eam ad quam ſignificandam ſumuntur, altera vt ſint ita coniuncta cum re quam indicare debent vt ſeiungi ac diuelli minime poſsint. Quæ alteram conditionem habent, minus neceſſario rem notant, quod ſi vtraq; careant, fiunt penitus inutilia vbi per ſe accipiuntur; quẹ tamen per ſe nõ ſufficiunt ſi inter ſe iungantur [f] aliquam faciunt coniecturam, fit enim veluti proprium ſignum ex multis communibus, quum ſe-

pe

[a] Ariſt. l. 2. de anima.

[b] Gal. p. progn. com. 8.

[c] Hippoc. p. progn. 3.

[d] Ariſt. 2. de anima Tex 63. & 3. de anima. tex. 162.

[e] Gal. 3. progn. 39. Ariſtot. p. retoricorũ. cap. 2.

[f] Gal. p. de l. loc. aff. c. p.

pe difficile sit signum inuenire, quod per se proprium sit ac necessarium: sed medicus plura simul colligit, non secus quam phi
[a] Arist. 2. posteriorum. losophus qui vbi in definiendo non succurrit differētia [a] propria, plures simul iunctas quasi vnam propriam ac necessariam accipit, eadem ratio est signorum, siquidem vbi propria desint, confugiendum est ad communia, quæ si non necessariam certe coniecturalem peritiam comparabunt, modo signa quæ sumuntur non sint ita communia, vt æque vel magis etiam possint rem non inferre atq; inferre, nam sic ab arte penitus abhorrent: sed satis de cognitione eorum quæ conseruari vel curari debent, & absoluta & in homine qui tractatur.

De ratione tractandi per opera & instrumenta, ac primo de operibus ad conseruandum vel curandum necessarijs. Cap. VII.

QVAE ad sanitatem conducunt, diximus sub duplici capite contineri, vnum erat cognitio siue absoluta siue in homine eorum quæ conseruanda sunt vel curanda quam actenus persecuti sumus, alterum ratio conseruandi vel curandi, quæ nunc nobis proponitur. Continetur hęc partim operibus, partim instru
[b] Arist. 4 diuin. Tex. x. mentis, neq; idem sunt opera & instrumenta, id quod [b] Aristoteles exemplo purgationis & medicamenti demonstrauit. Differunt hæc inter se vt apud fabrum ascia & scamnum, est enim tam medicamentum quam ascia instrumentum, scamnum vero & purgatio operibus annumerantur. Quęcumq; igitur ad rationem faciendæ sanitatis pertinent, aut opera sunt aut instrumenta medicinæ: perducunt opera proxime ad finem institutum, sed nequeunt sine instrumentis pręstari, quibus necessario ad quoduis opus efficiendum vtitur facultas quælibet, siue à natura, siue ab arte proficiscatur. Agemus ante de operibus, tum de instrumentis, vnum igitur est medicinæ opus primum; nempe sanitatis ef-
[c] Gal. de Tu. val. ad Trasyb. ca. 19. & 20. & l. de sect. c. p. fectio, quod [c] in duo secatur, conseruationem, & curationem, conseruat. n. medicus eos qui bene valent, curat ægrotantes, quidum curantur fieri sanitatem congruit inter omnes: restituitur enim quę amissa erat. Sed dubium videri potest, qui conseruat dici ne debeat facere sanitatem cum iam facta sit, præsertim in ijs qui hac integra fruuntur: nam alij qui non ita sani sunt, quum restituuntur, aliquo modo nouam sanitatem acquirunt. Verum si quis animaduertat quo pacto etiã integra sanitas defendatur, iudicabit similiter nouã fieri: [d] defenditur enim adijciendo quod deest,
[d] Gale. l. de Tu. val. ad Trasyb. ca. 20.
[e] Hipp. l. de flatibus. & quod superat educendo: neq; aliud sibi voluit [e] Hippocrates cum medicinam esse adiectionem ac detractionem tradidit, nam

si corpus

si corpus nostrum optime penitus degeret, [a] non esset opus adde re quicquam aut detrahere, sed addimus [b] & detrahimus quia non ex toto secundum naturam habet. Quare sic etiam facimus sanitatem, quod tanto minus perspicuum est, quanto minor est recessus à natura quum adeo paruus sit vt sensum lateat: est igitur eadem ratio conseruandi & curandi, sed curationis vocabulo vtimur vbi vitia sunt manifesta, conseruationis vbi obscura. Quemadmodum enim qui tapetia resarciunt, non secus quam qui noua efficiunt, stamina [c] subtegminibus sub nectunt, ita qui sanos tuentur, adijciunt quod deest, adimunt quod supersit, non secus atq; illi qui curant ægrotantes. Ex quo colligimus, ab vtrisque fieri sanitatem, quamobrem, hoc primum opus faciendæ sanitatis, quod genere vnum est, in duo membra [d] distribuitur, in conseruationem & curationem, species autem conseruationis sumuntur à specie sanitatis quam tuemur, nam homines alij integram sanitatem præseferunt, aliqui iam laborare videntur, & ex sanitate in morbum incidere, Alij contra ex morbo euadentes nondum integram sanitatem receperunt, aliqui [e] iam annis marcere incipiunt & penè confici senio. Constituunt singulæ sanitatis species singulas species conseruationis, & id circo sub vno conseruandi opere tria cõtinentur, primum spectat ad integram sanitatem tuendam, alterum ad eos quibus morbus iam impendet, tertiũ ad cõualescentes, sub quo cõplecti licet etiam [f] senes, cum vtrique pariter virium refectione indigeant. Opus autem illud quod ad defendendam integram pertinet, in totidem [g] diuiditur genera, in quot res ipsæ quas tuemur, quæ vel compositiones corporis sunt, vel causæ, vel effecta. Defenduntur effecta si quis patrocinium habeat compositionis quam illa consequuntur, hæc autem vel ad simplices vel ad multiformes [h] refertur, ad simplices spectant nouem illæ temperationes, quæ totidem operum species requirunt; ad multiformes [i] pertinet formatio magnitudo numerus situs, & præter hæc vnitas, quæ [k] simplicium quoq; partium cõmunis est, & hæc omnia vt conseruentur suam operis speciem postulant, sed & conseruari quoq; debent differentiæ sanitatis, quæ prout diuersæ sunt ita exigunt operum differentias diuersas. Alterum vero opus quod sub effectione sanitatis compræhẽditur, est curatio, quod in totidem rursus opera diducitur, quot sunt res quas submouere oportet, sunt autem hæ, [l] compositio corporis præternaturam hoc est morbus, causæ eiusdem, & effecta hoc est sympthomata. Vnum igitur est opus medici quod pariter ab his tribus requiritur nẽpe remotio per contraria, sed quum vnumquodq; [m] sua exigat contraria, suum quoque opus à medi-

a Galen.l.de Tu. val. ad Trasyb. 19.
b Galen.l.de Tu. val. ad Trasyb. 20
c Galen.l.de Tu. val. ad Trasyb. ca. 21.
d Gale. l. de sectis. ca. p.
e Gale. 5. de Tu. val. c 4
f Gale. 5. de Tuval. c. 4.
g Galen.l. de diff. morb. ab initio.
h Galen. l. p de Tempram. c. 8. l. de diff. morb. ca. 5
i Galen. l de diff. morb cap. 6.
k Galen l de arte medi. cap. 8.
l Galen. 11. meth c. 12.
m Gal. l. 11. meth c. 2

co desiderat. Præterea compositio ipsa præternaturam quam morbum appellari diximus, multiplex est, quare multiplex quoque opus à medico requirit, quot .n. sunt species morborum, totidem necesse est & operum esse per quæ tollantur. Causę morborum [a] ita habent, quæ extrinsecus infestant vbi cognitæ sunt, nullum artificium postulant, quum vel non monente medico ab imperitis vitentur, nam & belluę quoq; quę natura persequuntur quod commodum est, declinant quod alienum. Solæ causæ quæ in corpore sunt, opera à medico requirunt, siue morbum antecedant, siue cum ipso ita iungantur, vt sine altero, alterum esse non possit: debent ergo omnes tolli contrario præsidio. At quum variæ sint, multiplici quoq; opere egent. Sympthomata autem quum sint effecta morborum, his [b] ablatis necessario auferuntur, neq; aliam medicinam requirere videntur, modo soluantur morbi à quibus tanquam à causis effecta dependent: Sed ob vim ipsorum cogitur medicus, interdum vitam [c] tueri, defendere vires, leuare molestiam: opponit enim vnicuiq; sympthomati suum contrarium, vt vigiliæ somnum, dolori indolentiam per ea præsidia quæ Græce ἀνοδύνα nuncupantur, reficit vires iam labantes, supprimit quæ nimis large profluunt. Vt autem genus operis à genere rerum requirentium, [d] & species à specie, ita differentia [e] sumitur a differentia, debet autem similis esse differentia operis, differentiæ rei quæ ipsum requirit, nam [f] morbus per contraria tollendus species per suam [g] speciem contrarij, vt morbus calidus per frigida, differentia per similem differentiam in contrario, vt multus calor, per multũ frigida paruus calor, per parum frigida: eademq; ratio est aliarum differentiarũ, perpetuo enim opus quod efficitur, rei quæ ipsum postulat similem habere differẽtiã debet, si non patentius & expeditius, saltem implicite & abscõdite, id quod patebit singulas differentias perpendenti. Concurrunt interdũ res seu naturales seu prętternaturam, quę non modo diuersa exigunt opera, sed etiam contraria, nam si vnum tantum considerandum esset, vnum tantum requireretur opus. ergo vbi medicus videat diuersa opera desiderari, omnia præstare debet, & eodem tẽpore, si id fieri possit. si quid prohibet, alijs præponenda [h] sunt quæ magis vrgent, vel quæ causa [i] sunt futurorum, vel ea sine quibus præstari cætera nequeunt. At vbi contraria penitus opera exigantur, vel æque possunt quæ exigunt, vel vnum altero validius est, vbi æqualis sit requirentium vis, ęqualiter omnibus aliquid concedendum est. atq; ita temperandum opus quod fit à medico, vt spectet æqualiter vtrumq; contrarium. Quod si alterum ab altero superetur, si magnus excessus appareat, id quod longe vincitur, ex toto relinquen-

[a] Gal. 4. methodi c. 3.

[b] Gale. 2. 6. epid. cõ. 9.

[c] Galen. 12. meth. ca. p.

[d] Gal. 5. de. Tu. val. 2. 10.

[e] Gale, 5. de Tu. val. vlt.

[f] Galen. ibidem.

[g] Gal. 4. metho. cap. p.

[h] Galen. 10. meth. c. p.

[i] Galen. 11. meth. ca. 8.

linquendum est, & in id penitus incumbendum quod plurimum posse videatur. Sin mediocris fuerit excessus, plus tribuendum ei quod plus potest [a] altero nòn neglecto. hæc sunt opera quæ à medico præstanda sunt siue secundam valetudinem tueatur, siue aduersam restituere velit.

a Galen. ibidem. & 8. meth. ca. 9.

De instrumentis quibus tractandi ratio continetur. Cap. VIII.

SEQVITVR nunc vt instrumenta quibus vtitur medicus ad opera efficienda, à summis generibus propè ad vltimas species persequamur. Prima igitur horum genera, alibi [b] tripartita, alibi quadripartita leguntur: Quum aliquando ad dietam, pharmaca, & chirurgiam referantur. aliquando his tribus [c] quartum accedat, idest gymnastice. διέταν Græci appellant quod Romani victus rationem dicunt. Ppharmaca notant ea præsidia quæ à medicamentis petuntur, sicut chirurgia, manus operam significat. Gymnastice nomen ab exercitatione inuenit, quæ sub victus ratione continetur, ita vt non opus sit addere quartum genus instrumentorum, quum commode ad medicamenta, victus rationem, & chirurgiam omnia referantur. Sub dieta compræhenduntur [d] & præsidia quæ consueta sunt tempore sanitatis. Hæc Galenus, dispertit in sex illas res cum quibus necessario nostrum corpus versatur. Sunt hæ aer, cibus & potio, motus & quies, somnus & vigilia, animi perturbationes, ea quę excernuntur & retinentur. Vnumquodq; autem ex his diuiditur in plures species, vt motus, cibus, potio, excreta. Sub medicamenti [e] nomine notatur quicquid potest corpus nostrum mutare, modo non sit opera manus, aut eorum, quæ consueta sunt tempore sanitatis. Illa enim sub chirurgiam, hęc sub victus rationem cadũt. Diuiditur medicamentum in simplex & compositum, dicitur simplex medicamentum, quod arte cùm nullo alio iungitur, non quo re vera simplex sit quum constet ex quatuor elementis, sed composita fiunt ex pluribus medicamentis ad diuersum vsum, variamq; formam habent prout res ipsa requirit. Inuentum est tertium medicinę instrumentum nempe chirurgia, propter eos morbos, qui non victus rationi, non medicamentis cædunt, sed manu tulluntur. Illud autem monere conuenit, quod [f] pleriq; eorum qui de chirurgia scribunt, non de instrumento seperatim, quemadmodum de victu & medicamentis, sed simuletiam agunt de morbis, qui præter manus operam, victum quoque & medicamenta desiderant. Quę omnia quum simul confundunt, interim de chirurgia, se tractare putant, asseruntq; hanc contineri curatione vulnerum, luxatorum

b Gal. I. medicus. ca. 8. Gal. p. acutorum. 6. & de partibus artis. med. c. p.

c Galen. ad Trasyb. c. 34.

d Galen. de arte med. 85. & Ga. de Tu. val. ad Trasyb. 35.

e Gal. p. simplic. cap. p.

f Ioannes de Vigo. Petrus de lacerata. Guido de Caulioco Tagautius & multi alij.

xatorum, fractorum, abscessuum, & in summa curatione eorum morborum, qui non solum victum & medicamenta postulant, sed magnam quoq; auxilij partem petunt a chirurgia. Quamobrem non pro tertio medicinæ instrumento, sed pro arte quę morbos manu tollat ipsam accipiũt, conscribuntq; libros de medicamentis chirurgiæ, quod est ac si apud fabrum tractes de ascia mallei, aut de serra scalpelli: nihil enim hæc inter se cõmune habent, nisi quod pertinent ad eundem artificem: Instrumenta quibus vtitur chirurgicus præter manum, quædam sunt instrumenta simpliciter, quædam machinamenta: adhibet hęc ad extendenda & reponenda luxata, vel fracta ossa, vt scamnum Hippocratis, Trispastum Appellidis, Glossocomum Nimphodori. Illa vero ad incidendum, suendum, ad vrendum, aut aliud tale manu moliendum ad tollendos morbos necessarium, vt scalpellum scalprum, acum, volsellam, & alia huius generis. hæc sunt instrumentorum genera, quibus perficiuntur opera ad conseruandam, vel restituendam bonam valetudinem, necessaria.

De dispositione partium medicinæ. *Cap. VIIII.*

DE inuentione partium medicinę satis multa, deinceps pauca dicenda sunt de dispositione quæ non alia esse debet atq; illa, quam supra in vniuersum de omnibus artibus ac scientijs proposuimus. primo enim tradere simplicissima oportet quæ postremo fuerunt inuenta, donec perueniamus ad maxime coniuncta, quæ primum inueniendo dissoluere incepimus. Eiusmodi ordo naturam rei plane sequitur. Quod ad facilitatem attinet, licet præponantur simpliciora quæ magis nos latent, euidentiora tamen fiunt via docendi quę ex perspicuis atq; apertis eruit ea quæ obruta sunt, & quasi in profundo obstructa. Eiusmodi igitur ordinem in medicina tenebimus, à simplicissimis ad minus simplicia, inde ad coniuncta procedentes, dum ad maxime coniuncta peruenerimus: sic ea quę postremo fuerunt inuenta primo loco persequemur, modo simplicia fuerint & veluti elementa, ex quibus componantur, ea quę coniuncta sunt & primo inueniuntur, alioquin non est incipiendum ab ijs quę postremo inuenta sunt, nam sic sumeret medicina initium ab instrumẽtis, quum eius partes dissoluimus in cognitionem tractandorum & rationem tractandi, & rursus rationem tractandi in opera & instrumenta, quę vltimo loco fuerunt reperta. Quod tamen aliter habet, cum neq; at vis atq; vsus instrumentorũ percipi nisi prius percipiantur opera ad quæ perficienda adhibentur, at neq; intelligi opera possunt,

nisi

nisi precedat cognitio rerum à quibus requiruntur, adeo vt primo agendum sit de cognitione tractandorũ & absoluta, & in homine, quam primo cępimus dissoluere, tum de operibus & tãdem de instrumentis quę vltimo loco inuenimus, neq; enim sunt hæc quasi elementa ex quibus componãtur quę primo reperiuntur, neq; debent primo tradi. Vbi autem res postremo inuentę simplices sunt & ad aliarum cõpositionem concurrunt, tunc primo tradẽda sunt. Exempli causa in cognitione tractandorum absoluta, & propriæ sanitatis, quum hæc eatenus pertineat ad totũ corpus, quatenus versatur in partibus multiformibus quę postulant non modo ido neam formam, sed etiã materiam: cumq; hanc prębeant simplices partes quæ ex elementis componuntur, necesse est ab elementis ordiri, dein progredi ad simplices partes, & tandem ad vniuersum corpus quod est maxime coniunctum, atq; hoc pacto quod postremo inuentum est, debet primo loco collocari, alioquin quæ dissoluentibus primo nobis occurrunt, primo exponenda sunt. Sed quum proposita membra, cognitio scilicet absoluta, ac per signa, & ratio tractandi per opera atq; instrumenta ad sanitatem conseruandam & restituendam referantur, expedit ea per scrutari prius in conseruanda, pręcedit enim sanitas [a] morbum, non solum tempore & dignitate, sed etiam ordine doctrinæ: ita vt præponenda sit, si quidem rectum & sui & obliqui [b] iudex est. Si intelligamus sanitatem, & ea quæ secundum naturam sunt, non magno deinde negotio assequemur quę pręter naturam, licebit enim hæc ad illorum regulam metiri. Sumemus igitur initium à conseruatione sanitatis, quę cumq; ad eam necessaria sunt eo ordine quem proposuimus explicantes. Duo igitur demonstrauimus esse capita rerum quæ videntur ad sanitatem tuendam, æq; atq; ad morbos curandos pertinere, cognitionem eorum quę tractari debent, & rationem tractandi. Principio compræhendere oportet quæ conseruanda sunt, tum ad eorum conseruationem aggredi. Cognitionis duo genera posuimus, vnum simpliciter & absolute, alterum comparate, ac veluti agnitionem in homine qui tractatur. Ante absolute intelligenda sunt quæ conseruationem desiderent, tum eadem in homine conseruando recognoscenda. Incipiemus à cognitione absoluta eorum quæ conseruationem postulant, quæ tria esse indicauimus, [c] sanitatem, causas sanitatis, & effecta eiusdem. Ordiemur à sanitate quam spectabimus primo in partibus simplicibus, quę sunt materia [d] multiformium, deinde in multiformibus. Atq; in simplicibus quidem, cum constet ex elementis, ante perpendemus elementa. Eundem ordinem sequemur in curatione, quam absoluta conser

uatione

a Galen. l. 1. de Tu. val. cap. p.

b Arist. p. de anima Tex 85.

c Supra cap. te 2.

d Arist. 2. de part. animalium capi. p.

uatione aggrediemur,primo exponentes cognitionem curandorum, de in rationem curandi, & illam primo absolute, deinde in homine. In cognitione autem absoluta rerum præternaturam, similiter à simplicissimis incipiemus quæ postremo fuerũt inuente. Vtraq; autem & curatio & conseruatio tradenda est generatim, [a] quod κατὰγένη & membratim, quod κατατόπους græci dicunt. Generatim traditur quum singulæ eius partes absolute perscribũtur. Membratim quum eædem omnes ad vnam quamq; corporis particulam, non ad vniuersum referuntur, vtramuis tradendi rationem, quum necessaria sit tam in morbis depellendis, quam in sanitate defendenda abunde persequemur, incipientes ab ea quæ generatim progreditur, nam sic via magis plana & expedita,celerius ac facilius quo intendunt medicinæ studiosos perducemus: quæcumq; enim cõmunia sunt si proponantur, lumen addunt proprijs,nec sunt deinde singillatim repetenda, & passim citra vtilitatem inculcanda. Sed vt dispositionem totam in compendium conferam, primo loco trademus quæ generatim,secundo quæ membratim ad conseruationem sanitatis pertinent, tertio quæ ad curationem generatim, quarto quę ad eandem membratim: vbiq; autem primo agemus de cognitione tractandorum & absolute & comparate, deinde ratione tractandi per opera & instrumenta. his quasi quatuor membris totius medicinæ, quintum adijciemus,quod instrumentorum victus scilicet rationis,medicamentorum, & chirurgiæ vim seorsum atq; vsum explicet: quę quamuis in vnoquoque quatuor membrorũ cõmemorentur, vna cum operibus ad quæ perficienda adhibentur, vberius tamen per se tractanda esse existimauimus,vt si quis velit eorum sibi copiam comparare tam in tuenda valetudine, quam in restituenda, locuples remediorum videri facile possit. Postremo autem loco ipsa posuimus non solum vt melius eorum vis ex propositis depræhenderetur, sed ne quatuor propositorum membrorum series sermone de instrumentis interposito perturbaretur.

[a] Gal.9.meth.c.14.

Epilogus eorum quæ in tribus libris institutionum medicinę traduntur. Cap. X.

QVAE tribus institutionum libris conscripta sunt à nobis, quum ad eos pertineant qui medicinæ sacris initiantur, duo quæ spectari in vniuscuiusq; artis institutionibus debent,potissimum spectant. Vnum, vt vel referantur communiter ad vniuersam artem, vel si proprie ad eius partes videantur attinere, talia sint vt tyrones idoneos reddant ad singulas deinde perfecte intelli-

telligendas. Alterum vt pateant, & facile ab artis etiam expe rtibus compræhendantur. Primo enim libro egimus de origine medicinę de auctoribus in quauis lingua aut secta, à quibus actenus fuerit exculpta. perpendimus quid in vnoquoq; desideretur, & tandem nostri instituti rationem attulimus. Non sunt hæc medicinæ membra, cum ad sanitatem comparandam vel tuendam minime conducant, sed instruunt duntaxat eos qui accedunt ad medicinæ limen adeo autem in aperto sunt, vt historiæ modo possint propè à vulgaribus compræhendi. Secundo libro exposuimus definitionem medicinæ, subiectum, finem. Adiecimus in quo consistat officium non modo medici, sed ægrotantis & ministrorum, sine quibus sanitatis effectio quam medicus intendit non succedit. Communia hæc sunt & literatis minime difficilia: eos autem qui instituuntur ex ipso limine ducunt in vestibulum medicinæ. Tertio libro viam statuimus qua cuiuslibet artis partes & inueniri possint, & in ordinem disponi. Eadem via, reiecta veterum diuisione, medicinæ partes omnes inuenimus ac suo loco collocauimus. Cognitio singularum partium quam inueniendo tradidimus, eruditio quædam est, non perfecta doctrina, prodestq; initiandis non minus, quam peregrinantibus, notitia itineris, nam vt illi alacrius faciunt illud iter quod nouerunt cum intelligant ex vastitate camporum in quem, quasi portum debeant se recipere, ita etiam tyrones quum ante oculos habeant membra artis, cuius doctrinam inquirunt, immensitatem non amplius reformidant, sed quò tandem perueniendũ sit perspiciunt. Per hec qui instituuntur, ex vestibulo introeunt in medicinæ quasi domus partes intimas, clara autem sunt, si non vulgaribus aut literatis, certe ijs qui (quales esse oportet, medicinæ tyrones) dialectice, ac naturalis philosophiæ sunt instructi. Quos iam tempus est ab institutionibus, ad membra artis perducere, & primo ad ea per quæ generatim sanitas conseruatur.

Finis institutionum medicinæ Vidi Vidij.

41837
S

INDEX LIBRORVM
OMNIVM, AC SINGVLORVM
CVIVSQVE LIBRI CAPITVM,
quibus vniuerſa Ars medicinalis
Vidi Vidij continetur.

Vidi Vidij Artis Medicinalis Tomus primus in quo continentur inſtitutionum medicinæ libri tres. De Tuenda valetudine generatim libri ſex.

INDEX EORVM QVAE IN TRIBVS LIBRIS
Inſtitutionum medicinæ continentur. In primo libro agitur de origine atque auctoribus medicinę, & de cauſa cur auctor poſt eos de medicina ſcribat. continetur autem capitibus VIII.

EXCVSATIO *auctoris, & medicinæ ſcriptores.* ca. 1.
Qua ratione medicinam tractauerit vnuſquiſque in quauis lingua ac primo Gręci vſque ad Hippocratem. ca. 2
De medcis qui inter Hippocratem & Galenum fuerunt & primo de Empiricis. cap. 3.
De ſecta Methodicorum. cap. 4.
De ſecta rationali & illius auctoribus vſque ad Galeni tempora. cap. 5.
Recentiorum iudicium de Galeno. cap. 6.
Quid ſentiendum ſit de medicis, qui poſt Galenum arabice, gręce, aut latine ſcripſerunt, quid item de Cornelio Celſo. cap. 7.
Excuſat ſe auctor quòd non debeat haberi aut imprudens, aut arrogans, ſi poſt tot auctores de medicina ſcribat. cap. 8.

IN SECVNDO LIBRO INSTITVTIONVM
agitur de communibus totius medicinę, continetur autem capitibus octo.

DEFINITIO *medicinæ.* cap. 1.
An medicina ſit Ars an ſcientia. cap. 2.

Diuisio Artium & sub qua specie conprehendatur medicina. cap. 3.
Quod medicinę subiectum sit humanum corpus finis sanitas officium appo-
site facere ad sananium. cap. 4.
Quæ ad perficiendum medici officium requirantur. cap. 5.
Qualem esse medicum oporteat. cap. 6.
Qualem se debeat prestare egrotans. cap. 7.
De officio ministrorum. cap. 8.

IN TERTIO LIBRO INSTITVTIONVM agitur de partibus medicinę & de ratione qua inuenian tur atque in ordinem disponantur; continetur autem capitibus decem.

QVA *Methodo vnaquęque ars constituatur.* cap. 1.
Qua Methodo medicinæ partes inueniantur. cap. 2.
De cognitione absoluta rerum secundũ naturam quę conseruari debent. c. 3.
De coguitione absoluta rerum præter naturam quæ curari debent. cap. 4.
De cognitione absoluta differentiarum rerum naturalium & prȩter natu-
ram, & causarum à quibus differentiæ oriuntur. cap. 5.
De cognitione in homiue qui tractatur. cap. 6.
De ratione tractandi per opera & instrumenta ac primo de operibus ad con
seruandum vel curandum necessarijs. cap. 7.
De instrumentis quibus tractandi ratio continetur. cap. 8.
De dispositione partium medicinę. cap. 6.
Epilogus eorum quę in tribus libris institutionum medicine traduntur. c. 10

INDEX EORVM QVAE IN SEX LIBRIS VIDI VIDII DE TVENDA Valetudine generatim continentur.

LIBER PRIMVS.

Qui est de sanitate Generatim.

NECESSITAS *conseruandæ sanitatis.* cap. 1.
Quid sit sanitas. cap. 2.
Differentię ac species sanitatis. cap. 3.
De partibus simplicibus & multiformibus. cap. 4.
De Elementis. cap. 5.
De permixtione & temperatione. cap. 6.

De

De propria hominis temperatione atque eius proprijs elementis & de calido innato. cap. 7.
De Ætatibus. cap. 8.
De Sexu. cap. 9.
De temperatione aduentitia. cap. 10.
De sanitate partium multiformium. cap. 11.
De Sanitate tam ad simplices quam ad multiformes partes requisita. c. 12.

LIBER SECVNDVS.

Qui est de causis sanitatis.

QVOT *sint genera causarum sanitatis.* cap. 1.
De causis, quę à principio sanitatem efficiunt. cap. 2.
De causis sanitatis ad naturam spectantibus. cap. 3.
De spiritibus. cap. 4.
De succis. cap. 5.
De partibus solidis. cap. 6.
De causis externis sanitatem conseruantibus. cap. 7.

LIBER TERTIVS.

Qui est de effectis sanitatis.

QVAE *sint effecta sanitatis.* cap. 1.
De facultatibus nostrũ corpus regentibus deq; earum actionibus. c. 2.
De facultate animali. cap. 3.
De facultate vitali. cap. 4.
De facultatibus naturalibus principalibus. cap. 5.
De naturalibus facultatibus ministris. cap. 6.
De illis operibus quæ sunt effecta sanitatis. cap. 7.
De effectis sanitatis, quę diuersis sensibus subijciuntur. cap. 8.
De qualitatibus quæ in homine sano pluribus sensibus cnmprehenduntur, & de pulchritudine. cap. 9.
He his quæ secundum naturam expelluntur aut retinentur. cap. 10.

LIBER QVARTVS.

Qui est de his quæ cognoscenda sunt in homine Sano:

QVAE *in vniuersum cognoscenda sint in homine sano & quà ratione.* cap. 1.

De Recognoſcenda ſanitate in vniuerſum vna cum ſuis differentijs. cap. 2.
Quæ temperatioſenſu, quę ratione, quæ ambobus recognoſcenda ſit in homine ſano. cap. 3.
De ſignis temperationis modratę. cap. 4.
De ſignis temperationis immodratę. cap. 5.
De recognoſcenda ſanitate partium multiformium. cap. 6.
De ſignis cauſarum ſanitatis. cap. 7.
De ſignis effectorum ſanitatis. cap. 8.
De præcognoſcendis præteritis in homine ſano. cap. 9.
De præcognoſcendis futuris in homine ſano. cap. 10.

LIBER QVINTVS.

Qui eſt de ratione conſeruandæ ſanitatis.

QVIBVS *ſcribatur ratio conſeruandæ ſanitatis.* cap. 1.
Quas res defendere debeat medicus in homine ſano, & à quibus iniurijs. cap. 2.
De operibus in vniuerſum ad conſeruandam ſanitatem neceſſarijs. cap. 3.
De animaduerſionibus in quouis opere obſeruandis. cap. 4.
Differentiæ ſanitatis quid in conſeruatione poſtulent. cap 5.
Species ſanitatis quam conſeruandi rationem deſiderent in partibus ſimplicibus. cap. 6.
De conſeruatione illius ſpeciei ſanitatis quę ſpectat ad partes multiformes. cap. 7.
De inſtrumentis quibus intuenda valetudine vtitur medicus ad adijciendum aut detrahendum. cap. 8
De animaduerſionibus, quas in inſtrumentis attendere oportet. cap. 9.
De operibus & inſtrumentis neceſſarijs ad conſeruandam ſanitatem perfectiſſimam, ſeu bonum habitum. cap. 10.
De conſeruatione ſanitatis perfectę. cap. 11.
De conſeruationis ſanitatis imperfectæ, ſenum conualeſcentium & eorum qui incidunt in morbum. cap. 12.

LIBER SEXTVS.

Qui eſt de conſeruatione partium Simplicium.

QVAE *attendenda ſint in partibus ſimplicibus vt conſeruentur.* cap. 1.
De oſſibus. cap. 2.
De Cartilaginibus. cap. 3.
De Ligamentis. cap. 4.

De Membranis & fibris. cap. 5.
De Neruis. cap. 6.
De Venis. cap. 7.
De Arterijs. cap. 8.
De Cute. cap. 9.
De Glandulis. cap. 10.
De Adipe. cap. 11.
De Musculis carne, & Chordis. cap. 12.
De Vnguibus. cap. 13.
De Pilis. cap. 14.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS SECVNDVS

in quo continentur de Tuenda valetudine membratim libri quatordecim.

Index eorum quæ in xiii. libris Vidi Vidij de Tuenda valetudine membratim continentur.

LIBER PRIMVS.

Qui est de natura cerebri.

De artificio naturæ in fabrica nostri corporis. cap. 1.
Qua methodo inueniantur partes nostri corporis. cap. 2.
De capite & Membranis cerebri. cap. 3.
De cerebro ad quem finem factum sit & quod sit principium facultatum animalium. cap. 4.
De materia & forma cerebri. cap. 5.
De sanitate causis, & effectis in cerebro. cap. 6.
De vigilia somno & in somnijs. cap. 7.

LIBER SECVNDVS.

Qui est de recognoscendis & conseruandis in homine rebus secundum naturam ad cerebrum attinentibus.

DE recognoscenda sanitate cerebri. cap. 1.
De recognoscendis causis & effectis sanitatis cerebri. cap. 2.

De præsagitione ad cerebrum sanum attinente. cap. 3.
De communibus præceptis ad conseruandum cerebrum pertinentibus. ca. 4.
De proprijs præceptis ad conseruandum cerebrum pertinentibus. cap. 5.
De destillatione propulsanda. cap. 6.

LIBER TERTIVS.

Qui est de conseruatione sanitatis oculorum.

DE sensibus externis in vniuersum. cap. 1.
De Natura oculorum. cap. 2.
De obiectis spectabilibus vt de coloribus & lumine, tum de medio ad videndum necessario. cap. 3.
Visio an fiat accessione, an emissione. cap. 4.
De rebus secundum naturam ad oculos attinentibus. cap. 5.
De his quæ recognoscenda sunt in homine oculis sanis. cap. 6.
De ratione conseruandæ sanitatis in oculis. cap. 7.

LIBER QVARTVS.

Qui est de partibus Auditui, Odoratui, Gustatui, & Tactui seruientibus.

DE Auditu & Auribus. cap. 1.
De conseruandis auribus. cap. 2.
De Naribus & Odoratu. cap. 3.
De conseruatione Nasi, & instrumenti odoratus. cap. 4.
De Gustatu & Lingua. cap. 5.
De conseruatione sanitatis linguæ. cap. 6.
De Ore, Labris, & Palato. cap. 7.
De Dentibus. cap. 8.
De Tactu & eius instrumentis. cap. 9.
Qui nerui ad vnamquamque partem ferantur & quomodo conseruentur. cap. 10.

LIBER QVINTVS.

Qui est de conseruatione partium voluntario motui seruientium.

DE vtilitate & generibus motus. cap. 1.
De motu illo quem localem dicunt. cap. 2.

De causa effectrice cuiuslibet motus. cap. 3.
De bono ac fine cuius causa animal mouetur. cap. 4.
De appetitu. cap. 5.
De præcipuo instrumento motus voluntarij, & de modo quo appetitus in eo residens mouet animal. cap. 6.
De instrumentis proprijs motus voluntarij. cap 7.
De membris. cap. 8.
Qua ratione conseruetur sanitas instrumentorum motus voluntarij. cap. 9.
De propulsanda Arthritide. cap. 10.

LIBER SEXTVS.

Qui est de conseruatione cordis & facultatis vitalis.

DE calido innato. cap. 1.
De vita. cap. 2.
De facultate vitali. cap. 3.
De facultate & motu cordis. cap. 4.
De principatu cordis. cap. 5.
De pericardio & materia cordis. cap. 6.
De forma cordis. cap. 7.
De rebus secundum naturam ad cor attinentibus. cap. 8.
De recognoscendis in homine sano his, quæ ad cor, pertinent. cap. 9.
Qua ratione conseruetur cor sanum. cap. 10.

LIBER SEPTIMVS.

Qui est de pulsibus.

QVA ratione Pulsus tractari debeant. cap. 1.
Nomen & definitio Pulsus. cap. 2.
Quæ attendantur in pulsibus, & vnde sumantur eorum differentiæ. cap. 3.
Explicatio cuiusque differentiæ pulsuum. cap. 4.
Qua ratione pulsus in homine recognoscantur. cap. 5.
De causis pulsuum continentibus. cap. 6.
De causis pulsuum non continentibus, tam externis, quam internis. cap. 7.
Differentiæ pulsuum sigillatim à qua causa fiant & quomodo monstrent præsentia, præterita, & futura. cap. 8.

VIDI VIDII INDEX

LIBER OCTAVVS.

Qui est de respiratione & partibus illi seruientibus.

RESPIRATIO *quid sit, & quibus partibus contineatur.* cap. 1.
De differentijs respirationis. cap. 2.
Causæ respirationis continentes. cap. 3.
Causę respirationis non continentes generatim & speciatim. cap. 4.
De thorace, & septo transuerso. cap. 5.
De Pulmone. cap. 6.

LIBER NONVS.

Qui est de voce & partibus ei seruientibus.

QVID *sit vox.* cap. 1.
Definitio vocis. cap. 2.
Causæ vocis. cap. 3.
Differentiæ vocis. cap. 4.
Causę differentiarum vocis naturalium. cap. 5.
De collo. cap. 6.
De Aspera arteria. cap. 7.
De Gutture. cap. 8.
De faucibus. cap. 9.
De vua. cap. 10.

LIBER DECIMVS.

Qui est de naturalis facultatibus.

DE *Naturali facultate in vniuersum.* cap. 1.
De Alendi munere. cap. 2.
De naturalibus facultatibus ministris. cap. 3.
De facultate attrahente. cap. 4.
De facultate retinente. cap. 5.
De facultate concoctrice. cap. 6.
De facultate expultrice. cap. 7.
De facultate augente. cap. 8.
De facultate procreante. cap. 9.

LIBER VNDECIMVS.

Qui est de conseruatione gulæ, ventriculi intestinorum, mesenterij.

QVAE *partes altrici facultati seruiant.* cap. 1.
De Ventre Peritoneo & Omento. cap. 2.
De Gula. cap. 3.
De ventriculo. cap. 4.
De intestinis. cap. 5.
De Ano. cap. 6.
De Mesenterio & Glandula Pancreas dicta. cap. 7.

LIBER DVODECIMVS.

Qui est de conseruatione iecinoris & partium ei seruientium.

DE *iecinore.* cap. 1.
De vesica fellis. cap. 2.
De liene. cap. 3.
De renibus. cap. 4.
De vesica & canalibus vreteribus. cap. 5.

LIBER DECIMVS TERTIVS.

Qui est de procreatione.

QVAE *attendenda sint de procreatione antequam ad genitales partes veniatur.* cap. 1.
De mare, & fœmina, principijs procreationis. cap. 2.
De complexu venereo. cap. 3.
De semine marium. cap. 4.
De semine fœmineo. cap. 5.
De sanguine menstruo. cap. 6.
De eo quod procreatur. cap. 7.

VIDI VIDII INDEX

LIBER DECIMVS QVARTVS.

Qui est de conseruatione partium genitalium.

QVAE *partes necessariæ sint ad procreandum.* cap. 1.
De Testiculis & vasis ad ipsos pertinentibus. cap. 2.
De cole & his quæ ad semem & venerem conferunt. cap. 3.
De testiculis fœminarum. cap. 4.
De instrumentis ad sanguinem menstruum spectantibus & de eius purgatione. cap. 5.
De conseruatione vteri. cap. 6.
De fœcunditate & sterilitate. cap. 7.
De mammis & lacte. cap. 8.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS TERTIVS,

in quo continentur de curatione generatim partis primæ libri septem ac decem.

Index eorum quæ in prima parte Vidi Vidij de curatione generatim continentur.

LIBER PRIMVS.

Qui est de morbis.

NECESSITAS *curationis & ordo in tractando.* c. 1.
De rebus contra naturam, & primo de morbo. cap. 2.
De causa morbi. cap. 3.
De symptomate. cap. 4.
De morbis partium simplicium. cap. 5.
De morbis partium simplicium à tota substantia. cap. 6.
De morbis partium multiformium. cap. 7.
De vitio vnitatis communi partium simplicium, & multiformium. cap. 8.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Quieſt de morborum cauſis.

QVOT ſint ſpecies cauſarum. cap. 1.
De differentijs cauſarum efficientium morbum. cap. 2.
Aer quo pacto corpus noſtrum afficiat. cap. 3.
De cibo & potu. cap. 4.
De ſomno & vigilia, motu & quiete, animi perturbatione ac tranquillitate, excretis & retentis. cap. 5.
De inanitate, quos morbos faciat. cap. 6.
De plenitudine quos morbos faciat. cap. 7.
De Cachochimia .i. prauitate ſuccorum. cap. 8.
De ſpiritu & flatu. cap. 9.
De cauſis morbi calidi. cap. 10.
De cauſis morbi frigidi. cap. 11.
De cauſis morbi humidi. cap. 12.
De cauſis morbi ſicci. cap. 13.
De cauſis morborum à tota ſubſtantia. cap. 14.
De cauſis morborum ad conformationem attinentium & primo ad figuram. cap. 15.
De cauſis morbi in ſuperficie nimis aſpera vel leni. cap. 16.
De cauſis morborum attinentium ad caua. cap. 17.
De cauſis morborum ad magnitudinem attinentium. cap. 18.
De cauſis morborum ad numerum attinentium. cap. 19.
De cauſis morborum ad ſitum attinentium. cap. 20.
De cauſis morborum ad vnitatem attinentium. cap. 21.

LIBER TERTIVS.

Qui eſt de ſymptomatibus.

QVOT ſint genera ſymptomatum. cap. 1.
De cauſis ſymptomatum in vniuerſum. cap. 2.
Quot modis lædantur actiones cap. 3.
De læſione actionum naturalium. cap. 4.
De ſymptomatibus ad vitalem actionem attinentibus. cap. 5.
De ſymptomatibus ad actiones animales attinentibus. cap. 6.
De ſymptomatibus ad ea quę ſub ſenſum cadunt attinentibus. cap. 7.
De ſymptomatibus ad retenta pertinentibus. cap. 8.
De ſymptomatibus attinentibus in vniuerſum ad ea quę detruduntur. c. 9.

De

De ſymptomatibus ad deiectionem attinentibus. cap. 10.
De ſymptomatibus in vrina. cap. 11.
De ſymptomatibus ad ſudorem pertinentibus. cap. 12.
De vomitu. cap. 13.
De ſputo. cap. 14.
De fluxu ſanguinis. cap. 15.

LIBER QVARTVS.

De morborum differentiis & cauſis ipſarum.

VNDE *ſumantur morborum differentię.* cap. 1.
De differentijs morborũ ſumptis à ſubiecto vel à modo quo informatur. cap. 2.
De differentijs morborum ſumptis ab ijs quę conſecuntur formam in ſubiecto. cap. 3.
De differentijs morborum quæ ſumuntur à cauſis. cap. 4.
De differentijs morborum quæ ſumuntur ab effectis. cap. 5.
A quibus cauſis fiant differentiæ morborum. cap. 6.
De cauſis illarum differentiarum quę ſumuntur à ſubiecto & modo quo recipit formam. cap. 7.
De cauſis illarum differentiarum, quę ſumuntur à conſequentibus formam in ſubiecto. cap. 8.
De cauſis illarum differentiarum, quæ ſumuntur à cauſis morbi. cap. 9.
De cauſis differentiarum, quę ſumuntur ex effectis morborum. cap. 10.

LIBER QVINTVS.

Qui eſt de cognitione in homine & in vniuerſum, & propriæ rerum præteritarum.

COGNITIO *in homine, quibus contineatur.* cap. 1.
De rebus cognoſcendis in homine ægrotante. cap. 2.
De rebus per quas cognoſcimus quę ad ægrotantem attinent in vniuerſum. cap. 3
De rebus per quas in vniuerſum ſignificantur in ęgrotante præſentia, præterita, & futura. cap. 4.
De modo cognoſcendi quæ ad ægrotante attinent. cap. 5.
De cognitione rerum prę teritarum in ęgrotante. cap. 6.

LIBER SEXTVS.

Qui est de cognitione morborum præsentium in homine ægrotante.

MORBI *in ægrotante quo pacto in vniuersum agnoscantur.* cap. 1.
De signis cuiuslibet temperationis immoderatæ. cap. 2.
De signis morborum totam substantia repugnantium. cap. 3.
De signis morborum ad figuram attinentium. cap. 4.
De signis morborum ad superficiem attinentium. cap. 5.
De signis morborum ad caua attinentium. cap. 6.
De signis morborum ad magnitudinem attinentium. cap. 7.
De signis morborum ad numerum attinentium. cap. 8.
De signis morborum ad situm attinentium. cap. 9.
De signis morborum ad vnitatem attinentium. cap. 10.

LIBER SEPTIMVS.

Qui est de signis tàm causarum efficientium morbos quàm symptomatum.

QVAS *morborum causas recognoscere oporteat & qua ratione.* c. 1.
De signis sanguinis redundantis. cap. 2.
De signis pituitę redundantis. cap. 3.
De signis flauæ bilis redundantis. cap. 4.
De signis atrę bilis redundantis. cap. 5.
De signis monstrantibus humorem aquosum. cap. 6.
De signis humorum ex tertia coctione redundantium. cap. 7.
De signis monstrantibus flatum. cap. 8.
De signis materiæ crassę redundantis. cap. 9.
De signis inanitatis. cap. 10.
De symptomatibus in ægrotante recognoscendis. cap. 11.

LIBER OCTAVVS.

Qui est de differentijs morborum in homine recognoscendis.

QVAE *differentię recognoscendę sint, & quo pacto recognoscantur.* c. 1.
De recognitione differentiarum quę sumuntur à subiecto. cap. 2.
De recognitione differentiarum quę sumuntur à modo formę in subiecto. c. 3.

De

De recognitione illarum differentiarum morbi que ſumuntur à magnitudine & numero. cap. 4.
De recognitione differentiarum quæ ſumuntur à loco affecto. cap. 5.
De recognitione differentiarum quę ſumuntur à motu. cap. 6.
De recognitione differentiarum quę ſumuntur, à tempore. cap. 7.
De recognitione differentiarum quę ſumuntur à cauſis. cap. 8.
De recognitione differentiarum quæ ſumuntur ab effectis. cap. 9.

LIBER NONVS.

Qui eſt de prognoſticis in vniuerſum.

QVorſum ſpectet præſagitio & an liceat præſagire. cap. 1.
Quibus contineatur ratio præſagiendi & quæ nam ſint præcognoſcenda. cap. 2.
De rebus per quas præcognoſcimus. cap. 3.
De ratione præcognitionis. cap. 4.
De criſi. cap. 5.
De diebus criſimis. cap. 6.

LIBER DECIMVS.

De prædictione futuri euentus.

EX quibus intelligatur vis naturę & morbi exitum futurum denuncians. cap. 1.
De cauſa proxima monſtrante robur, & imbecillitatem naturę. cap. 2.
De cauſis remotis monſtrantibus robur & imbecillitatem naturæ. cap. 3.
Quà ratione iuuantia & lædentia oſtendant robur atque imbecillitatem naturæ. cap. 4.
De effectis & proprie de actionibus monſtrantibus naturæ robur aut imbecillitatem. cap. 5.
De qualitatibus corporis, naturæ robur vel imbecillitatem demonſtrantibus. cap. 6.
De retentis & expulſis monſtrantibus robur, aut imbecillitatem naturę. c. 7

LIBER VNDECIMVS.

Qui eſt de prædictione differentiarum euentu, ſcilicet, temporis, modi, & ſtabilitate.

DE prædictione differentiarum in vniuerſum. cap. 1.
De ſignis monſtrantibus tempus euentus. cap. 2.

De

De signis monstrantibus tempus præfinitum vt diem & horam euentus. c. 3.
De signis monstrantibus modum futuri euentus, paulatim vel subito, cum pugna, vel sine. cap. 4.
De signis monstrantibus, num subitus euentus cum pugna futurus sit per somnum, aut per expulsionem, aut per translationem. cap. 5.
De signis monstrantibus viam expulsionis. cap. 6.
De signis monstrantibus locum ad quem transferentur succi morbum facientes. cap. 7.
De signis monstrantibus stabilitatem euentus. cap. 8.

LIBER DVODECIMVS.

Qui est de operibus ad curandum pertinentibus.

QVAEDAM *mala insanabilia esse & quid requirant.* cap. 1.
Rationem curandi contineri operibus & instrumentis, opera autem per indicationem inueniri. cap. 2.
De scopis vnde sumuntur opera ad curandum necessaria cap. 3.
Curatione debere fieri per contraria. cap. 4.
Opera proprie contraria morbis, causis & symptomatibus. cap. 5.
Conseruari quę secundum naturam sunt similibus. cap. 6.
De propria conseruatione temperationis, ętatis, sexus, habitus. cap. 7.
Quid consuetudo indicet in curando. cap. 8.
Quid vires indicent in curatione. cap. 9.
Quid indicet propoietas hominis. cap. 10.
Quid aer in curando indicet. cap. 11.

LIBER DECIMVS TERTIVS.

Qui est de differentijs scoporum & indicationum, & de consensu ac repugnantia eorumdem.

QVID *in vniuersum indicent scoporum differentiæ.* cap. 1.
Quid proprie postulet vnaquęq; morbi differentia. cap. 2.
Quid indicet pars affecta. cap. 3.
De differentijs operum efficiendorum. cap. 4.
De consensu ac repugnantia operum & differentiarum quę indicantur. c. 5.

LIBER

VIDI VIDII INDEX

LIBER DECIMVS QVARTVS.

Qui est de instrumentis medicinæ.

QVOT & quibus instrumentis vtatur medicus. cap. 1.
De ratione victus. cap. 2.
De medicamentis. cap. 3.
De chirurgia. cap. 4.
De differentijs seu animaduersionibus ad instrumentorum vsus pertinentibus. cap. 5.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

Qui est de curatione morborum.

DE curatione intemperiei cuiuslibet. cap. 1.
De operibus atque instrumentis pertinentibus ad morbos à tota substantia. cap. 2.
De operibus atque instrumentis ad corrigendam figuram deprauatam, idoneis. cap. 3.
De operibus atque instrumentis ad asperitatem & leuitatem contra naturam attinentibus. cap. 4.
De operibus atque instrumentis ad caua aperta, vel clausa attinentibus. cap. 5.
De operibus & instrumentis ad vitia magnitudinis & numeri attinentibus. cap. 6.
De operibus atque instrumentis attinentibus ad curandũ morbũ in situ. c. 7.
De operibus atque instrumentis ad vnitatem contra naturam acquisitam vel amissam necessarijs. cap. 8.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

Qui est de operibus & instrumentis ad curationem causarum attinentibus.

DE operibus & instrumentis requisitis ad implendum quod exhaustum est. cap. 1.
De curatione plenitudinis, quæ fit per correctionem materiæ vitiosæ. cap. 2.
De exhaurienda materia superante. cap. 3.
De humorum detractione per inediam. cap. 4.
De sanguinis missione. cap. 5.
De purgatione. cap. 6.
De euocatione vrinæ. cap. 7.

De sudatione. cap. 8.
De detractione per digerentia præsidia sensum latente. cap. 9.
De detractione humorum ad partes attinente, & proprie de auersione. c. 10
De repellendo. cap. 11.
De deriuatione. cap. 12.
De extrahendo humore ex loco ad quem fluxit. cap. 13.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

Qui est de curatione symptomatum.

DE curandis Symptomatibus in vniuersum. cap. 1.
De curatione doloris. cap. 2.
De curatione fluxus sanguinis. cap. 3.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS QVARTVS,

in quo continentur de curatione generatim partis secundæ libri decem & septem.

Index eorum quæ in secunda parte Vidi Vidij de curatione generatim continentur.

LIBER DECIMVS OCTAVVS.

Qui est de febribus in vniuersum, continet cap. viiii.

VAE supersint tractanda in opere de curatione generatim. cap. 1.
De nomine & definitione febris. cap. 2.
De causis febris in vniuersum. cap. 3.
De symptomatibus sequentibus febrem in vniuersum. c. 4.
De differentijs febrium in vniuersum. cap. 5.
De signis ad febrem in vniuersum attinentibus. cap. 6.
De operibus necessarijs ad curandam febrem in vniuersum. cap. 7.
De instrumentis ad curandam febrem in vniuersum attinentibus. cap. 8.
Diuisio febris in vniuersum in sua genera. cap. 9.

VIDI VIDII INDEX

LIBER DECIMVS NONVS.

Qui eſt de febribus Diarijs continet. cap. xi.

QVID ſit febris Diaria & quot ſpecies amplectatur. cap. 1.
De cauſis febris Diarię. cap. 2.
De ſymptomatibus febris Diarię. cap. 3.
De differentijs diarię febris. cap. 4.
De ſignis diarię febris. cap. 5.
De ſignis cauſarum diarię. cap. 6.
De prognoſtico diariæ febris. cap. 7.
De curatione diariæ febris in vniuerſum. cap. 8.
De curatione diarię ſynochæ. cap. 9.
De curatione cauſarum diariam efficientium. cap. 10.
De curatione diariæ febris coniunctę cum affectibus, quos præteritę cauſę reliquerunt. cap. 11.

LIBER XX.

Qui eſt de his, quæ in vniuerſum pertinent ad cognoſcendas febres in humoribus putribus reſidentes, continet. cap. x.

DEFINITIO febris in humorum putredine conſiſtentis. cap. 1.
De putredine & cauſis febris conſiſtentis in humoribus putribus. c. 2
De ſymptomatibus ſequentibus in vniuerſum febrem ab humorum putredine ortam. cap. 3.
De differentijs febrium humorum putredinem ſequentium. cap. 4.
De cauſis differentiarum febrium illarum quę ab humorum putredine oriuntur. cap. 5.
De recognoſcenda febre ex humorum putredine orta in vniuerſum. cap. 6.
De recognoſcendis cauſis & ſymptomatibus febrium in humoribus putribus conſiſtentium. cap. 7.
De recognoſcendis differentijs febrium in humorum putredine conſiſtentium. cap. 8.
De futuris præſagiendis in febre ab humorum putredine orta & primum de euentu. cap. 9.
De præcognoſcendis differentiis euentus, temporis .ſ. modi, & ſtabilitatis in febre à putridis ſuccis profecta. cap. 10.

LIBER

LIBER XXI.

Qui est de ratione curandi febres ab humorum putredine ortas.

De operibus & instrumentis in vniuersum requisitis ad curandam febrem in humorum putredine consistente. cap. 1.
De conseruatione virium & ratione victus in febre ab humorum putredine orta. cap. 2.
De refrigerantibus & madefacientibus ad febrem adhibendis. cap. 3.
De succis semiputribus per coctionem curandis. cap. 4.
De putredine ex corpore educenda. cap. 5.
De curatione obstructionis & adstrictionis prohibentis perspiratum. c. 6.
De curatione symptomatum sequentium febrem ortam ab humorum putredine. cap. 7.
Quid in curatione postulet differentię febris humorum putredinem sequentis. cap. 8.

LIBER XXII.

In quo tractantur species febrium in humoribus putribus consistentium.

QVOT sint species illarum febrium quæ sequuntur humorum putredinem. cap. 1.
De febre orta à sanguine putrescente. cap. 2.
De febribus ortis à flauabile putrescente. cap. 3.
De febre tertiana intermittente. cap. 4.
De febre ardente & tertiana continua. cap. 5.
De febre orta à pituita putrescente & primo de quotidiana. cap. 6.
De febre epiala. cap. 7.
De febre ardente quam excitat pituita salsa. cap. 8.
De febre quartana. cap. 9.

LIBER XXIII.

Qui est de febribus spurijs compositis & pestilentibus.

QVAE differentię febrium tractentur in hoc libro. cap. 1.
De febribus spurijs. cap. 2.
De febribus compositis. cap. 3.
De hæmitriteo. cap. 4.

De febribus peſtilentibus & de contagione. cap. 5.
De febribus non vere peſtilentibus. cap. 6.
De febribus, quibus ſuperueniunt maculę quedam cutis veluti lentes. c.7.
De febribus quibus morbilli, & variolę ſuperueniunt. cap. 8.

LIBER XXIIII.

Qui eſt de febre hectica & tabe.

PROPOSITVM *huius libri & quid ſit hectica febris.* cap. 1.
Species ac differentiæ febris hecticæ. cap. 2.
Cauſæ febris hecticę. cap. 3.
De ſymptomatibus febris hæcticę. cap. 4.
Signa & pronoſticum hecticæ febris. cap. 5.
De curatione hæcticę febris cap. 6.
Quid ſit Maraſmus .i. tabes, & quas ſpecies, ac differentias habeat. cap. 7.
Cauſę tabis. cap. 8.
Symptomata tabis. cap. 9.
Signa tabis. cap. 10.
De curatione tabis. cap. 11.

LIBER XXV.

Qui eſt de morbis tota ſubſtantia pugnantibus cum natura noſtra.

DE *conſenſu & diſſenſu totius ſubſtantiæ.* cap. 1.
De cauſis morborum tota ſubſtantia pugnantium cum natura noſtra. cap. 2.
De ſymptomatibus, quę morbos ſequuntur tota ſubſtãtia nobis inimicos. c.3.
De differentijs morborum tota ſubſtantia nobis aduerſantium. cap. 4.
De recognoſcendis in homine rebus præter naturam ad repugnantiam totius ſubſtantiæ attinentibus. cap. 5.
Prognoſticum in morbis tota ſubſtantia inimicis. cap. 6.
Quomodo pręcaueri & curari poſſit morbus tota ſubſtantia nobis inimicus. cap. 7.
Species morborum tota ſubſtantia pugnantium cum natura noſtra. cap. 8.
De morbo quem faciunt humores tota ſubſtantia pugnantes cum natura noſtra. cap. 9.
De morbis qui ab aere peſtilenti proficiſcuntur. cap. 10.
De morbis qui ab aſpiratione auerni, aut loci putris naſcuntur tota ſubſtantia nobis inimicis. cap. 11.

De morbis, quos in vniuersum faciunt venena intus sumpta. cap. 12
De morbis factis in vniuersum à veneno quod extrinsecus inseratur. c. 13.

LIBER XXVI.

Qui est de curatione cuiusque veneni speciatim.

VENENA *vnde suppetant.* cap. 1.
De remedijs aduersus venena quæ sumuntur à corporibus inanimatis. cap. 2.
De remedijs aduersus venena quæ à stirpibus sumuntur. cap. 3.
De venenis quæ petuntur à belluis & eorum curatione. cap. 4.
Ad versum virus quod ab illisis serpentibus expressum nocet. cap. 5.
De morsu canis rabiosi & eius curatione. cap. 6.
De morsu serpentum & eius curatione. cap. 7.
De venenis quæ aculeo inseruntur. cap. 8.

LIBER XXVII.

Qui est de morbo gallico.

MORBI *Galligi origo & historia.* cap. 1.
Quid sit morbus gallicus. cap. 2.
De causis morbi gallici. cap. 3.
De symptomatibus morbi gallici. cap. 4.
De differentijs morbi gallici. cap. 5.
De recognoscendis in ægrotante rebus præter naturam ad gallicum morbum attinentibus. cap. 6.
Prognosticum in morbo gallico. cap. 7.
De morbo gallico deuitando. cap. 8.
De curatione morbi gallici in vniuersum. cap. 9.
De guaiaco. cap. 10.
De china. cap. 11.
De salsa parilla & quibusdam alijs stirpibus gallico morbo succurrentibus. cap. 12.
De hydrargyro. cap. 13.
De cynnabaris suffimento. cap. 14.
Quid in curatione postulent differentiæ morbi gallici. cap. 15.
De curatione symptomatum consequentium morbum gallicum. cap. 16.

VIDI VIDII INDEX

LIBER XXVIII.

In quo inueſtigantur tumorum ſpecies omnes, & tractantur illi qui fiunt à ſpiritu, vel à ſubſtantia ſolida, tum generatim illi quoque qui ab humoribus & numerantur, & in ſuas ſpecies diſtribuuntur.

De tumoribus præter naturam in vniuerſum. cap. 1.
Diuiſio tumorum præter naturam. cap. 2.
De tumoribus præter naturam qui fiunt à ſubſtantia ſolida. cap. 3.
De inflatione ſeu tumore à flatu. cap. 4.
De tumore, quem in vniuerſum efficit humor. cap. 5.
Species tumorum qui ab humore proficiſcuntur. cap. 6.

LIBER XXIX.

Qui eſt de tumoribus grandioribus ab humore profectis.

De inflammatione. cap. 1.
De eryſipelate. cap. 2.
De herpete. cap. 3.
De carbunculo. cap. 4.
De gangrena. cap. 5.
De cœdemate. cap. 6.
De cancro. cap. 7.
De elephantia. cap. 8.
De tumoribus qui fiunt ab aquoſo humore. cap. 9.
De ſcyrrho. cap. 10.
De abſceſſibus quos efficit humor. cap. 11.
De ſuppuratione ſeu abſceſſu continente pus. cap. 12.

LIBER XXX.

Qui eſt de tumoribus minutis.

CVR tractentur tumores minuti & quales ſint. cap. 1.
De tuberculis. cap. 2.
De achoribus & fauis. cap. 3.
De verrucis. cap. 4.
De puſtulis. cap. 5.
De variolis & morbillis. cap. 6.

De ſcabie. cap. 7.
De impetigine. cap. 8.
De prurigine. cap. 9.
De pediculis. cap. 10.
De porrigine. cap. 11.
De pilis fluentibus. cap. 12.
De vitiligine & maculis cutis. cap. 13.
De cecchymomate, aneuriſmate & varice, cap. 14.

LIBER XXXI.

Qui eſt de curatione oſsium à ſuo ſitu recedentium.

QVOD *propoſitum huius libri ſit agere de oſſibus luxatis vel diductis.* cap. 1.
Qualis ſit morbus & quot ſpecies ſint ac differentiæ cum articuli excidunt. cap. 2.
De cauſis, ob quas articuli excidunt. cap. 3.
De ſymptomatibus, quæ prolapſis articulis ſuperueniunt. cap. 4.
De ſignis articulorum ſua ſede excedentium. cap. 5.
Prognoſticum de articulis ſuo loco motis. cap. 6.
De operibus ad curandos articulos prolapſos neceſſarijs. cap. 7.
De diſtentione. cap. 8.
De ratione reponendi articulos prolapſos. cap. 9.
De vinciendo ac fulciendo articulum repoſitum. cap. 10.
Qua ratione collocari reſtitutus atque alligatus articulus debeat. cap. 11.
De operibus quæ in curatione requiruntur à partibus articulo ſuperiectis. cap. 12.
De curatione articulorum cum fractura aut vulnere erumpentium. cap. 13
De curatione oſſium diductorum. cap. 14.

LIBER XXXII.

Qui eſt de ſolutione vnitatis in carne & partibus mollibus.

QVAE *ſint ſpecies ſolutionis in vniuerſum & quibus nominibus appellentur.* cap. 1.
Quę ſint cauſę, ſpecies ac differentię ſolutionis continui in carne & partibus mollibus. cap. 2.
De præſentibus, præteritis, & futuris cognoſcendis in corpore ægrotante vbi ſoluta eſt vnitas in carne & partibus mollibus. cap. 3.
De operibus, atque operum differentijs neceſſarijs ad curandam ſolutionem

vnitatis in carne, & partibus mollibus. cap. 4.
De euellendis telis. cap. 5.
Qua ratione defendatur & curetur vulneratus locus ab humorum concursu atque inflammatione. cap. 6.
De vnitate restituenda in carne & partibus mollibi. cap. 7.
De remedijs ad glutinandum vulnus pertinentibus. cap. 8.
De his quę conferunt ad carnem producendam. cap. 9.
De cicatrice inducenda. cap. 10.
De eo quod superat vel alienatum est detrahendo. cap. 11.
De sorde detergenda. cap. 12.
Quid in curatione postulent species illę solutionis continui quę ab externa causa oriantur vt sectio, contusio, attritio, peruptio, vstio. cap. 13.
De vlceribus sponte nascentibus in vniuersum & propriæ de his quæ aut callosa sunt veluti fistulæ & ægre ad cicatricem perueniunt, aut mala erodentia, putria itaut vermes contrahant. cap. 14.

LIBER XXXIII.

Qui est de soluta vnitate in partibus medijs inter molles & duras. Continet autem capita sex.

QVAE sint partes medię inter molles & duras & quo pacto solutę ad pristinam vnitatem reuertantur. cap. 1.
De solutione continui in venis & arterijs. cap. 2.
De vulneribus neruorum. cap. 3.
De vulneribus chordarum. cap. 4.
De vulneribus ligamentorum. cap. 5.
De vulneribus membranarum. cap. 6.

LIBER XXXIIII.

Qui est de solutione vnitatis in Osse, & Cartilagine.

QVOT sint species solutę vnitatis in Osse & Cartilagine. cap. 1.
De carie. cap. 2.
Quot & quę sint fracturę species ac differentiæ. cap. 3.
De contusione ossis & cartilaginis. cap. 4.
De rima ossis. cap. 5.
De sede, fracturę specie. cap. 6.
De perruptione ossis, & cartilaginis. cap. 7.
De perruptione ossis & cartilaginis in longitudinem seu in plures, seu in pauciores partes. cap. 8.

De

De perruptione transuersa. *cap.* 9.
De fractura cum vulnere. *cap.* 10.
De fractura cum vulnere, osse nudato, atque absceſſuro. *cap.* 11.
De ossibus, fractis ex vulnere excedentibus. *cap.* 12.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS quintus, in quo agitur de curatione membratim hoc est à tapite ad pedes. Huiusmodi in Artis pars operibus Vidi Vidij desiderabatur, quam morte præuentus ne aggredi quidem potuit, sed Vidus iunior, patrui vestigijs insistens assidue curat ne post hac amplius desideretur.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS SEXTVS

In quo continentur de ratione victus libri octo.

Index eorum quæ in octo libris de ratione victus tractantur.

LIBER PRIMVS.

Qui est de Aere.

VOT & quę sint Medicinæ instrumenta. *cap.* 1.
De aere optimo. *cap.* 2.
De aere qui substantia recedit ab optimo. *cap.* 3.
De aere qui à media temperatione recedit. *cap.* 4.
De varia temperatione aeris ob conuersionem solis & lunę & temporum varietatem. *cap.* 5.
De varietate aeris ob variam regionem respectu cæli. *cap.* 6.
De varietate aeris ex natura loci. *cap.* 7.
De ventis. *cap.* 8.
De recto vsu aeris. *cap.* 9.

LIBER SECVNDVS.

Qui est de ciborum facultatibus.

DE necessitate alimenti siue cibi siue potionis. *cap.* 1.
De differentijs æsculentorum. *cap.* 2.

De

De cibis gratis vel moleſtis guſtui, olphactui ventriculo. cap. 3.
De cibis qui facile vel ęgre concoquuntur diſtribuuntur putreſcunt. ca. 4.
De cibis boni & mali ſucci. cap. 5.
De cibis qui multum vel paucum alimentum prębent. cap. 6.
De cibis qui firmum vel infirmum alimentum prębent. cap. 7.
De cibis, medicamenti facultatem in vniuerſum habentibus. cap. 4.
De facultatibus ciborum, quę à temperatione oriuntur ſpectantibus ad totum corpus. cap. 9.
De facultatibus ciborum pertinentibus ad certas partes. cap. 10.

LIBER TERTIVS.

Qui eſt de cognoſcendis ac recte adhibendis facultatibus, æſculentorum.

QVA ratione cognoſcantur facultates ęſculentorum in vniuerſum. c. 1
De facultatibus æſculentorum ſpeciatim dignoſcendis. cap. 2.
Derecto vſu ciborum in vniuerſum. cap. 3.
De apparatu ad rectum vſum ciborum requiſito. cap. 4.
De mixtura ęxculentorum. cap. 5.
De coctura exculentorum. cap. 6.
De reliquo æſculentorum apparatu. cap. 7.

LIBER QVARTVS.

Qui eſt de ęſculentis quę ab herbis, & arboribus ſumuntur.

DE æſculentis in vniuerſum & de bonitate eorum quę è terra naſcuntur. cap. 1.
De tritico, pane, & alijs cibis qui ex eo parantur. cap. 2.
De hordeo ptiſſana, polenta. cap. 3.
De Farre, & Zea. cap. 4.
De Olyra, Tipha, Trago, Secale, Auena, Oriza Millio, Panico, Lolio, Seſamo. cap. 5.
De Leguminibus in vniuerſum. cap. 6.
De leguminibus ſpeciatim. cap. 7.
De ſeminibus herbarum. cap. 8.
De fructibus herbarum. cap. 9.
De Radicibus, Bulbis, Tuberibus, Fungis. cap. 10.
De aſparagis, foliis & floribus herbarum. cap. 11.
De eſculentis quę ab arboribus & fructibus ſuppeditantur in vniuerſum. cap. 12

De

De Ficubus, Vuis, Moris, Batinis, Maliſpunicis, Arbutis, Baccis Mirthi, & Iuniperi quos totos commedimus. cap. 13.
De Malis, Piris, Prunis, Ceraſiis, Perſicis, Armeniacis, Ziziphis, Cornis, Meſpilis, Oleis, Palmulis, Siliquis, malis Medicis, & fructibus qui pericarpium nobis præbent edendum. cap. 14.
De Iuglandibus Auellanis, amigdalis, nucleis, pineis, piſtachijs, caſtaneis, glandibus & fructibus qui carpo, hoc eſt ſemine probantur. cap. 15.
De condimentis ac primo de ſale. cap. 16.
De Aceto, Omphacio, Sapa, Vino, Oleo, adipe & herbis acrioribus condimenti vſum prębentibus. cap. 17.
De Aromatibus, Melle, & Saccaro. cap. 18.

LIBER QVINTVS.

Qui eſt de eſculentis quæ ſumuntur à belluis.

DE quadrupedibus generatim. cap. 1.
De quadrupedibus ſpeciatim. cap. 2.
De ſanguine, lacte, butyro caſeo. cap. 3.
De Cocleis, Teſtudinibus Ranis. cap. 4.
De volucribus generatim. cap. 5.
De volucribus ſpeciatim. cap. 6.
De ouis. cap. 7.
De piſcibus generatim. cap. 8.
De piſcibus ſpeciatim. cap. 9.

LIBER SEXTVS.

Qui eſt de potione.

DE facultatibus potionum. cap. 1.
Qua ratione cognoſcantur facultates potionis. cap. 2.
De recto vſu potionis. cap. 3.
De Aqua. cap. 4.
De vino. cap. 5.
De hidromelite, apomelite, oximelite. cap. 6.
De potionibus, quę ex fructibus & frugibus conponuntur. cap. 7.

VIDI VIDII INDEX

LIBER SEPTIMVS.

Qui est de ijs quæ retinentur ac detruduntur.

DE necessitate retentorum ac expulsorum. cap. 1.
De facultatibus ac recto vsu eorum quę retinentur ac detruduntur. cap. 2.
De expellendis ijs quę toto genere superant. cap. 3.
De balneo. cap. 4.
De sanguine superante. cap. 5.
De semine & vsu veneris. cap. 6.

LIBER OCTAVVS.

Qui est de somno & vigilia, motu & quiete animi perturbatione ac tranquillitate.

DE necessitate atque effectis somni & vigiliæ. cap. 1.
De recto vsu somni & vigilię. cap. 2.
De quiete. cap. 3.
De motu & excitatione. cap. 4.
De apparatu ad exercitationem necessario ac defrictione. cap. 5.
De perturbatione animi. cap. 6.
De tranquillitate animi. cap. 7.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS SEPTIMVS

in quo continentur de medicamentis tam simplicibus quam compositis libri octo.

Index eorum quæ in octo libris Vidi Vidij de medicamentis continentur.

LIBER PRIMVS.

Qui est de facultatibus medicamentorum & de facultatum causis.

QVID sit medicamentū & quot differentias habeat.c. 1
De medicamentorum facultatibus. cap. 2.
De causis facultatum medicamentorum. cap. 3.
De medicamentis quę ob vim veneni nos interimunt vel à veneni iniuria nos vindicant. cap. 4.
De medicamentis purgantibus. cap. 5.

De medicamẽtis quę tẽperationis moderatione vel exceſſu nos afficiunt.c.6
De medicamentis calefacientibus, refrigerantibus, madefacientibus, ſiccantibus. cap. 7.
De medicamentis ſecundas qualitates producentibus & primo de mollientibus & indurantibus. cap. 8.
De medicamẽtis tendentibus, laxantibus producentibus cõtrahentibus.c.9
De medicamentis extenuantibus, craſſum facientibus, cogentibus ac liquefacientibus. cap. 10.
De ijs quæ lentorem vel faciunt, vel detergunt. cap. 11.
De medicamentis rarefacientibus, denſantibus, aperientibus, claudentibus. cap. 12.
De aſperantibus, exulcerantibus, & leuantibus. cap. 13.
De repellentibus, attrahentibus, diſcutientibus & flatũ producẽtibus c.14.
De concoquentibus, pus mouentibus, putrefacientibus, adurentibus, & carnem detrahentibus. cap. 15.
De cicatricem inducentibus, glutinantibus & carnem generantibus. c.16.
De facientibus ac lenientibus dolorem, de mouentibus ſomnum & ſtuporem afferentibus. cap. 17.
De mouentibus ac ſupprimentibus ſudorem. cap. 18.
De medicamentis vrinam vel mouentibus, vel ſupprimentibus, calculum frangentibus, tuſſim excitantibus vel ſedantibus. cap. 19.
De mouentibus ac ſupprimentibus menſtrua & lac. cap. 20.
De medicamentis ad ſemen pertinentibus. cap. 21.
De ijs quę aluum ſoluunt aut adſtringunt. cap. 22.
De mouentibus ac comprimentibus vomitum, de que ijs quę per os, nares, aures, & oculos purgant. cap. 23.

DE MEDICAMENTIS LIBER II.

Qui eſt de cognoſcendis ipſorum facultatibus

QVA via deprehendantur in vniuerſum facultates medicamentorum. cap. 1.
De ſignis moderatam medicamentorũ temperationem demonſtrantibus.c.2.
De effectis in medicamento temperationem ſequentibus, ac proprie de naturali potentia vel impotentia. cap. 3.
De actionibus medicamentorum inſenſibus noſtris temperationem ſignificantibus. cap. 4.
De operibus quæ temperationum indicant quam ſequuntur. cap. 5.
De ſignis ſingulas medicamentorum temperationes indicantibus. cap. 6.
De ſignis cuiuſlibet gradus in temperatione medicamentorum. cap. 7.
De cognoſcendis cauſis illis, quæ ſimul cum temperatione facultatem medicamentorum producunt. cap. 8.

DE

VIDI VIDII INDEX

DE MEDICAMENTIS LIBER III.

Qui est de recto vsu medicamentorum.

IN quo consistat rectus vsus medicamentorum. cap. 1.
De arte quę necessaria est ad rectum vsum medicamentorum. cap. 2.
De purgandis & abluendis medicamentis. cap. 3.
De medicamentis calefaciendis, refrigerandis, madefaciendis, siccandis, infundendis, diluendis, liquandis, molliendis, ac duris efficiendis cap. 4.
De medicamentis concoquendis, torrefaciendis, comburendis, extinguendis. cap. 5.
De medicamentis in puluerem vel succum vertendis. cap. 6.
De ratione efficiendi medicamenta pura & colorata. cap. 7.
De medicamentis per destillationem parandis. cap. 8.
De componendis medicamentis. cap. 9.

DE MEDICAMENTIS LIBER IIII.

Qui est de materia sumpta à corporibus inanimis.

VNDE petantur medicamenta & quot sint genera corporum inanimorum. cap. 1.
De terris. cap. 2.
De succis concretis. cap. 3.
De lapidibus. cap. 4.
De metallis. cap. 5.
De fossilibus mixtis. cap. 6.
De mixtis liquidis. cap. 7.
De aquis mixtis. cap. 8.
De recto vsu aquarum mixtarum. cap. 9.
Quam facultatem singillatim habeant celebres aquę sponte nascentes. c. 10.
De aquis mixtis arte parandis. cap. 11.

DE MEDICAMENTIS LIBER V.

Qui est de materia sumpta à stirpibus.

QVAE comuniter in stirpibus considerandam sint. cap. 1.
De stirpibus sigillatim. cap. 2.

DE MEDICAMENTIS LIBER VI.

Qui est de materia sumpta ab animantibus.

QVAM materiam prębeant animantia. cap. 1.
De animantibus quibus vtimur viuis ad medendum. cap. 2.

De

De medicamentis quę ſumuntur à totis animalibus mortuis. cap. 3.
De medicamentis quæ ſumuntur animalium partibus multiformibus. cap. 4.
De medicamentis quæ ſumuntur à ſimplicibus partibus animalium cap. 5.
De medicamentis quę ſumuntur ab ijs quę generantur in animalibus vtilia ad alendum. cap. 6.
De medicamentis, quæ ſumuntur ab ijs quę in animalibus redundant, & aliena ſunt. cap. 7.
De medicamentis ſumptis ab ijs quæ artificioſe parantur ab animalibus. c. 8

DE MEDICAMENTIS LIBER VII.

Qui eſt de compoſitionibus ad internas partes pertinentibus.

QVA ratione tractentur compoſitiones medicamentorum. cap. 1.
De infuſis & decoctis. cap. 2.
De vinis compoſitis. cap. 3.
De zulapijs & ſerapijs. cap. 4.
De conditis. cap. 5.
De eclyctis ſiue lohoch. cap. 6.
De antidotis. cap. 7.
De antidotis opiatis.. cap. 8.
De antidotis aluum laxantibus vel purgantibus. cap. 9.
De pillulis ſiue catapotijs. cap. 10.

DE MEDICAMENTIS LIBER VIII.

Qui eſt de medicamentis compoſitis quę pariter intus & extra dantur, vel extra tantum.

DE pulueribus. cap. 1.
De paſtillis. cap. 2.
De collirijs, peſſis & glandibus. cap. 3.
De emplaſtris. cap. 4.
De emmotis. cap. 5.
De malagmatis. cap. 6.
De cataplaſmatis, & ſinapiſmis. cap. 7.
De cerato & dropace. cap. 8.
De linimentis ſeu acopis. cap. 9.
De oleis & de vnguentis. cap. 10.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS OCTAVVS.

In quo continentur de chirurgia libri quatuor.

Index eorum quæ in libris quatuor de chirurgia Vidi Vidij continentur.

LIBER PRIMVS.

Qui est de ijs quæ pertinent ad chirurgiam in vniuersum.

VID sit chirurgia, & qua ratione vel tradita ab alijs fuerit, vel tradi debeat. cap. 1.
Quæ communia sint chirurgiæ quot & qualia esse debeant. cap. 2.
Qualem esse Medicum oporteat. cap. 3.
Quod sit officium egrotantis. cap. 4.
De officio ministrorum. cap. 5.
Qualia oporteat esse instrumenta. cap. 6.
De lumine. cap. 7.
De diuisione totius chirurgiæ in operas. cap. 8.

LIBER SECVNDVS.

Qui est de operis inseruientibus.

DE Anatome. cap. 1.
De opera manus inseruiente ad cognoscendum cum medicus ad curationem aggreditur. cap. 2.
De remotione pilorum, notatione per atramentum, detersione, apertione, operis inseruientibus ad cognoscendum & curandum. cap. 3.
De opera manus inseruiente medicamentis admouendis. cap. 4.
De opera manus inseruiente ad educendum. cap. 5.
De venarum & arteriarum sectione. cap. 6.
De sectione cutis ad sanguinem detrahendum. cap. 7.
De cucurbitulis. cap. 8.
De sanguisugis. cap. 9.
De figurando, collocando, obuoluendo. cap. 10.

LIBER

LIBER TERTIVS.

Qui eſt de operis partim inſeruientibus partim agentibus.

De vſu vinciendi. cap. 1.
De apparatu vinciendi. cap. 2.
De ratione vinciendi. cap. 3.
De faſcijs reſoluendis. cap. 4.
De nominibus ac differentijs faſciarum. cap. 5.
De vinculis ſingularum partium à capite ad pedes. cap. 6.
De vſu quem præſtant fulcimenta. cap. 7.
De rebus quibus vtimur ad fulciendum. cap. 8.
De ratione adhibendi fulcimenta. cap. 9.
De extendendo. cap. 10.
De laqueis. cap. 11.
De inſtrumentis quibus præter laqueos vtimur. cap. 12.

LIBER QVARTVS.

Qui eſt de operis agentibus in componendo partes noſtrī corporis præter naturam affectus & in educendo ea quæ noxia ſunt & inutilia.

De coniungendis quę præter naturam diſiuncta ſunt. cap. 1.
De diuidendis quę coniuncta ſunt. cap. 2.
De dirigendis peruerſis. cap. 3.
De reponendis ijs quę ſuo loco exceſſerunt. cap. 4.
De componendis fractis. cap. 5.
De claudendo & aperiendo. cap. 6.
De reprimendo quod excedit & addendo quod deeſt. cap. 7.
De humore per chirurgiam transferendo. cap. 8.
De transferendo atque euellendo ſolidiorem materiam ex corpore noſtro. cap. 9.
De excidendo. cap. 10.
De adurendo. cap. 11.

VIDI VIDII ARTIS MEDICINALIS TOMVS NONVS

in quo continentur de Anatome libri septem.

Index eorum quæ in septem libris Anatomes Vidi Vidij tractantur.

LIBER PRIMVS.

Agit de communibus totius Anatomes.



VID sit Anatome. cap. 1.
Quam vtilitatem afferat Anatome & quantam requirat exercitationem. cap. 2.
Ad quam facultatem referatur Anatome, & si ad medicinam ad quam eius partem proprie pertineat. cap. 3.
Que tractanda sint in descriptione Anatomes. cap. 4.
Qualem oportcat esse medicum qui Anatomem profitetur, & quales ministros. cap. 5.
De corpore quod in Anatome incidendum est. cap. 6.
De instrumentis ad Anatomem necessarijs. cap. 7.
De lumine, loco, ac scamno idoneo ad Anatomem. cap. 8
Quo ordine persequi oporteat que tractanda sunt in Anatome. cap. 9.

LIBER SECVNDVS.

Agit de Ossibus, Cartilaginibus, ac Ligamentis.

DE ossibus in vniuersum. cap. 1.
De ossibus capitis. cap. 2.
De osse hyoide. cap. 3.
De ossibus spinę, sacri, & coccygis. cap. 4.
De costis, ossibus pectoris, & inguli. cap. 5.
De scapulis. cap. 6.
De ossibus brachij. cap. 7.
De osse coxæ. cap. 8.
De ossibus cruris. cap. 9.
De cartilagine. cap. 10.
De ligamentis. cap. 11.

De

De ratione tractandi ossa & parandi scheleti. cap. 12.
De membranis, fibris, carne, adipe, glandulis, & cute. cap. 13.

LIBER TERTIVS.

Qui est de neruis, venis, & arteriis.

DE neruis in vniuersum. cap. 1.
De neruis qui à cerebro oriuntur. cap. 2.
De medulla spinę, & neruis qui ab ea deriuantur. cap. 3.
De neruis qui ad brachia feruntur. cap. 4.
De neruis cruris. cap. 5.
De venis in vniuersum. cap. 6.
De vena porta. cap. 7.
De origine venæ cauæ à iecinore, & eius progressu ad iugulum. cap. 8.
De venis, quę à iugulo sursum feruntur. cap. 9.
De distributione venarum, quæ in caluariam penetrant. cap. 10.
De venis, quę per brachium feruntur. cap. 11.
De progressu venę cauæ infra iecur vsque ad inguina. cap. 12.
De venis ad crus pertinentibus. cap. 13.
De arterijs in vniuersum. cap. 14.
De arteria magna ascendente. cap. 15.
De arteriarum distributione supra iugulum. cap. 16.
De arteria magna descendente. cap. 17.
De sectione neruorum, venarum, & arteriarum. cap. 18.

LIBER QVARTVS.

Qui est de musculis.

DE musculis in vniuersum. cap. 1.
De musculis frontis, palpebrarum, oculorum, Nasi, Buccarum, Labiorum, cutis capitis & aurium. cap. 2.
De musculis ossis, hyoidis, linguæ, faucium, gutturis, maxillę. cap. 3.
De musculis capitis. cap. 4.
De musculis humeri. cap. 5.
De musculis scapulę. cap. 6.
De musculis mouentibus cubitum & manum. cap. 7.
De musculis pectoris & septo transuerso. cap. 8.
De musculis dorsi. cap. 9.
De musculis abdominis, vesicę, colis, ani, testium. cap. 10.
De musculis mouentibus femur. cap. 11.
De musculis mouentibus crus, & pedem. cap. 12.

VIDI VIDII INDEX

LIBER QVINTVS.

Qui est de ventre.

Diuisio externarum partium nostri corporis sum ipsarũ nominibus. c. 1.
De methodo, qua vtendum est in ostendenda natura partium quę secantur. cap. 2.
De abdomine. cap. 3.
He peritoneo, vmbilico Omento. cap. 4.
De inteſtinis Meſenterio & glandula quę παγκρεᾶς dicitur. cap. 5.
De ventriculo & gula. cap. 6.
De iecinore, veſica fellis & liene. cap. 7.
De renibus, veſica, & canalibus vrinę tranſitum prębentibus. cap. 8.
De partibus genitalibus in mari. cap. 9.
De partibus genitalibus in forminis. cap. 10.
De inuolucris fœtus. cap. 11.
De mammis. cap. 12.

LIBER SEXTVS.

Qui est de sectione partium vitalium.

DE collo. cap. 1.
De thorace & eius membranis. cap. 2.
De gutture, epiglottide & faucibus. cap. 3.
De pulmone. cap. 4.
De corde & pericardio. cap. 5.

LIBER SEPTIMVS.

Qui est de capite, membris, & de sectione viuorum.

DE capite. cap. 1.
De crassa & tenui membrana cerebri. cap. 2.
De cerebro. cap. 3.
De oculis. dap. 4.
De instrumento odoratus, auditus gustatus & de dentibus. cap. 5.
De sectione cerebri & reliquorum instrumentorum facultati animali inseruientium. cap. 6.
De membris. cap. 7.
De sectione viuorum. cap. 8.

Finis Indicis Anatomes, ac librorum omnium quibus vniuersa Ars medicinalis Vidi Vidij continetur.

-150-